MICHAEL PEDRET

1821.C.11.m



8.11.A.8

ihs [illegible]

nota / de inno[illegible] [illegible] deat.

Si ad ce[illegible] humil[illegible]
congressa: gir[illegible] [illegible]
ex sancto deo gratiam [illegible]
[illegible] plaga. [illegible] deo [illegible]
[illegible]

In gila compendio theologie veritatis quidam
doctor [illegible] magister
artiu liberaliu hec scribit loculenter
In noie Iesu. Sunt quinq littere. q possunt esse initia
[illegible] T. Iocunditas merentiu.
[illegible] S. Sanitas languentiu.
V. [illegible] egentiu [illegible] S. Salus esurientium.
[illegible] Iesus christus conuenit ei triplicitur. s
roe nque vt qui ex diuina na erat salvator aucte
et ex humana [illegible] io. Etiam
endicaret sibi n[illegible] roe decentie qi
vt ex re nome [illegible] salua[illegible] peccato,
adi[illegible] et [illegible] nome illi
beneficio congruens roe efficatie qr christus nos sua
passioe saluauit. amen
Iesus qui dicitur saluator vel salutaris fructus
salutis nre sine quo nulla est salus nobis. iuxta
illud actuu iiij. no est aliud nome sub celo
datum hominibus in quo oportet nos saluos
fieri. preterea in noie Iesu. qd nome, vt dicit
Bernardus, est mel in ore, in aure melos. i.
dulcedo et cithara, in corde iubilus, est etiam
lux. cibus et medicina, lucet namq predicatum.
pascit recogitatum, inuocatum lenit et vngit.
aridus est ois aie cibus sino oleo isto infunditur.

ſi ſcribas, ſi diſputes non ſapit mihi niſi legero ibi
Ieſum; inſipidus eſt oīs cibus aīe ſi non hoc ſale
condiatur. hec Bernardus. dicitur q eſt turris
fortiſſima ſm̄ illud proverbiorū xviij. turris fortiſ-
ſima nomen dn̄i .i. protectio firmiſſima, ad eum cur-
rit iuſtus et exaltabitur. vnde S. Hiero. no
ſine cauſa nomē dn̄i qd eſt Ieſus dicitur turris
fortiſſima. qm̄ in ea eſt virtus fortiſſima et [illegible]
nō ſolus euadendi inſultus inimicorū et [illegible]
vitiorū. ſed et ex alto cōtēplandi multitudinem
ęternorū gaudiorū. hec Hiero. hoc nomē Ieſus
(vt dicit Aug.) ſcriptum in cordibus iuſtorū dat mag-
na [illegible] contra [illegible] malorum vt [illegible]
enter [illegible] et prudenter [illegible]. Idem
ſuper liij ps. confitebor [illegible] tuo dn̄e qm̄ bonū eſt
ait, nomē dn̄i bonū eſt. [illegible] bonū eſt [illegible]
[illegible] diligamus et totum [illegible] ad eum
amandū et laudandum. Idem ſuper verba euāg.
Ioan. 16. ſi qd petieritis patrem in noīe meo da-
bit vobis. nemo petit in noīe ſaluatoris q petit
contra [illegible] ſalutis [illegible] contra ſuam ſalutem
ſempiternam. [illegible] Ieſu iſto modo accipit
qd debet accipe. quedā enim [illegible] negantur ſed vt con-
gruo [illegible] tempore differuntur. ideo perſeuerātes
poſſidebunt vitam in iſto noīe, neqqs [illegible]
fraudabit. vnde et S. Amb. [illegible] ſuper eiſdem verbis
nemo dicat ſe eſſe pauperē cum petat patrem
in noīe filij. qa accipit dona dei. ſic qz fiet diues in
dn̄o q deuotus ex [illegible] noīe glorioſo, qa vt
ſcribit S. Chryſ. in quadam ſermōe, q nome dn̄i diligit
profundius et inuocatur frequentius, eo exaltat


ſaliter
in Deu altius, per meritorum et grãrum acumu-
lationem, ideo hoc intelligens ſapiens eccliaſ. 9
li. cap. in orõe filij Syrach. Ieſu ait dño Ieſu.
laudabo nomen tuum aßidue, et collaudabo
illud in confeßioe: et exaudita eſt orõ mea.
q.ſ. dicat propter laudatione nõis tui, vnde
pſalmo dicitur lxxviij. adiuua nos Deus ſalu-
taris noſter et propter gloriam nõis tui Dñe
libera nos: et propitius eſto peccatis nris ppt
nomen tuum: et qz adiutoriu nrm eſt in nõie
dni pſal. cxxiij., ideo Dñe adiuua nos ſeper.
vnde dicit S. Greg. pp. ſuper luca, appropinquante
ſaluatore appropinquat temptatio. Ducem
rectitudinis ſequitur vmbra temptationis.
proindeſi inſurgit diabolus noli timere filii
ſed sta in acie fortiter dimicando et appre-
hende arma et ſcutum. et erige contra illum eu
vexillum ſalutis qd eſt Ihs inuocando deuote
illum, nullu enim eſt validius remedium
contra diaboli tentamenta et mundi blan-
dimenta, atq contra omnia ſeuitias quam
frequens nominatio Ieſu: no ore polluto:
ſed corde deuoto et ore verace. io cõſulebat
Apls Paulus ad coloſenſes, iij. loquens dice-
bat omne quodcumq facitis in verbo aut in
opere, oia in nõie Ieſu Chriſti facite, vnde
intatum dilexit hoc nome q quingentis vicib.
nominauit ipſum in epiſtolis ſuis, duodecim
et ter amputato capite ad magnu ſignum

Spiritus ſancti ſui inhabitatoris. Ideo dicebat
ad Corinth. p.ª et xij. cap.º q nemo pot dicere dns 4
Ieſus niſi in ſpū ſancto. Secundo vide, orc et
opere quin illa prelatioe dignus efficitur vite
eterne, ut hoc exponit Alexander de Ales [illegible]
nam actus qui elicitur a ſpiritu ſancto meri-
torij ſunt vite et glorie eterne. [illegible]
[illegible] et Iohelis cap. ij. [illegible] in-
vocaverit nomen dni ſalvus erit. de hoc propter
reverentiam ipſius, in [illegible] nomine et idem ad
philip. ij.º cap. ait, oē genu flectatur celeſtium
terreſtrium et infernorum. sc. celeſtium per gloriam.
terreſtrium per gratiam, et infernorum per
iuſtitiam ſempiternam, ut exponit S. Bernard.
et eſt tante utilis q remittuntur nobis peccata
propter hoc nomen. vnde Ioan. in .i.ª epīa
cano. ij.º cap. dixit ſcribo vobis filioli: qm remit
tuntur vobis peccata propter nomen eius. et
ſic remiſſis peccatis et timentibus hoc nomen
oritur nobis ſol iuſtitie .i. chrs, vnde dicitur
Malachie iiij.º c. orietur ſol iuſtitie vobis timen
tibus nomen meum. et emanat in cor nrm illud
manna de celo, vnde dixit apoſtolus Ioan.
Apocalipſis. ij.º cap. vincenti dabo manna
abſconditum et nomē novum ſcriptum qd nemo
ſcit niſi qui accipit. vnde dixit S. Bonaventura
Ieſus eſt q penitentes et agonizantes in bello
mundi huius et in certamine carnis et diaboli
defendit et ſuavitate ſua reficit et oblectat.

qui penitentes perduxit ad puritatem
deuotos ad letitiam internam perfectos
ad contemplationem. [illegible] ad fruitionem
Nunc autem nouum scribitur. cum in dolore
[illegible] et dulcedo interiora [illegible]
[illegible] labijs cordis intenditur. quod
[illegible] per salomon experientia [illegible]
[illegible] Hec dicit
resurrectionem ipsius in [illegible]
[illegible] ad phil. ij cap. iiii. Et genu flectatur celestium
terrestrium et infernorum. [illegible] celestium per gloriam
terrestrium per gratiam. et infernorum per
iustitiam siue potentiam, ut exponit sanctus Bernardus
et est tale nomen quod remittuntur nobis peccata
propter hoc nomen. unde Iohannes in i canonica
cano. ij cap. dicit scribo vobis filioli quia remittuntur
vobis peccata propter nomen eius. et
sic remissis peccatis et tormentibus hoc nomen
oritur nobis sol iustitie .i. christus. unde dicitur
Malachie iiij. Orietur sol iustitie vobis timentibus
nomen meum. et [illegible]
manna de celo. unde dicit apostolus Iohannes
apocalipsis ij cap. vincenti dabo manna
absconditum et nomen nouum scriptum quod nemo
scit nisi qui accipit. unde dicit sanctus Bernardus
[illegible] penitentie et [illegible]
mundi huius et in certamine [illegible]
spiritus [illegible]







PHARETRA DIVINI AMORIS, VARIIS ORAtionibus atque exercitijs referta

Autore Ioanne Lanſpergio Carthuſiano, nunc denuo ab eodem aucta & recognita.

HVIC ADIECIMVS LIBRVM D. Dionyſij Carthuſiani, de Remedijs tentationum, admodum vtilem.



Conus S. M.a Magdalena Min. Infirmis

8 11. A 8



FRANCISCVS IOANNES ASCENSIVS PRAESBYter, candido lectori S. P. D.

Vām frugifera ac ſalubria ſint diuinarum ſcripturarum ſtudia, pie Lector, nō eſt quòd tibi ſyllogiſticis argumentis, aut lòngo orationis ambitu perſuadeam, cū multorū doctiſſimorum virorū autoritate id cōprobetur ac fulciatur. Et præcipuè cùm altiſſimorū conſcius ſecretorū apoſtolus Paulus hoc ad Timotheum ſcribens edoceat, inquiens: Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ, hęc meditare, in his eſto vt profectus tuus manifeſtus ſit omibus. Optimè enim nouerat beatus Apoſtolus ſacris lectionibus bonos enutriri ac circumfoueri mores mentemq́ʒ ad internam animi rapi pietatem. Ac ideo crebris lucubrationibus, ſummis vigilijs, aſſiduis laboribus, ſacris inſudare lectionibus cum beato Timotheo nos cōmonet. Sed quoniā (vt in prouerbio eſt) nō cuiuis homini contingit adire Corinthū: nec omnibus licet, tum ingeniorum iniuria, tum per aduerſam valetudinē, altas ſcripturarū percipere ſententias, grandiaq́ʒ heroum euoluere volumina, Lanſpergij Carthuſiani diuinū hoc opus cunctis mortalibus legendū proponimus, vtpote quòd ea quę plurimi multitudine librorum pertractant, hoc in vno cōplectantur, & veluti in cōpendiū redigantur. Ad hęc igitur vertenda eſt, hūc intendenda ſtudij noſtri cura, vt attendamus quid loquatur libellus hic, ſubodoremur, veſtigemus, ſcruteműrq́ʒ ſin-

gula.nam lapidea ac ferrea quęcunque corda, ſuauiora eius dicta emolliũt (& quod ſæpe fit) ſi naturę noſtrę quis innumeris vallatur aduerſarijs, vt inimicorũ nõ poſſit defugere ictus (Deus bone) quot ſunt hic ſpiritualia tela, quibus aduerſarijs audacter occurrat? Iure ſiquidem Lanſpergius noſter librũ hunc pharetrę nomine decorauit ac inſigniuit, quippe quod iaculatoria ſint ibi tela charitatis, piæ nempe quędã affectiones, & flãmigerę orationes, ignitaque amoris eloquia, quibus haud dubiũ quin cor Dei vulneretur, ac transfodiatur: & ea potiſsimũ de cauſa tam beneuolenter à plurimis exceptus eſt, vt ex multis quos Colonię calcographi, annis ab hinc tredecim edidere, ne vnus quidem ipſis ſupererit. Quare ne tantã lucẽ ac celebritatem vllus caſus, obliuionis tenebris obſcuraret, amici quidam noſtri ex Carthuſia, quibus ſum maximopere deuinctus, obnixius me quidẽ hortati ſunt, vt ad nouam pharetrę editionem animũ impellerem. parui ſiquidem importunis, ſed pijs precibus. Primũ quędam, quę excuſſorũ incuria errata iacebant, ſub cenſuram euocans, vt à mendis nõnullis vindicarem, & emẽdatior prodiret. deinde vt nouus renatúsve liber omnibus videretur, acutiores ſagittas, quas toto vitę ſuæ tẽpore Carthuſianus ille Dionyſius aduerſus imminentes parauerat tentationes, huic cõmiſimus pharetræ, vt quoſque in nos inſurgẽtes hoſtes facilius deludamus. Ecce iam diu deſiderata pharetra iterũ in lucem prodijt, nouis exarata typis. Hanc igitur Chriſtiane Lector totis conatibus amplectere, hanc iterũ atque iterum euolue, ſubinde manibus tracta, lege ſobriè, ſed attentè, ſed aſsiduè, ſi innumeros tibi cupis cõgerere fructus. Bene vale. Pridie caleñ. Feb. 1547.

IN THEOLOGIAM MYSTICAM, ET CONTEMPLAtionem affectiuam, quæ puritate cordis acquiritur, Inſtitutio.

LIcet variæ ad obtinendam charitatis perfectionem à ſanctis tradantur viæ, in eundem ſcopum finemq́ꝫ dirigentes, hæc tamen omnium creditur eſſe facilima, atq́ꝫ maxime cōpendioſa, quā diuinus Dionyſius, & poſt eum nōnulli alij docent, vt per flammigeras affectiones anima ad deū continue ſe leuet, ad ipſum aſpiret, eidem loquatur, ipſum attingere eiq́ꝫ inhęrere geſtiat. Hæc via, hoc exercitium, ſtudium eſt ſapientiæ, quod non multitudine librorum, nec diſputationū argutia diſcitur, ſed extenſione affectus in deū, qua excitetur iuge deſideriū vehemētius amandi deum, perfectiusq́ꝫ placendi deo. Proptetea vocatur à ſanctiſſimo Dionyſio myſtica theologia, vtpote quæ diuina irradiatione in animam humanam infunditur, & affectio-

ne magis quàm cognitione frequẽtatur. Ad hanc autẽ ſapientiã neceſſaria eſt puritas cordis, hoc modo obtinẽda, vt homo bona ſemper volũtate ad deũ ferueat, vigilantiſſimeq́ʒ ab omni peccato cor ſuũ cuſtodiat, in vera innocentia, puritate, ſynceritate, ac ſimplicitate deũ in omnibus quærat, ipſum habens ſemper præ oculis, quaſi præſentẽ. Hoc autem non aliter fiet, q̃ vt in omnibus vbiq́ʒ & ſemperſeipſum abneget. Quamdiu enim in mundo ſumus, niſi amor proprius in nobis fuerit mortuus, vitia germinat, id eſt, deſideria mala, inclinationes cogitationesq́ʒ prauas ac vanas, quæ nos à deo abſtrahunt, inquinant, perturbant, ac impediunt. Ideo quidquid huiuſmodi ſenſerit homo, qui cordis ſtudet puritati, mox debet elidere, & ſeipſum abnegare, hoc eſt, vbicunq́ʒ deprehenderit ſe non dei gloriã, ſed ſemetipſum quærere, hoc illico deteſtari, abijcere debet, & perſequi. Hoc enim eſt ſeipſum abnegare, deſideria ſua non ſolũ non perficere, ſed velle, atq́ʒ conari, etiam non ſentire: & ſibiipſi, ac omni inordinato amori, tam erga ſe q̃ ad creaturas, mori. Debes igitur teipſum exire atq́ʒ

relinquere,ac ſine retractione cordis ſubijcere te deo, & hominibus propter deũ,& ſemper ſtare paratus reſignatus q; ad omne beneplacitum diuinũ, per quemcũq; tibi etiam illud innotuerit,in aduerſis æque ac in proſperis. Debes etiam ad hoc niti,quantũ potes,vt cor habeas à phantaſmatibus, & rerũ imaginibus,ſpeciebus ac formis nudum ac mundũ & ab omni (vt dixi) inordinata affectione erga te & quamcunq; creaturam liberum. Ad hæc maxime iuuat, neceſſariumq; eſt,iuge ſtudium euitandi multiloquium,loquendiq; occaſiones, ſciendi curioſitatem, curas & occupationes inutiles,ſenſuum affectatam oblectationem,& rerũ etiam neceſſariarũ tam ſuperfluitatẽ, q̃ inordinatũ amorẽ.

Porro vim animæ cõcupiſcibilem excitare debes,multiplicando deſideria feruentiſſime caſtiſſimeq; amandi deũ. Neq; enim ad hæc (vt dictũ eſt) eges ratiocinatione, aut acuta ſpeculatione intellectus,ſed affectus excitatione,quo indeſinenter aſpires ad deũ,flammigeris deſiderijs om̃ia tranſigens,omniaq; penetrans,nec alicubi quieſcas quàm in deo: optans eidem ſemper magis ac magis pla-

cere, deſiderantiſſimeꝙ eius beneplacitum amplecti: ſuſpirans etiam votis omnibus, vt ſublato om̃i interſtitio, omniꝙ impedimẽto ac medio amoto, eidẽ merearis cõiungi atꝙ vniri. In hoc ſtudio operæpretiũ eſt ad manum paratas ſemper habere aſpirationes ali quas & breues ignitasꝙ orationes, quibus diſcas eleuare mentẽ tuam in deũ iterũ atꝙ iterũ quotieſcunꝙ volueris. Has diuus Au guſtinus iaculatorias vocat, qa ſunt veluti ſagittæ amoris ignitæ, ex corde hominis in cor dei vulnerandũ emittendę. Huic nego cio libellus hic inſtitutus eſt, nõ abſurde pro pterea vocandus amoris diuini pharetra, vt pote varias habens breuiũ orationum ſagit tas in ſe reconditas, quibus inſtructus omni loco & tempore, hoc eſt non ſolum quando orare conſtitutum eſt, ſed etiam inter edendum, inter ambulandum, atꝙ adeò inter fabulandum vtaris, vndiꝙ occaſionẽ ſumens vt ſagittas, id eſt, deſideria amoroſa emittas in deum. Ad hoc enim conari debet cuius libet deum amantis animus, vt omnis actio, & tota vita ſua, ſit iugis perpetuaꝙ oratio, fiatꝙ aliquãdo vt iam nõ egeat ad orandũ

libro

libro, aut orationibus formatis, ſed omnia quæ videt & audit ſint ei liber, & materia eleuandi ſe ad deum, nec vnq̃ adeo occupationibus neceſſarijs eius diſcindatur aut diſtrahatur animus, quin confeſtim quãdocunq; libet collectus, valeat orando ad deum redire. Haud quaq̃ em̃ totus digreditur à deo, vel externe occupatus, ſed conatur, vt externæ quoq; actiones (quibus nõ pro curioſitate, ſed pro charitate, neceſſitate, obedientia've incumbere habet, imò etiam defectus & infirmitates ſuæ anſam atq; materiam ſibi præbeant orandi, atq; loquendi deo, adeò vt liberum ſit illi, ſine præuia alia anxia laborioſa've collectione ſpiritus eleuare ſe, & conuertere ad deum omni momento. Porro quàm efficax ſit affectiuum hoc aſpirandi exercitiũ ad delenda peccata, ad abolendam quoq; omnem deformitatem, & diſſimilitudinem animę ad deum, quàm deniq; valeat ad illuminationem, ſimplificationẽ, purificationem, inflammationemq́; cordis, & poſtremo ad abſorptionem vnionemq́; cũ deo, vix credi poteſt. Porro q̃d anima tũc guſtu diuini amoris ſentiat inebriata, inex-

plicabile eſt. Nempe quod ſentiri poſſit, dic, non poſſit. Cauendum tamen, ne huic exercitio immoderatius incumbenti gula quædam ſpiritualis, vel dæmoniũ meridianum imponat, vt vel aut immoderatio impetuoſæ ad deum conuerſionis, ſeu nimis vigoroſe caput lædat, aut impura in ſpiritualibus bonis oblectatio à deo fornicari faciat, vt in donis dei potius quieſcas aut oblecteris, quàm in deo. Quocirca opus tibi eſt diſcretione, & maxime vigilandũ, vt caſta deiformisq́; ſit tua intentio, vt neq; ſupra vires te nimietate graues, neq; aliud hic q̃ dei gloriã quæras. Argumentum autem in teipſo recipere potes diuini tractus, & rurſus ſynceri amoris ex te ad deum, ſi nihil quæris præter dei honorem & beneplacitum, ſi pariter dei donis non inflaris, nec propterea aſpernaris alios: ſi deniq; ad tuiipſius humiliationem, atq; ad omniũ quæ in te odis, aut odiſſe debes mortificationem, exercitia tua & dei dona conuertis. Et poſtremo: ſi inde quotidie te ſentis ſecundũ rationem ſaltem magis humilem, magisq́; deo ſubiectũ & reſignatum. At vero ſi deuotionis atq; amoris ſentimen-

ta propter delectationem (vt ſit in ſpiritualiter guloſis) quæris, aut in illis requieſcis, nec curas quomodo moriaris vitijs, quomodo virtutibus proficias, aut operibus bonis creſcas, (tametſi decies in extaſim mentis quotidie rapereris) in ſolis tamen adhuc naturalibus viuis, donis dei abutens, tuū commodū, requiē delectationemq; in ijs requirens. Et quoniam non quæris altiſſimum dei beneplacitum (quod in vera ſui abnegatione inuenitur atq; perficitur) quo plus proficere videris, eo in deteriora ſemper laberis. Cæterum nemo hic conqueri poteſt, ad ſapientiam hanc obtinendam ſibi libros, doctores, aut intellectus acumen deeſſe. Neq; enim multo labore, aut literarum ſtudio conquiritur, ſed à deo puris mentibus infunditur, idq; maxime humilibus, iuxta illud quod ſaluator dicit: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc. &c. Proinde hæc via doctis indoctisq; communis eſt, imò indocti & ſimplices affectu deuotionis ad Deum tracti, plerunque plus proficiunt, ad maioremq; cognitionem diuinorum (quàm experimentalem vocant) pertingunt,

quàm

quàm multi excellentiſſime etiam literati. Quia ſtudium hoc nō verſatur circa theorias, intellectualesq́ ſpeculationes: quare non eſt etiam neceſſarium ingenij acumen, ſed cordis munditia, & amor purus ad deū, hoc eſt, liber à creaturis, cum perfecta ſuiipſius relictione, quibus fit vt continua agatur eleuatio mentis in Deum. Et hoc eſt, quod ante dicebam: affectum præire & intellectum ſequi, quia in hoc negocio validior eſt affectio, quàm cognitio. Obſerua etiam: quàm nobilis eſt mens hominis, quæ poſſit etiam infinitum deſiderare: nam cum Deus ipſe infinitus ſit, nō vult amore finito à nobis ſed infinito diligi. Nihil autem in rebus eſt, quod in infinitū ſe poſſet extendere, præterquam deſiderium noſtrum. Sit ergo deſiderium noſtrū infinito amore, immenſoq́ affectu colendi, amandi & honorandi Deū. Eam ob rem multa in orationibus hic infra ſcriptis ponūtur, quę à nobis haud poſſibilia ſunt ita fieri, conſultiſſima tamē ſunt votis omnibus deſiderari & peti, qa quidquid petierimus à deo volentes, & impotētia noſtra ſola in cauſa eſt, vt non fiat quod volumus,

mus, iam deſideriū hoc(licet nunq̄ perficiatur) pro opere coronatur à deo. Siquidē ex corde noſtro(vt Saluator ipſe noſter pronūciat) procedit, vnde laudentur, aut damnentur opera noſtra. Atq; ideo vbi nulla opera conſequi poſſunt, cordis ipſa voluntas pro opere ſtat. Hæc cum in infinitū ſe extendere poſſit, infinitorū poteſt etiam ſibi operū laudem ac meritū à deo conſequi bona voluntas, licet, vt dixi, nequaq̄ eadē poſſit operari infinita. Neq; em̄ eo poteſt ſe extendere operandi virtus, quo poteſt volūtas. Vides ergo quantū conferat per deſideria & aſpirationes, excitata voluntate ſe à creaturis ad Deum conuertere, & preculis mentalibus amore ignitis ab immenſo immenſa poſtulare. Quandoquidem tanta eſt Dei munificentia, tanta benignitas, tanta largitas, vt deſiderijs tuis omnibus præſto ſit (quippe cū ipſe ſit, qui te deſiderare & orare facit) & nullum prorſus vel ſuſpirium vel gemitum ad ſe emiſſum redire ſinat ad te inane aut ocioſum. Aut enim (vt alia eius arcana, quæ in anima operatur, taceam) cor tuum clarius illuminat, aut efficacius trahit, aut dulcius

allicit, aut profundius vulnerat, aut vehementiori amore inflammat, aut nouam gratiam infundit, aut datam auget & roborat, aut mentem tuã ſuauius reficit, aut ſibi agglutinat & vnit. Prouidendum autem nihilominus ſapientiſſime, vt omnia opera tua hoc eſt, quidquid agere, quidquid volueris euitare, præcedat pura ac deiformis intentio, qua nihil ibi quæras, q̃ gloriam & beneplacitum dei. Interueniãt alij medij fines quilibet, vltimus ſit charitas, qua hæc & illa velis, ideo quia in omnibus optas, vis & quæris gloriam & beneplacitum dei. Pari modo ſequatur omnes conatus tuos & opera, gratiarũ actio & oblatio, qua tua hæc quantulacunq; dei gratię aſſcribẽda, ſimul ac Chriſti omnia merita offeras eidem in vnione charitatis illius quæ illum de cœlis ad terras traxit, & ad patienda agendaq; eiuſmodi in carne aſſumpta impulit. Hoc modo pro Chriſti amore quomodolibet à te factum (licet ex ſe vile ſit & exiguum) adeo tamen ex coniunctione meritorũ Chriſti nobilitatur, adeo ex vnione diuinæ charitatis ſanctificatur, vt & Chriſti merita operaq; eius tua fiant, & tua
Chriſti

Chriſti, atq; ideo ſic tua omnia oblata, patri erunt acceptiſſima. Quippe quæ ita meritis vnigeniti ſui immerſa atq; abſorpta ſunt, quomodo gutta aquę nobiliſſimo vino multo infuſa, quæ ſimul iam non vt aqua, ſed vt vinũ propinatur ac bibitur. Accedit quod ex frequenti vſu orandi aſpirandiq; ad deũ non poſſis aliud exercitium habere vbi ſæpius tibi occurrant defectus tui atq; diſſimilitudo ipſa tua qua diſformis es à Chriſto, quàm in huiuſmodi aſpirationibus ac petitionibus, vbi pro charitate, pro humilitate, pro cæteriſq; virtutibus deo ſupplicas, quæ hic tibi præſcribuntur (& potiſſime vbi circa vitam Ieſu in meditationibus & roſario applicantur.) Nam quoties virtutem, aut amorem aut reſignationem à domino petis, mox in mentem veniet, quomodo huic voto tuo paulo ante contraria geſſeris, & dolebis: decidet etiam à te & peribit, ſi pro illo tempore mala aliqua cogitatio, inſtinctus've orationi tuæ contrarius in corde tuo verſetur: quandoquidem ex diametro pugnantia vota ſimul in te eſſe non poſſunt. Aſpirando igitur ad deum, aut pereat neceſſe eſt, quid-

quidquid in corde tuo ante mali natum fuerat, aut ipſa aſpiratio languens ac in ſeipſam recidens ad deum non perueniet, quippe quam non valet impuritas cordis effundere. Porro qui rarius aut nunquam corde reuertuntur ad deum, & quorum corda terrenis deſiderijs ſunt quaſi viſco quodam oblinita, adeo vt per mentalem orationem ad deũ ſe erigere nequeunt, nec corda ſua effundere, offerre, reſignareq́ deo: multa ſæpe & grandia peccata mente concipiunt, ac quodammodo parturiũt, quæ nec plangunt, nec ſe reprehendunt: quia oculi eorum, id eſt puritas & integritas cordis, obtenebrati ſunt, quare ſeipſos non vident. Caueas igitur omni ſtudio, nec verſari intra te ſinas vnde libertatem amittas, cor tuum conuertendi dirigendiq́ ad deum tuũ. Sine hac enim, neque ſalus, neq́ regnum dei intra nos eſſe poteſt. Atq́ ideo ſi illam amiſeris, plus amiſiſti quam cœlũ & terram. Quid enim conferet tibi aut cœlum aut terra, aut ſi etiam omnem ſcripturam intelligeres, vniuerſumq́ mundũ lucrifaceres, aut cunctis in mundo egẽtibus opem ferres, ſi interea cor

tuum

tuum ita fuerit ad creaturam aliquam conuerſum, vt ſe nequeat cõuertere, leuare, atq; effundere in ſuũ creatorem. Quandoquidem & ſcripturæ, & opera miſericordiæ, & alia quæq; exercitia nobiliſſima, nõ ob aliud nobis collata ſunt, quàm vt horũ adminiculo in deũ reuertamur, ipſi placere geſtiamus ipſiq; internũ beneplacens, ac iuge holocauſtum efficiamur. Itaq; ad hoc ſemper eniti debemus, vt cordis habeamus puritatem, qua idonei ſimus ad diuinæ gratiæ influxus recipiẽdos, ad amorẽ noſtrũ in deo ſtabiliendum, atq; figendũ, & ad pleniſſimã abnegationem & reſignationẽ noſtri. Hæc nãq; abnegatio reſignatioq; ſui, qua ſemetipſum omnimodè homo relinquit, exit, ac ab om̃i proprietate ſe nudat, & plenè ſe deo in omne beneplacitũ offert atq; reſignat: clauis eſt qua ſemper pateat homini porta introeundi in deum, & deo introeundi in hominẽ. Itaq; in hoc libello primo mẽtales aliquæ aſpirationes, & allocutiones ad deum, quæ ad purgationem peccatorũ, purificationemq́; cordis, meditandi, orandi, gemendiq; exercitiũ congruunt, deinde quæ vitiorũ expulſionẽ, vir-

tutum infuſionē, perfectionēq; flagitant, locatæ ſunt. Tertio, quæ dei beneficijs recolendis, & inflammādo affectui ſeruiunt, aſpirationes ſequūtur. Poſt hæc exercitiū quoddā quo animus pius ex omnibus quæ agit, ex omnibus etiā quæ occurrūt, aſſueſcat orandi ſumere occaſionē, & materiā aſpirandi ad deum. Poſtremò generalia quædā exercitia de paſſione domini, de morte ſalutari, & id genus ſimilia, libellum claudunt.

Effuſio cordis, ſeu meditatio animæ, peccata & ingratitudinē ſuam coram deo plangētis, & ſui reconciliationē atq; purgationē flagitantis, cum alijs id genus ſuſpirijs, quę digna ſunt etiam frequentari ab Euchariſtiam ſumpturis.

OMnipotens æterne deus, cui ſoli omnis debetur honor, gloria & gratiarū actio, en ego infelix, indignus ac ꝑfidus ille peccator, hactenus tibi rebellis & ingratus, venio ad te

creato-

creatorem meũ,deum meum,redemptorem meum,miſericordē iudicē, & ſaluatorē meũ, accuſans meipſum, & tibi confitens omnes abominationes,ſcelera & peccata mea, quibus nomen ſanctũ tuum blaſphemaui,præcepta tua trangreſſus ſum, voluntatē tuam contempſi,dona & opera tua in me deſtruxi animã & corpus meũ pollui, vires, quibus tibi ſeruire debueram peccando eneruaui,& ad ſeruiendũ tibi me inde inutilē & infirmũ feci gratias ac munera tua in contumeliam tuam verti: ad charitatē deniq; & miſericordiam ac beneficia tua,quibus vias meas cõcluſiſti,hucuſq; frigidus atq; lapideus perſeueraui. Quid ô manſuetiſſime, q; inſtinctus tuos tam ſæpecõtempſi,longanimitatē tuã ſpreui? Et nõ ſolùm hanc meã ſed alias quoq; innumeras animas, quas tu ſanguine tuo pretioſo mercatus es,pro quibus etiã redimendis tu incarnari,pati,crucifigi ac mori dignatus es,ego tibi iterum abſtraxi,ſeduxi, fœdaui & hoſti tuo diabolo animicidæ in mortē tradidi. O miſericordiſſime: atq; mitiſſime domine deus meus, in huiuſmodi prauitate heu nimis diu obſtinatus manſi,

abutens benignitate tua & omnibus donis tuis, negligens bene agendi occaſiones, omnibúsque modis tibi & bonis hominibus rebellis. Heu pijſſime Ieſu, ꝗ modo etiam cum in honorẽ & beneplacitũ tuum me totum tibi offerre deberem, maneo totus ingratus, veteribus peccatis meis noua cumulans, in ſeruitio tuo tepidus, negligẽs & Indeuotus, & à te auerſus, ad creaturas. Indignũ eſt igitur, vt oculos meos ad cœlos leuem qui etiã omnibus creaturis, atq; adeò vita ipſa & aura qua foueor, prorſus indignus ſum. Verũtamẽ quo fugiam à facie tua domine deus meus? vbi abſcondam me ab ira tua? Quis recõciliabit me tibi? Nunquid non pater meus es tu? cuius miſerationes nunq̃ cõtinere ſe poſſunt, cuius pietas nõ poteſt cõcludi? Ego verò, licet filij nomine indignũ me feci, agnoſco tamẽ non aliũ patrẽ, præter te domine. Quapropter ad pedes miſericordiarũ tuarũ curro: ibi proſtratus per omnipotentiã, ſapientiam, bonitatẽ tuam, & per infinitã miſericordiã tuam (qui es miſerationũ abyſſus) obſecro te, ignoſce, purifica & libera me à peccatis meis omĩbus, per me-

rita

rita vitæ &paſſionis tuæ. Recipe me in gratiã tuam, qua me teneas, confirmes, dirigas, atq; poſſideas ad gloriã tuam, & ſecundũ æternũ beneplacitũ tuum. Vt autẽ exaudiri merear celerius, dulcis Ieſu fili dei viui, qui te aduocatum & mediatorẽ inter nos miſeros & patrem tuũ cõſtituiſti, obſecro te per charitatẽ illam, quæ te de cœlis traxit in vterũ virginis, & de vtero virginis per paſſionẽ ad ignominiam crucis, perq; ſingulas guttas tui ſanguinis pro me effuſi, vt ſanctiſſimæ vitæ ac paſſionis tuæ meritis atq; virtutibus me dones, & gratiæ tuæ intra me iuge habitaculum facias: (Si ad Euchariſtiã ſtatuis ſumendam accedere, hæc adde) dignũq; me facias ad recipiendum dilectionis tuæ pignus viuificum, corpus videlicet tuum in ſacramẽto digniſſimum, ad gloriam tuam, & ad animæ meæ, cunctarúmque animarum ſalutem & profectum. Quo tibi coniunctus ſuauiſſime Ieſu: mundo moriar totus: tibi verò ſoli deinceps viuam, & caſtiſſimo feruentiſſimóque amore inſeparabiliter inhæream.

Suſpiria gementis animę, pro peccatis ſuis ad deum clamantis.

HEu deus meus & pater miſericordiarum, vt quid toties offendi te patrē & creatorem meum. Dominator vitæ meæ, ecce vides: quia non eſt in me bonum, nec ſanitas animæ meæ. Domine miſerere mei, ſana animā meam, quia peccaui tibi. Sana me domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero, quia laus mea tu ſolus es. Heu domine deus meus, quāta ſunt vulnera mea, quanta infirmitas, quanta vilitas & prauitas mea, pro quibus tu ſanandis crucifixus es & occiſus. Cui cōquerar ò domine omnia mala mea aduerſum me, q̄ tibi ſaluator & redemptor animæ meæ. Deus meus propitius eſto mihi peccatori. Ieſu fili dei viui miſerere mei, quia nihil tibi impoſſibile eſt, quàm miſeris nolle miſereri. Redde mihi ò miſericordiſſime Ieſu gratiam tuam. Recipe me iterum in amicitiam tuam. Non ſecundum merita mea, ſed ſecundum bonitatem tuam reſpice in me clementiſſime domine deus meus. Dulcis Ieſu, quàm amabi-

lis

lis eſt gratia tua, quàm ſuauis amicitia tua: ne (quæſo) abijcias me propter peccata mea. Benigniſſime domine Deus meus, quid aliud ego miſer & infelix peccator poſſum, quàm peccare: & quid tu ò optima & infinita bonitas aliter potes, q̃ miſereri & parcere: fac ergo tu ſecundũ bonitatem tuam, quia ego infeliciſſimus agere non deſino ſecundum malitiam meam. Miſericordiſſime domine deus meus, da mihi pœnitẽtiæ lachrymas, quibus ex abyſſo cordis mei doleam, & lugeam peccata mea. Da mihi dolorem perfectiſſimæ contritionis, & lachrymarum flumina iugiter fluentia, quia te deum meum, & creatorem meum contempſi. Emollias quæſo ſaxeum hoc pectus meum, inflamma frigidiſſimum cor meum, vt lachrymæ fluant mihi die ac nocte, & dolor ſit cordi meo continuus, quòd non amaui, quòd ſpreui, quòd etiam offendi te domine deus meus. Quid faciam domine Deus meus, vt placeam tibi, qui vſq; hodie totus ſum abominabilis, & plenus iniquitate. Deducant oculi mei lachrymas per diẽ & noctem, & non taceam, quia alienum me feci à

gratia creatoris mei. Domine deus meus quid mihi ſine te viuere? Recipe me in gratiam tuã. Oſtẽde mihi miſericordiã tuã, miſerator & miſericors dominus. Heu me miſerũ & infelicẽ domine deus meus, quòd vnq̃ offendi te. Ah vtinã non feciſſem, vtinã non peccaſſem. Non ò ſinas clementiſſime deus meus, nõ ſinas vt peccata mea diuidant inter me & te. Si caſtigare me vis domine, nõ in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei domine quoniã infirmus ſum, ſana animã meam quia peccaui tibi. Non imputes quæſo mihi peccata mea, nec propterea gratiã tuam à me auferas, aut minuas. Sed quo ego ſum infirmior, oſtẽde tu in me diuitias bonitatis tuæ, cunctis palã fiat in me, quia miſerationes tuæ ſunt infinitæ atq; immenſæ. Obſerua in pſalmis, & veteri teſtamento varijs in locis, vnde multa colligi poſſunt, quæ pœnitẽtiæ gemitus excutiunt.

Quando ſingulari aliquo exceſſu grauatã ſentis conſciẽtiam tuã, conuerte cor tuum ad dominũ, & dic.

O do-

O Domine Ieſu Chriſte, colende, adorande & metuẽde. Heu infelix ego viliſſimus & ingratiſſimus peccator, nunc iterũ atq; iterũ gratiam & bonitatẽ tuam, hoc N. N. dicto aut facto offendi maieſtatẽ tuã, inhonoraui, & te amatorẽ atq; benefactorẽ meũ, qui mihi ſuper omnia chariſſimus, dulciſſimus, atq; deſyderatiſſimus eſſe debueras, abieci. Heu domine deus meus doleo, quia peccaui. Et quia nimis parũ doleo, vtinã tu cor meũ vulneres, & impleas dolore amariſſimæ perfectiſſimæq; cõtritionis. Et quia ex me eſt culpa & perditio, ex te verò gratia & miſeratio: in virtute tua nũc ſtatuo, ſuper te enixus, ab omĩ deinceps offenſa eiuſmodi cauere, omnemq; peccãdi occaſionẽ per gratiam tuã euitare. Quapropter ò dulciſſime, deſyderabiliſſime Ieſu Chriſte, domine deus meus, nũc ego cor meum ab omni creatura auerto, & tibi illud fideliſſimo vnicoq; amatori meo offerens aſſigno, rogans vt illud in cor tuũ abſorbeas, adeòq; tibi totũ ſpiritũ meum vnias, vt poſt hac aliud non ſit mihi velle aut nolle, q̃ tui cordis beneplacitũ. Ei igitur ò fideliſſime amator Ieſu Chriſte, om

nem culpam,omnéq; impedimentũ amoris tui,& quicquid inter te & me non rectè mediat,quæſo aufer à me.Purifica me in roſeo ſanguine tuo à cunctis vitijs,& ab omni impuritate,ac proprietate intẽtionis & amoris, vt nihil in me remaneat,quod caſtiſſimo amore tui non inflammatum igneſcat.

Alia breuis oratio.

O Agne dei manſuetiſſime, propter innocentiſſimã mortem tuam,peccatis meis ignoſce,& emendationem vitæ meæ ſecundũ cor tuum mihi tribue.

Oblatio pro peccatis abundè ſatisfactoria.

CLementiſſime pater miſericordiarum & deus totius conſolationis,in emendationem peccatorũ,ac vitiorũ meorum omniũ offero tibi vnigeniti tui ſatiſfactionem pleniſſimam,ſed acerbiſſimam, hoc eſt eius amariſſimã paſſionem ac mortem innocentiſſimã.Et in ſuppletionem omnium negligentiarũ atq; defectuũ meorum, ſed in gratiarũ actionem pro cunctis beneficijs tuis, offero tibi eiuſdem innocentiſſimæ

mæ vitæ actus, virtutes ac merita. Porrò in gloriam ac beneplacitū tuum offero tibi corpus & animā meam, vt illa tu poſſideas atq; regas, quomodo tibi maximè placuerit, me totum in laudem & honorem tui conuertas, adeoq; tibi me vnias, vt nunq̃ velim, aut velle poſſim, q̃ quod tu vis, & tibi placet. Hactenus quæ ad purgationē animæ, peccata ſua lugentis, compunctionem adminiſtrant. Porrò ad illuminationem cordis, & inflammationē diuini amoris, maximè confert amorem dei, (quem ipſius benignitas, & beneficia, erga nos manifeſtant) recolere. Familiare enim eſt omnibus, & natura ad hoc ipſum extimulat, amantem redamare. Verum inter cætera dei beneficia, nihil adeò ipſius charitatem ergo nos explicat, quomodo beneficiū noſtræ redemptionis, hoc eſt, ſeruatoris noſtri vita ac paſſio. Proinde conuenit illam ſæpius reuoluere in corde. Ad hoc ſeruiunt quindecim meditationes iampridem à nobis æditæ: ſed nunc addita etiam longiori præfatione locupletatæ, atq; circa finem huius Libelli inter exercitia denuò impreſſæ.

Sequi-

Sequitur effuſio cordis,ſeu meditatio gratias agẽtis pro beneficijs dei generaliter, quæ poteſt cõgruè poſt Euchariſtię ſumptionẽ, vel alio tempore exerceri. Et certè nullus deberet viuere Chriſtianus, qui hoc aut ſimili modo quotidie deo non gratias ageret.

OMnipotens ſempiterne deus, vita mea, omne bonũ meũ, & vniuerſa felicitas mea tu es. Ego autem terræ puluis, & miſer vermiculus terræ, ante faciẽ tuã ſto, te laudare, tibiꝗ́ gratias agere geſtiẽs. At quia hoc dignè non poſſum, nec quod tibi offeram habeo, offero tibi omniũ ſanctorũ angelorum, hominũꝗ́ virtutes ac merita, imò & Chriſti Ieſu filij tui laudẽ & amorẽ (quibus te colit & amat) pro omnibus miſericordijs, donis, & beneficijs, mihi ingratiſſimo à te domine deus meus collatis. Tibi enim confiteor amãtiſſime pater, tibi gratias ago, teꝗ́ ado-

ro & laudo, quia tu me ex immenſa charitate,& gratuita bonitate tua creaſti ad imaginem & ſimilitudinē tui. Tu varias propter me creaturas in vſum & miniſterium creaſti,tu me ab exordio vitæ meæ vſq; ad hanc horam in corpore & anima pauiſti & fouiſti,tu me ab innumeris periculis animæ & corporis atq; malis,aut præſeruaſti, aut eripuiſti,tu in peccatis grauiſſimis me putidũ aberrantē,tibi cõtumelioſum, & mũdo ſcandaloſum,tot annis lõganimiter toleraſti,nec quod millies atq; millies commerueram,in ſceleribus meis me dãnaſti (heu quot interea,qui minus te offenderunt q̃ ego,ad inferna deſcenderũt)ſed ad ſalutis viam,licet ſurdum, varijs inſtinctibus atq; modis admonuiſti,& reducere refugientē ac renitentem voluiſti, donec tandē potenti virtute malitiam meã tua benignitate ſuperans, & cũcta circa me ordinans,ad hunc ſalutiferũ viuendi ſtatũ me cõuertiſti: nõ deſinens præterea huc vſq; benefacere mihi,qui tibi in omnibus ingratus,inutilis atq; infidelis ſum(Hîc poſſent cogitari ſingularia beneficia tibi collata,& pro illis gratiæ agi.) Cæterũ vt tecũ

in perpetua gaudeam felicitate, nullaq́ pec‐
cata quamlibet grandia, me queant à te ſepa
rare, filium tuũ præmiſiſti in mundũ, quem
etiam in dolores, pœnas ignominias, ad cru
cem, & mortẽ propter me expoſuiſti. Eia be‐
nigniſſime Ieſu dei vnigenite, ad te nunc me
conuerto agne manſuetiſſime, & mitiſſime
Ieſu, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ
tribuiſti mihi? Adoro, laudo, benedicoq́ te
pro incarnatiõe paſſione, & amariſſima mor‐
te tua, pro laboribus & fatigationibus tuis,
pro incommodis atq; ærumnis, & pro qui‐
buslibet aduerſitatibus atq; triſtitijs, pro pœ
nis & doloribus, pro vulneribus ac liuori‐
bus pro lachrymis atq; gemitibus, pro cõtu
melijs, opprobrijs, atq; ſanguineis guttis
pro me effuſis: & potiſſimè pro maxima ad
nos charitate tua, quã vel in hoc maximè
nobis oſtendiſti, q; teipſum etiam in cibũ no
bis ſumendum dediſti, & vſq; in finem ſeculi
hoc modo in ſacramẽto te nobiſcum man‐
ſurum promiſiſti, ad cuius participationem
ſæpius, & etiam nũc, dignatus es me admit‐
tere. Pro quibus omnibus, cùm aliud nõ ha‐
beam benigniſſime Ieſu, offero tibi temetip‐
ſum,

ſum,id eſt,merita,virtutes,gratitudinē,paſſionem & mortē tuam, ſimulq́ omniũ ſanctorũ tuorũ,in vnione charitatis illius, quæ de cœlis te traxit in aduerſa multa,& vſq́ in mortē crucis:& qua patri tuo ibi te obtuliſti pro nobis. Deſidero autē ò amabiliſſime Ieſu (ſi poſſibile foret) etiā ſolus tam digne te laudare, tam diligere, tamq́ fideliter ſeruire & placere tibi ad gloriā tuam, quantũ omnes & ſinguli,tam angeli q̃ homines, te laudant & diligunt. Et propterea etiā in horum omniũ vnione laudis ac amoris offero & reſigno tibi meipſum per ſuauiſſimũ cor tuũ, in omne beneplacitũ tuum,ad gloriā tuam, quo mecũ meq́ ita facias, vt ablata omni rebellione in me erga te, ſola tua ſanctiſſima, atq́ laudabiliſſima voluntas ſemper in me, de me,per me,& in omnibus fiat.

Vbi malas ſuggeſtiones ſenſeris, quantocyus dic.

DOmine deus meꝰ,quotieſcũq́ maligna hæc cogitatio mihi ingeritur inuito, toties te adoro,laudo & benedico,& toties pro illis tibi laudes

laudes illas ſuauiſſimas omniū angelorum offero & remitto,& præcipuè eas,quas ſpiritus ille reprobus,qui mihi talia nunc ſuggerit,modo tibi caneret,ſi in bono perſtitiſſet, vt vel hoc modo in tui laude illius expleam vices.

Contra impugnationes vitiorū.

Piiſſime domine Ieſu Chriſte,en miſerū & mendicū & viliſſimū me peccatorē, ad miſericordiæ tuæ pedes prouolutū. En vulnera, plagas, languorem & vitia aïæ meæ, quæ ipſe mihi heu peccando intuli, & nunc oculis miſericordiæ tuæ ſanāda exhibeo. Clemētiſſime Ieſu miſerere infirmitatis, captiuitatis, & infelicitatis meæ, quibus miſera anima mea ad terrena deprimitur,& in varia deſyderia diſtrahitur. Amantiſſime Ieſu, per charitatē illam: quæ te in manus peccatorū tradidit ligandū & crucifigendū,& quæ te tribus horis in cruce, magis q̄ claui illi manibus ac pedibus tuis infixi cōtinuit, obſecro te ſolue iugū captiuitatis meæ,& à cunctis vitijs, cōcupiſcētijs, & prauis inclinationibus libera me. Ab omnibus verò inſidijs

hoſtium,

hoſtium, & in omni tentatione protege me Extingue & occide in me radicitus omnem priuatum amorem, omnes inordinatos mo tus, paſſiones & affectus, omnẽ fomitẽ, omnemq́ pronitatẽ, & inclinationem ad ſuperbiam, iram, inuidiã & vanam gloriã, &c. Ab his enim ſolus tu liberare me potes. Dulcis Ieſu, reple me gratia tua, & perfectiſſima charitate tua, conſerua me in omni bono, vt omnes peccandi occaſiones fugiam, tentationes fortiter vincam, carnem ſpiritui ſubdam, vitia perſequar & exterminẽ, inſpirationibus tuis obediam, diaboli inſidias & fraudes euadam, nulli peccato vnq̃ conſentiam, nihil quod tibi diſplicet fouea, ſed honorem, laudẽ, & gloriam tuã ardentiſſime ſitiam, fideliſſime promoueam, & me totũ in beneplacitũ tuũ expendam. Suauiſſime domine deus meus, da mihi vt mundo ac ſimplici corde tibi ſoli inhæream, & caſtiſſimo, feruentiſſimoq́ amore tibi inſeparabiliter vniri merear.

Quando tentatio perſeuerat eadẽ te moleſtans, nec recedit, offer & re-

ſigna te dño, non vt placeat quod ingeritur cõtra deum, ſed quod moleſteris, & ꝙ tentatio non tollatur, niſi ſecundum diuinũ beneplacitũ.

Ad hæc ſequitur cordis reſignatio.

BEnigniſſime domine Ieſu Chriſte, ſi tibi placet, vt abominabilis & immũdus ego peccator ab illis etiã abominabilibꝰ & immũdis tẽtationibus cõtra voluntatẽ meam impugner & moleſter, fiat volũtas tua. Tu ſcis ꝙ indignus ſum vel in minimo à te conſolari, & ꝙ in omnibus tibi ſemper infidelis ſum, à te recedendo, euagãdo, & cũ creaturis per inordinatum amorẽ à te fornicãdo, ideo trador immũdus his paſſionibus. Itaq; in vnione reſignationis tuæ, quã te patri obtuliſti ad paſſionẽ & mortẽ, ego quoq; me tibi reſigno ac offero ad quæcũq; tu vis me pati, aut tentari, quomodo, & ꝗdiu tibi placuerit. Scis enim miſericordiſſime Ieſu, ꝙ nulla eſt virtus mea, & ꝙ magna inſtabilitas, prauitas, & infirmitas mea, ideo in te ſolo confido, & de

viri-

viribus meis deſpero. Domine deus meus, in miſericordia tua ſuſcipe me, & in virtute tua cuſtodi me, & in gratia tua protege me, & cōfirma me, vt omnia aduerſa, omnia ten tamēta, tam interna q̃ externa ita ſuſtineam, ita vincam, & in illis tam fortis, tam patiens, tamq; fidelis tibi inhæream: vt ad mortē vſq; peccato nulli conſentiam, nullā conſolationem extra te requiram, nullamq́; recipiam, vt omnis tentatio mihi tuā augeat gratiam, & nulla ſit ad ruinam. Amen.

Multa ac varia ſunt delicta linguę, pericula inductiua, ac dāna multiplicia: ideo ſæpenumero orandū eſt, ac propoſitū bonū renouandū, contra linguæ incōtinentiam. Qui enim in lingua non delinquit, teſte Iacobo, perfectus eſt vir. Et qui linguæ incontinēs eſt, huius nulla eſt religio.

DOmine deus meus lego, & experior, quanta eſt infirmitas, quanta lubricitas linguæ: da mihi gratiā frenandi &

continendi linguam meam. Domine deus meus, quoties propoſui refrenare linguam, vt non dicerem niſi quæ ad neceſſitatē meā, aut proximi eſſent ædificationē: & non emendaui me, inſtitutū neglexi. Legimus quantam gratiā his prebuiſti amabilis Ieſu, qui à loquēdo abſtinuerunt: donec viriliter loqui didicerunt. Quantū placuit tibi ſilentiū in Catharina Seneſi, in Maria de Oegenes, &c. Domine Ieſu, eripe me à lingua mea. O ſi dulcis domine deus meus des mihi gratiā hanc, vt non ſoluam linguā meā ad loquendum niſi in laudē & honorē tui, aut pro beneplacito tuo. Da mihi domine deus meus linguam mutā ad omnia mūdana, vana, mala, & ocioſa. Conclude linguā meam, obtura aures meas, purū fac cor meum & incontaminatū ab omni detractione, ab omni murmuratione, ab omni deriſione, ab omni carnalitate, ab omni vanitate, ab omni ſcurrilitate, dulcis domine deus meus. Ieſu piiſſime, da mihi linguā ſecundū linguam tuam: aures ſecundū aures tuas: cor ſecundū cor tuum, & omnia mēbra ſecundū membra tua: vt gratia tua ducente, merear te imitari, tibi

merear

merear conformari,per te merear præſerua-ri,tuo lumine dirigi,tui amore accendi,tua cuſtodia protegi,tuis virtutibus ditari,tuis meritis ſaluari.Amen.

Orátiones pro virtutibus impetrãdis, & ad excitandum animum per aſpira-tiones mentales ad virtutũ amorem.

Pro paupertate ſpiritus,& morti-ficatione amoris rerum tem-poralium. Oratio.

DVlciſſime Ieſu Chriſte,obſecro te per paupertatẽ & nuditatẽ tuã,qua cum diues eſſes propter me egenus fa-ctus es extra patriã natus,in exiliũ fugatus ſub paupere virgine tenuiter educatus,ve-ſte & cibo humili ac modico vſus, ſine hoſ-pitio ſæpius in monte pernoctatus, de elee-moſynis piorũ hominum ſuſtẽtatus,in paſ-ſione tandem amicis deſtitutus,â diſcipulis derelictus,nudus crucifixus,atq; adeò pau-per,vt nõ haberes quo caput tuũ ſpinis vul neratum reclinares,nec quo æſtuantiſſimã ſitim refocillares. Sed & decore,robore,in-columitate,forma,ſpecie hominis, & ad ex-

tremum vita propter nos priuatus, in alieno ſepulchro es poſitus. Eia piiſſime Ieſu, aufer à me mundi,& creaturarum omnium inordinatum amorem, vt nihil extra te concupiſcam, nulli creaturæ inhæream, nusq̃ niſi in te requieſcam. Da vt mihi nihil aſcribam, nihil retribuam, nec in aliquo donorũ tuorum, ſed in te bonorum omnium largitore gaudeam, & tuam benigniſſimam, miſericordiſſimamq́ꝫ largitatem erga me admirans, & laudans, nil in omnibus donis tuis niſi te cupiam, queram, & intendam. Chriſte Ieſu amator paupertatis, qui vitam tuam in hoc mundo ab infantia vſqꝫ ad mortem crucis paupertate conſecraſti, illumina cor meum ad cognoſcẽdam & contemnendam omnium rerum temporaliũ vilitatem, inſtabilitatem, & deceptionem. O Ieſu mi amabiliſſime, & ex millibus electe, qui nudus propter me, deformis, ac ſanguine cruẽtatus pendes in cruce: ſis tu mihi pretioſiſſimus vnicusqꝫ theſaurus. Eſto animæ meæ, cordis mei ſatietas contra omniũ aliarum rerum, quæ extra aut ſine te ſunt appetitum. O deſyderabiliſſime Ieſu pro vniuerſo mun-

do,

do,quem tibi offero, & tui amore relinquo, tibiq; reſigno,da mihi feliciſſima cõmutatione teipſum pauperem,nudũ, & pro me crucifixum. Eia Ieſu amabiliſſime & deſyderabiliſſime præ omnibus te deſydero. O paupertas deſyderatiſſima, in Chriſto Ieſu amatore ſponſo meo ſublimiter conſecrata: vtinam te præ omnibus rebus & delitijs mũdi amicam & ſponſam accipere merear: Eia deus meus, da mihi omnium rerũ temporalium præ tui amoris magnitudine obliuiſci, & omnem gloriam, omnémq; conſolationem mũdanam aſpernari. Domine Ieſu Chriſte da mihi tui amorẽ in omnibus neceſſarijs corporis, inopiam, tenuitatem, vtilitatem, penuriam, priuationẽ, & indigentiam ex toto corde meo ſemper optare, quærere, diligere & amplecti, & in vera diſcretione, patientia, perſeuerantia, & gratiarũ actione hilariter longanimitérq; perpeti. Tollantur mihi omnia deus meus, tu ſaltem mihi remaneas: tu me poſſideas vita mea, refectio mea, exultatio mea, quies mea, beatitudo mea.

Pro humilitate.

IESu Chriſte, amator & magiſter humilitatis, qui abiecta huius mundi eligis, vt confundas fortia: quiq́ ſecreta tua abſcõdis mundi ſapientibus, & reuelas ea paruulis, apud quem etiam abominabile eſt, quod altum eſt hominibus: infunde cordi meo perfectiſſimã, tibiq́ acceptiſſimam humilitatem. Dulcis Ieſu, qui dixiſti: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: doce me vt feruentiſſimo deſyderio optẽ, gaudensq́ accipiam omnẽ humiliationẽ, vilificationẽ, atq́ cõtemptũ meijpſius. Extingue pijſſime Ieſu in me appetitũ omnẽ inanis gloriæ, vt ex toto corde meo cupiam gaudeamq́ neſciri, cõtemni, vilis reputari, & opprobria pati. Eia pie Ieſu, fac vt tibi ſoli placere cupiam, & propter te nemini deſplicere timeam. Fac vt propriam vilitatẽ, miſeriam, inconſtantiã prauitatem, & q̃ nihil ſum, vere cognoſcam & ex animo deteſtabilem me ſentiam: atq́ ab alijs ſentiri cupiam. Iterũ te obſecro per humilitatẽ cordis tui miſericordiſſime Ieſu, da mihi humilitatẽ ſpiritus, vt in ſeruo tuo nihil vnq̃ de peſte ſuperbiæ aut vanæ gloriæ inueniatur. Dulcis Ieſu libera & cuſtodi me

ſem-

ſemper ab hoc malo, quocunq; modo illud me poſſit inquinare, quãdoquidẽ tot bonæ ſpei homines, & qui perfecti in gratia tua videbantur, ex hac peſte perierunt.

Alia pro humilitate.

HVmilime Ieſu, qui in hoc mũdo vilia, acerba, probroſa & ignominioſa pro me paſſus es, da mihi profundiſſimã humilitatem, da mihi abyſſalẽ cognitionẽ meæ vilitatis, qua contẽpler ſimul altitudinem & bonitatẽ diuinæ tuæ maieſtatis. Attendã quãta beneficia cõtuliſti, quantã paupertatẽ, pœnam & ignominiam ſuſtinuiſti pro me, hoc eſt, pro tam vili vermiculo terræ & ſordido puluere, tanta maieſtas, tanta ſapientia, tanta bonitas. Et quanta ẽ diuerſo facinora, quantam ingratitudinem, quantũ cõtemptũ ego rependi? Hæc quæſo dulciſſime Ieſu ſint omni momento in oculis, in corde, & in continua cogitatiõe mea, videlicet tua bonitas atq; maieſtas, & mea prauitas ac vilitas, vt inſatiabili deſyderio ſemper ardeam, & pro tui honore, & pro mei contemptu nihil me æſtimans, nihil aliter de me ſentiens, q̃ de vi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

liſſimo peccatore, & huius mundi omnium hominum infimo atq; nouiſſimo, & idcirco viliſſima quæq; ac nouiſſima eligam, omnibus creaturis indignum me cenſeam, & de contemptu mei, atq; iniurijs & moleſtijs ex toto corde gaudeam. Eia pijſſime Ieſu exaudi me, & infunde mihi humilitatem, quantam tu in me velles maximè tibi acceptam. Rogo te pie & exorabilis deus per omnipotentem & pijſſimam bonitatē tuam, qua iuſtificas impios, & viuificas mortuos, qui mutas peccatores & non ſunt, vt non permittas duriſſimam peſtem ſuperbiæ dominari, nec aliquatenus ineſſe ſeruo tuo. Dulcis Ieſu obſecro te per humilitatem cordis tui nusq̃ veniat in animam meam, nunq̃ in aliquod membrum corporis, aut ſenſum animæ meæ, quod ſuperbiam, arrogantiam, propriam complacentiam, aut inanem gloriam vllo modo redoleat

Oratio pro integritate ſanctimoniaq; cordis, & perfectione virtutum.

Benig-

BEnigniſſime Ieſu Chriſte, amabiliſſime ſponſe virginitatis, amator caſtitatis, pudicitiæ cuſtos: qui verbo & exēplo mundum erudiens, cœleſtē in carne vitā, hoc eſt, caſtam atq; virgineā docuiſti: nec alia matre q̄ virgine concipi ac naſci voluiſti, quiq; ſanctiſſimas virgines Catharinā, Barbarā, Vrſulam. N. N. atq; alias innumeras ad ſui contemptū, ad cœleſtis theſauri, id eſt, virginitatis cultū, ad tui deniq; amorem ac deſideriū adeo roboraſti, vt mallēt corpora ſua varijs pœnis tradere ac morti q̄ aut amiſſa virginitate ſemel pollui, aut immūdis amoribus abs te alienari. Obſecro te per omnes miſerationes tuas, per immenſam tuā ad nos charitatem, per paſſionē & vulnera tua, per liuores, dolores, & ſanguineas guttas, libera & præſerua me ab omni peccato. Da mihi perfectam caſtitatē mentis ac corporis, & (ſine qua caſtitas perſeuerare non poteſt) temperantiam atq; diſcretionem. Infunde mihi humilitatem, manſuetudinē, patientiā, mititatē benignitatem, & reliquas virtutes omnes quibus electiſſima digniſſimaq; mater tua, aliæq; virgines ſponſæ tuæ tibi placuerunt.

Extingue

Extingue in me omnem priuatũ, ac mundi amorem, vt mundũ, & quicquid in mundo eſt, ac meipſum totũ tibi offeram, dedicem, atq; in beneplacitũ tuũ ex toto corde reſignem. Dulcis Ieſu, abſorbeat cor meũ ignita & mellifluavis amoris tui, vt ex toto corde meo te quæram, ſitiam, intẽdam, diligam, & benedicam in omnibus & ſuper omnia, vt tibi ſemper inhæream, in te quieſcam, & omne tempus vitæ meæ, omnesq; vires animæ & corporis mei, in gloriam, honorẽ, & beneplacitum tuũ amando iugiter expẽdam. Amen.

Pro patientia.

O Agne manſuetiſſime dei, domine mi Ieſu Chriſte, obſecro te per ineffabilem manſuetudinẽ, & per mitiſſimã patientiam tuam, quã inter omnes iniurias, perſecutiones, irriſiones, ac pœnas, in teipſo vſq; ad extremũ perfectiſſime exhibuiſti, illuſtra cor meũ gratia tua, & omnẽ amaritudinẽ, duritiam, iracundiã, impatiẽtiãmq; in me mortifica, vt ad honorẽ acerbiſſimæ mortis tuæ, tuiq; amore æquanimiter, tranquille, ac deſideranter ſuſcipiam, libenterq; & hilariter ſuſtineam

ſtineam omnẽ iniuriam, deriſionem,confuſionem,detractionem,perſequutionem,pœnam,& quicquid triſte, aut aduerſum ſuper me,& ſuper mea venerit. Omnia dulcis Ieſu,fac vt de manu prouidentiæ tuæ,cũ laude & gratiarũ actione ſuſcipiam, & manſuetiſſimo,mitiſſimo,patientiſſimoq; corde imperturbabilem mentis tranquilitatem inter omnia triſtia poſſideam,& adeò nihil eorum quæ patior,ad cor recipiam, quaſi non mea, ſed prorſus aliena aduerſitas eſſet. Rogo te dulciſſime Ieſu, vt nullo odio, nulla amaritudine, nullo rancore gratia tua cor meum ſinat inquinari,ſed dulcedinem,manſuetudinem,benignitatem,ſerenitatem, atq; perfectiſſimam charitatem ad omnes,etiam inimicos, & aduerſantes mihi infundat, atq; confirmet. Infunde mihi quæſo mitiſſime Ieſu ardentiſſimam charitatem, affectum patiendi quæcunq; moleſta & contraria pro te, quia tu paſſus es pro me. Da mihi tantam charitatem & patientiam, vt nullis paſſionibus ac moleſtijs adeò poſſim fatigari, quin maiora & grauiora ſemper deſyderem pati.

Pro

Pro dilectione dei, & proximi, atq; inimicorum.

AMantiſſime Ieſu Chriſte, qui dilexiſti nos, & lauiſti nos in ſanguine tuo, dulcis Ieſu qui dediſti in mortem animam tuam pro nobis, & cum ſceleratis reputatus es, vulneratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper te, & liuore tuo ſanati ſumus. Per hanc charitatem & ineffabilem miſericordiã tuam obſecro te, infunde cordi meo gratiæ tuæ inextinguibile lumẽ, quo ſimul ardeat in me iuge incendiũ charitatis, ferueat, operetur, & creſcat in me ſemper caſtiſſimus ac indeficiens affectus miſerationis, compaſſionis beneuolentiæ, ac pietatis, qui ad omnes creaturas tuas tui amore & cõtemplatione ſe effundat, & nihilominus inauertibiliter tibi ſemper inhæreat. Amantiſſime Ieſu reple quæſo animã meã, omnes ſenſus, vires, actus & affectus meos perfectiſſima, ſynceriſſima, feruẽtiſſima, fideliſſima, atq; perpetua charitate, vt te ex toto corde meo diligã in omnibus, & ſuper omnia:

nia: in te vero & propter te omnem proxi-
mum ſyncerissime atq; perfectiſſime, ſecun-
dum beneplacitū tuū. Dulcis Ieſu, da mihi
vt honorē tuum & animarū ſalutē ardentiſ-
ſime ſitiam, quærā, & promoueā. Da mihi vt
omniū hominū ſalutem, profectū, & cōmo-
dum atq; conſolationē ex toto corde diligā,
quæram & promoueam ad gloriā tuā. Miſe
ricordiſſime Ieſu aufer à me omnē amaritu-
dinem, liuorē, iram malā, rancorem, indigna-
tionem, ſuſpitiones, inuidiā, & quicquid ſyn-
ceriſſimæ charitati auerſatur: vt de omnibus
hominibus in ſimplicitate cordis bene ſen-
tiam, neminē temere iudicē, vniuerſos pijſſi-
mo dulciſſimoq; affectu cordis in te diligā,
& quomodocunq; tibi placuerit miſeratio-
nis, beneficentiæ, dulcedinis, benignitatis,
atq; dilectionis affectu verba & beneficia
cunctis, maxime autem illis, qui mihi iniu-
rias aut moleſtias intulerūt, toto corde im-
pendam. Pijſſime Ieſu da mihi vt diligam
omnes inimicos meos perfectiſſime, non
verbo aut lingua tantum, ſed opere & veri-
tate. Dulcis Ieſu omnem acceptionem per-
ſonarum lōge fac à me, vt in omni creatura
purè

purè te diligam, & tui imaginē in omni homine honorem.

Pro fide, ſpe, & charitate.

PEr ineffabilem miſericordiam tuā obſecro te miſericordiſſime domine Ieſu infunde animæ meæ fidem ſimplicem & rectam, ſpem firmā, & charitatem ignitam atq; perfectā: vt à cūctis erroribus & peccatis liber, intellectū meū in captiuitatē obedientiæ Eccleſiæ tradam, & omnē cogitatū meū in te proijciam, totumq; me tuæ prouidentiæ credam: nihil ad creaturas reſpiciēs, ſed in cunctis paternā, amoroſiſſimam, atq; fideliſſimam cordis tui curā & pietatē erga me intelligens, de manu tua omnia accipiam, pro omnibus te laudem, & gratias agam, & in beneplacitū tuum totum me ſemper reſignem, offeram, & expendam.

Pro puritate & ſimplicitate cordis.

IEſu Chriſte ſplendor patris, candor lucis æternæ, & ſpeculū ſine macula, per incōprehenſibilē diuinitatē, maieſtatem obſecro te, da mihi caſtitatē corporis, munditiam cordis, ſimplicitatē ſpiritus, & ſynceriſſimā

riſſimam puritatẽ mentis. Dulcis Ieſu om̃ia vitia, omnes inordinatos motus & paſſiones mortifica in me. Quicquid illicitum, quicquid inordinatũ eſt, quicquid tibi diſplicet aufer à me dilectiſſime Ieſu, & da mihi cor rectũ, ſimplex, purũ, deiforme ſecũdum cor tuũ. Libera & cuſtodi me ab omni peccato. Omnia mẽbra mea, ſenſus, vires, atq; animæ potentias, & quicquid ſum: hæc omnia cohibẽda, cuſtodiẽda, regenda atq; poſſidenda offero tibi benigniſſime Ieſu. Pie Ieſu, cuſtodi me ab omni opere illicito, & ab omni verbo ocioſo, ab omni cogitatione vitioſa, vana, aut ſuperba, ab omni motu inordinato, ab omni affectione non caſta, aut abſq; te aliena, ab omni intẽtione impura, vt te ſolũ purè quæram, in te ſolo requieſcam. Domine deus meus fac vt nihil me afficiat, nihil me delectet, nihil mihi placeat niſi tu, & ego tibi ſoli placere cupiã, & tibi ſoli inhæream.

Alia.

QVæſo te benigniſſime Ieſu, da mihi cor ſtabile, quod nulla à te abſtrahat euagatio, da rectũ quod nulla obliquet

ſiniſtra intētio,da ſimplex quod nulla diſtra hat curioſa cogitatio,da nudum quod nulla occupet formarū aut rerum ſenſibiliū imaginatio,da caſtum atq; feruidū quod indigna nulla tangat affectio. Dulcis Ieſu,da mihi cor mundum ac nouum,da mihi cor ſecundum cor tuū,quod tibi perfectiſſime ac ſemper placeat,quodq; ſemper inhabitare te delectet. Dulcis Ieſu, ſi non vis reformare cor meum,tunc auferas à me cor meū,& da mihi cor tuum.

Pro plena ſuipſius abnegatione,& reſignatione.

BEnigniſſime Ieſu Chriſte,in vnione illius reſignatiōis, qua teipſum patri in omne eius beneplacitū obtuliſti, & hominibus etiā omnibus te ſubieciſti, offero & reſigno me in om̄e beneplacitū tuū ad omnia, tam triſtia q̄ læta. Fac tu me & mecum, quomodo tibi maximè placuerit. Hoc vnū fideliſſime Ieſu mihi tribue, vt gratia, dignatio, ac amicitia tua (quibus licet indigniſſimus ſim) exuberantiſſima, ſempiterna, atq; indeficiens in me ſit,& ſemper perſeueret, qua roborante

borante & impellente, mihi ipſi & vniuerſo mundo moriar, tibi vero ſoli viuam. Dulcis Ieſu, fac vt omni amori priuato, omni amori & affectui ad quaſcunq; creaturas inordinato, cunctis vitijs & paſſionibus, omnibus delectationibus ſenſuū, omni ſuperfluitati, omni proprietati, omni curioſitati, & deſyderijs quibuſcunq; nō puris, perfectè abrenūtiem & moriar. Dulcis Ieſu per mortē tuam amariſſimam te obſecro, da mihi omnibus deſiderijs & inclinationibus naturę vitioſis, quibus te non purè quæro, aut intendo, perfectè mori, vt tu ſolus plenè atq; perfectè me poſſideas, nec aliud velle nec poſſe ego habeam extra te, ſed anima mea in omnibus viribus & potētijs ſuis tibi ſit, maneatq; vnita, vt in me tu ſolus viuas & opereris, ſicut in proprio tuo inſtrumento. Miſericordiſſime Ieſu, hoc eſt, quod ex abyſſo cordis mei deſydero, ac rogo vt omnes vires & potentias animæ meę quicquid ſum & poſſum, tu ſolus habeas, & per incendiū amoris conſumas, abſorbeas, & in te transformes.

Pro perfecta ſui abnegatiōe obtinēda, poſſet quis quaſi ad numerū omnium membrorū

& virium ſuarum, dicere ter centies & ſexagies quinquies verbũ, quo Chriſtus in hortu patri ſuo ſe reſignauit, videlicet: Nõ mea ſed tua voluntas fiat amantiſſime Ieſu.

Pro intentione ſimplici ac caſta quolibet in opere.

AMãtiſſime domine Ieſu Chriſte, obſecro te per amorem illũ perfectiſſimum, quo ſalutem noſtram, zelando vbiq; tam fideliter q̃ feruenter quæris, da mihi rectam, puram, ſimplicem ac deiformẽ in ſingulis intentionem: vt in quibuſcunq; agendis aut omittendis, eligendis atq; cauendis, & viuens & moriens nõ aliud quæram, non aliud intendam, q̃ purè gloriam & beneplacitum tuum. Hæc da mihi ò fideliſſime amator, vt ex toto corde meo deſiderem, diligam & quæram in tempore & æternitate, extincto per gratiam tuam in me penitus omni priuato amore.

Sequuntur orationes quædam breues ac flammigeræ, hoc eſt, ſuſpiria mẽtis & aſpirationes ad deum, ſeu

ignita,

ignita quædam amoris iacula emit-
tenda,quibus veluti amantium duo
rum mentes,hoc eſt, dei & hominis
vulnerentur vnianturꝗ;

DEus meus pulchritudo oculorũ
meorum,ſatietas cordis,nũquid
non ſufficis amanti? Quid extra
te euagamur? quid aliud quæri-
mus? Quid aliud deſyderamus? Eia quæſo
vulnera animã meam ò ſpecioſiſſime, ò de-
licioſiſſime,vulnera animam meam amoris
tui iaculo,imple omnia deſyderia mea vt ni
hil me extra te delectet,nihil afficiat, te ſolũ
in omni creatura videam, te ſolum in omni
creatura diligam, ad te æſtuantiſſimis deſy-
derijs ſemper anhelem, & caſtiſſimo amore
te ſolum omni momento cogitem.O domi-
ne Ieſu incende cor meũ tui amore ſanctiſ-
ſimo ac fideliſſimo.O vtinam amore tui ar-
deam.O vtinã amore tui langueã.O aman-
tiſſime Ieſu,da mihi continuũ amoris tui in-
cendiũ,trahe me poſt te,curram & non defi-
ciam. Quemadmodũ deſiderat Ceruus ad

fontes aquarum,ita quæſo ſitiat anima mea ad te deus meus. Da mihi benigniſſime Ieſu inſatiabile & immenſum deſyderium tui, quod nulla creatura conſolari poſſit. O amabiliſſime domine Ieſu Chriſte, electiſſime ſponſe animæ meę, obſecro te per cor tuum lancea tranſfixū,& amore vulneratū:transfige,vulnera,perfunde & inflamma cor meū amoris tui incendio tam valido, vt ex toto corde meo,hoc eſt,pleno deſiderio,& perfecta voluntate te diligam,te quæram, te intendam,in omnibus & ſuper omnia. Diligam te domine deus meus ex tota anima mea,vt omnes ſenſus meos in te cōuertam, & tibi ſoli intēdam. Diligam te ex tota mente,vt intellectum & memoriam meam in te ſolo,& ad gloriam tuam occupem,tibiq́ ſoli inhæream. Diligam te ex omnibus viribus meis,& omnes illas,& animæ & corporis in tui laudem,amorem,ac beneplacitum tuum expendam. Diligam te domine deus meus, vt tu ſolus me totum poſſideas,vt me totū in te abſorbeas,atq; transformes.

Alia.

Domine

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, da mihi toto corde pleno deſyderio ſitienti ad te aſpirare, vt in te dulciſſimo atque ſuauiſſimo reſpirare, ac totum ſpiritum meum, & omnia interiora ad te, qui es vera beatitudo, ſemper anhelare. Da mihi vt omnis creatura mihi vileſcat, & nihil me afficiat, nihil mihi placeat niſi tu. Dulcis Ieſu vulnera & accende cor meum tui amore caſtiſſimo. Trahe omnia deſyderia mea poſt te, vt te ſolum anima mea eſuriat, ſitiat, te ſolum concupiſcat, ad te indeſinenter ſuſpiret & currat, tuique amore langueat, & mundana omnia faſtidiat. Dulcis Ieſu imple cor meum caſtiſſimis deſyderijs, quibus anima mea tui amore ſemper ardeat, & te ſemper cogitans præter te aliud neſciat. O vtinam tu ſolus cordi mei dulceſcas, tu ſolus mihi placeas ſuauiſſime Ieſu. Heu domine deus meus, quando perfectè diligam te? Quando conſtringam te dulciter, ò vita mea inter brachia animæ meæ. Quando amplexabuntur te, ò dulciſſime amator, omnia deſyderia cordis mei? O domine deus meus, vtinam meipſum & vniuerſum mundum

tui amore perfectè contemnam. Vtinã anima mea tui amore liquefiat. Vtinam in te rapiatur & abſorbeatur. Suauiſſime & deſyderabiliſſime te ſolũ deſydero, te ſolũ concupiſco. Redde te mihi, & poſſide me tibi. Atq; vtinam te ſolũ verè & perfectè deſyderem. Quouſq; arida eſt anima mea, aquas ſitiens alienas. Oh imple eam ardore æſtuãtiſſimæ charitatis, vt ſitiat ad te domine deus meus. Amabiliſſime Ieſu, vtinã vero & perpetuo amplexu cordis cõſtringere te merear. Dulcis & ſpecioſe, q̃ amabilis es, cur nõ amo te? Potes ne hoc tu ſuſtinere benigniſſime creator q̃ aliqua creatura nõ diligat te? Quęſo hoc, in me hoc nõ ſuſtineas, ſed irrũpas in cor meũ, & vim facias mihi potẽtiſſime. O violentia ſuauiſſima quãdo vim patiar. Ieſu bone rapias tibi ſpiritũ meũ, & infunde mihi ſpiritũ tuũ. Deus meus q̃ bene mihi eſſet ſi diligerem te. Et quantæ prudẽtiæ eſt amare te, quantę ſuauitatis quieſcere in te, quantæ vtilitatis poſſidere te. Dulcis Ieſu da mihi illas diuitias, teipſum, & in cæteris om̃ibus ſim pauper. Fac me pauperem ſpiritu, vt nõ quęram aliud niſi te, ò adorande, co-

lende,

lende, metuende, omnipotens ſempiterne deus. O amator ardentiſſime, ò zelator fidelíſſime, quando redamabo te? O quãdo me totũ exibo, & totus in te introibo. Vtinam meipſum totũ relinquam, & in te me totum effundam. Excita cor meũ domine, vt requiram te: illumina cor meũ, vt inueniã te: poſſide cor meũ, vt requieſcam in te, & obliuiſcar omniũ quæ ſunt extra te. Nobiliſſime Ieſu, q̃ pulcher, quàm amabilis, q̃ ſpecioſus quàm ſuauis es tu. Beati omẽs qui diligũt te. Benigniſſime & amabiliſſime Ieſu, tu cordis mei theſaurus, & vnicũ gaudiũ, da mihi vt medullitus exeam & relinquã meipſum, & æſtuãtiſſimis deſyderijs ad te ſemper aſpirem. O lumen verũ, ò vita indeficiens, ò amor ſemper ardens, da mihi mundo & carni perfectè mori, & omniũ rerũ temporaliũ funditus obliuiſci, vt pro illis neq; gaudeã, neq; doleam, neq; aliud pręter te amatorem meũ ſentiam. Altiſſime, potẽtiſſime, pulcherrime, nobiliſſime, dulciſſime, benigniſſime, amabiliſſime, deſiderabiliſſime, ſuauiſſime domine veni & viſita me, & fac tibi cor meũ ſecundũ cor tuũ, vt maneas ſemper mecũ.

Suſcipe me tibi, & da te mihi. Fac me tibi indiſſolubili vinculo amoris colligari, vt neq; mors,neq; vita poſſint nos ad momentum ſeparare. Domine Ieſu fac me cognoſcere vilitatem meam, & maieſtatem ac bonitatem tuam: vt inde in me creſcat profundiſſima humilitas, & hinc accendatur perfectiſſima charitas. Clementiſſime Ieſu, cùm tu aliud nihil imperas, & illud vnũ ego deſydero, videlicet, diligere te ex toto corde meo, tibiq; placere in omnibus & ſuper omnia: heu cur hoc in me nõ impletur? Amantiſſime Ieſu,ego nihil boni deſyderare,quãto minus agere poſſum,niſi quod gratia tua mihi deſyderandũ aut agendum inſpirauerit: quod ergo inſpiras,quod pręcipis,quod laudas: infunde mihi,vt velim & perficiam. Diligã igitur te domine deus meus, ex omnibus medullis animæ meę, & faciam omnẽ voluntatem & omne beneplacitũ tuũ,quia deus meus es tu. Eia miſericordiſſime Ieſu, nũc eadem repeto: Noli mihi negare quod tu mandas,quod tibi acceptum,& mihi eſt deſyderatiſſimum, nec eſſet, niſi tu faceres mihi deſyderatiſſimum. Imple ergo cor

meum perfectiſſima, ardẽtiſſima, fideliſſima, atq; perpetua charitate, vt quicquid ſum & poſſum, & quæcunq; intra & circa me ſunt, colant, quęrãt, ſitiant, diligant te, ſeruiantq; & placeant tibi perpetuo & perfectiſſime.

Domine Ieſu Chriſte, oſtende virtutẽ & potẽtiam tuam in me miſerrimo peccatore, oſtende q; maior eſt bonitas tua, q̃ malitia mea. Fac, vt qui hactenus à te totus auerſus & frigidus fui, nũc cõuertar ad te totus & tui amoris flãma in te tranſformer accenſus. Deus meus, creator meus, vſquequo non cognoſco te? Quandiu lates, & non requiro? Imò præſto es, & non inuenio te. Tu ſalus mea vnica es, & non quæro te. Ergo amantiſſime, fideliſſiméq; zelator, qui cum non eſſem diligebas me, & vt eſſem tu feciſti me. Da mihi vt deſyderem te, ſitiam te, quęram te, curram poſt te, non quieſcam do nec inueniam te, & præ amore tui, cætera omnia faſtidiam extra te.

Aſpirationes hę ſępius ſunt repetẽdę, ſi tibi illę aut alię cordi fuerint, & eiuſmodi

eiuſmodi ex animo deſideraueris, non erunt ocioſa deſideria tua.

O Benigniſſime domine Ieſu Chriſte, da mihi vt totus diligam te feruentiſſime. O fideliſſime domine Ieſu Chriſte, da mihi vt ſentiam q̃ immenſa charitate nos dilexiſti & diligis. O dulciſſime domine Ieſu Chriſte, q̃ libenter te amarem. Et quia vt hoc velim, tu dediſti, da ergo vt diligam te ex toto corde meo, quia ſine te nihil poſſum. Dulcis Ieſu, ignoſce vilitati ac temeritati meæ, quæ peto, & da quod rogo. Fac me caſtiſſimo ardentiſſimoq́ tui amore igniri, in te rapi & abſorberi, ac omniũ quæ extra te ſunt obliuiſci. O amor cordis mei, da mihi vt moriar tui amore. O amabiliſſime Ieſu da mihi amorẽ erga te fideliſſimũ, ſtrenuiſſimũ, caſtiſſimũ atq; puriſſimum, qui inceſſanter te ſentiat, te laudet, tibi gratias agat, tibi obediat, tui honorem ardentiſſimè ſitiat, & totũ ſe tibi impendat. O Ieſu pro me crucifixe, transforma quęſo me in te, & fac vt clauis amoris inaduertibiliter ſim crucifixus in te. Fac vt placeam tibi totus, ſemper,

& perfectiſſime. O Ieſu amabiliſſime, ò amator fideliſſime, ò amator delitioſiſſime, vtinam totus tui amore merear inebriari. O quando videbo te facie ad faciẽ? O vtinam tui amore in te abſorberi merear. Vtinã incendio amoris tui in te conflari, tibi vniri, & in te conſumi merear. Dulcis Ieſu age mecũ & fac me ita, vt vltra nequeam te offendere, vt tibi vltra nõ poſſim diſplicere. Deſiderabiliſſime Ieſu, da mihi deſideriũ tui, vt viuere ſine te nequeam, & amore tui lãgueam. Eſuriat & ſitiat ad te anima mea, viuat & ſubſiſtat in te ſolo anima mea. Requieſcat in te vno mens mea. Pie Ieſu imple me charitate tua, & perfectiſſima humilitate. Sic tui amore, ſemper perfectiſſima charitate ardeam, vt vilitatem meã ſimul attendere nõ deſinam. Ego peccator ſum, tu deus meus. Tu mihi omnia es, in manus tuas comẽdo ſpiritum meum, ac totum meipſum.

Sequitur exercitiũ, quo ſe poſſit anima die noctuq; ad ſui abſtractionẽ à creaturis exercere, & ex ſingulis quę occurrunt inuenire, aut orandi materiã, aut occaſionem eleuãdi ſe ad deũ, adeò, vt quicquid vide-

viderit ſenſeritve, quicqd egerit, & inter quę⸗
cunq; euenientia, mēte ſemper loquatur deo.

Quando vis ire dormitum.

Domine Ieſu Chriſte, in vnione amo⸗
ris quo iſtud nobis cōmodum crea⸗
ſti, & ipſe in terris propter nos vti vo
luiſti, iam illud ſuſcipio tibi in æternam lau⸗
dem & corpori meo ad neceſſitatem.

Ante ſomnum.

DVlciſſime Ieſu, fac me requieſcere ſu⸗
per pectus tuū, da mihi trahere anhe
litum ſacrum de ſanctiſſimo corde tuo, vt
ſpiritus tuus ſuauiſſimus influat in animā
meam, vegetet mentē meam, atq; rurſus to⸗
tum ſpiritum meum in ſe trahat, in ſe abſor⸗
beat, atq; inſeparabiliter ſibi vniat.

Poſt ſomnum.

IN nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti.
In nomine domini mei Ieſu Chriſti ſur
go, qui me redemit ſuo ſanguine pretioſo. Ip
ſe dignetur me cuſtodire ab om̄i malo, & im⸗
plere omni bono animā & corpus meū. Amē.

Flexis genibus,

ADoro, & benedico te ò Trinitas ſancta, deus meus & omnia: gratias ago pro cuſtodia, ſapientia & benignitate tua, & pro cunctis beneficijs tuis, quibus cœlum, terram & omnia quæ in eis ſunt in tẽpore & in æternitate imples, & me ingratiſſimũ atq; miſerrimũ peccatorem vſq; in hanc horam perduxiſti. Tibi offero, cõmendo atq; reſigno me totum, & quicquid intra aut circa me eſt, in tui amorẽ, laudem & gloriam. Aufer à me quicquid tibi diſplicet in me, & da mihi quicquid tibi placet. Dirige & poſſide me iugiter ſecundum beneplacitum tuum.

Salutatio matutina ad æternam ſapientiam.

ANima mea deſideraui te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te, ò præclariſſima ſapientia, petens, vt deſyderata tua præſentia omnia aliena in corde meo præueniat, penetralia cordis mei tua gratia perfundat, peccata, vitia, & mala cuncta in me tollat, virtutibus cunctis impleat. Et amore inex-

inextinguibili vehementiſſime accendat. Et nunc dulciſſime domine Ieſu Chriſte ad me quæſo cōuertere, & gratioſiſſimā faciem tuā mihi oſtende: qui & ego ad te diluculo conſurgo, teq́ꝫ ex intimo cordis mei affectu ſaluto: optans vt millia milliū cœleſtiū agminū tibi miniſtrantiū te ex me ſalutent, & decies millies centena millia tibi aſſiſtentium, te ex me glorificent, & omnia præclara deſideria ſanctorum omniū te ex me honorificent. Et vniuerſa melodia omniū creaturarum te ex me collaudet, teq́ꝫ exoret, vt mihi des bonā mortem, peccatorū plenam remiſſionem, & æternam ſalutem. Amen.

Ad glorioſam virginem matrem.

SVb tuum pręſidiū confugio ſanctiſſima dei genitrix, ab omni peccato, ab hoſte maligno, ab omni malo corporis & animæ libera, & defende me. In hora mortis adeſto mihi benigna & miſericors. Amen.

Quum horarū auditur ſignum, hæc dicatur oratio.

ADoro laudo, & benedico te miſericordiſſime Ieſu, gratiasq́ꝫ ago tibi

pro amariſſima innocētiſſimaq; paſſione tua ac morte, & pro omnibus beneficijs charitatis tuę, mihi ingratiſſimo peccatori (quē vſq; ad hanc horam miſericorditer ſuſtines) exhibitis. Obſero autē te per ſingulas guttas precioſi ſanguinis tui pro me effuſi, da mihi veram ac iugem contritionē pro peccatis meis, emendationē vitæ meę, & imitationem vitæ tuę, ſecundū beneplacitū tuum. Domine deus meus, conuerte me ab hac hora, & poſſide me totū ſecundū beneplacitū tuum, vt in me, & de me, ac per me ſanctiſſima voluntas tua ſemper fiat. Dulcis Ieſu, auge & confirma ſuper me gratiam tuam, & da mihi quicquid tibi placeat.

Quando ad templum veneris.

DOmine ſancte pater omnipotens ęterne deus, propter tuam largitatē, & filij tui, qui pro me ſuſtinuit paſſionē & mortē, & matris eius. N N. (nomina hic patronum tuū, & patronū templi) excellentiſſimam ſanctitatē, & omnium ſanctorū merita, cōcede mihi ingratiſſimo peccatori, & omni beneficio tuo indigno, vt te ſolum diligam,

tuo amore ſemper ferueam, tuum honorem ſemper ſitiam, beneficium paſſionis filij tui cōtinuè in corde habeam, meā miſeriam recognoſcam, & ab omnibus cōculcari, & contemni cupiam, nihil me afficiat, niſi tu: nihil me contriſtet, niſi culpa. Amen.

Quādo inſpicis crucifixi imaginē.

O Dulciſſime Ieſu Chriſte, cor meū tuis vulneribus ſaucia, & tuo ſanguine inebria mentem meam, vt quocunq; me vertam, ſemper te videam crucifixū, & quicquid aſpexero, tuo ſanguine mihi appareat rubricatum, vt ſic in te totus tendens, nihil præter te valeam inuenire, nihil niſi tua vulnera valeam intueri. Hęc ſit conſolatio mea tecum mi domine vulnerari, tecum deſpici, & tecum pati. Hæc ſit mihi afflictio, extra te conſolari, aut ſub te aliquid meditari. Non quieſcat cor meū bone Ieſu, donec inueniat centrum ſuum, ibi cubet, ibi ſuum terminet appetitum. Item ſcribe quæſo miſericordiſſime Ieſu vulnera tua in corde meo precioſiſſimo ſanguine tuo, vt in illis legam dolorem pariter & amorē tuū, & vulnerum tuorū

memoria

memoria iugiter in ſecreto cordis mei permaneat, vt dolor cōpaſſionis erga te indies in me excitetur, & ardor dilectionis tuæ omni hora magis in me accendatur. Da quoq; vt omnis creatura mihi vileſcat, & tu ſolus cordi meo dulceſcas.

Qui legeret hunc pſalmū: Exaltabo te domine, quoniā ſuſcepiſti me, quotidie ex vno anno, ſalutaſſet quodlibet Chriſti vulnus vno verſu. Pari modo faceret, qui quindecim orationes dominicas quotidie legeret, aut certè quindecim orationes. S. Brigittæ, multū deuotas & ſalutiferas. Anteq̄ egrediaris templum, aut ſero, quaſi valedicturus domino, aut alio tēpore in die, quinq; accipe venias ſeu genuflexiones, & ſexto adora.

Prima ſit confeſſionis.

MIſericordiſſime domine Ieſu Chriſte, confiteor tibi omnia mea & vniuerſa mūdi peccata, quibus te offendimus, obſecroq; per innocentiſſimā mortem tuā parce nobis, & tribue nobis perfectiſſima contritione indeſinenter ex toto corde lugere, integreq; confiteri omnia peccata noſtra.

Secunda gratiarum actionis.

BEnigniſſime Ieſu, pro omnibus & ſingulis beneficijs, tā mihi q̄ cuilibet creaturæ exhibitis, aut vnq̄ à te exhibēdis. gratias ago & benedico te deus meus, imò toties gratias ago quot tua ſunt beneficia, & quot creaturæ.

Tertia oblationis.

CLemētiſſime Ieſu, ego offero tibi omnes virtutes & merita ſanctiſſimæ vitæ & paſſionis tuæ, ſed & beatiſſimæ Mariæ matris tuæ, atq; omniū ſanctorum & electorum tuorum in ſuauiſſimum cor tuū, & per idem cor patri tuo pro me & pro omnibus hominibus tam viuis q̄ defunctis.

Quarta reſignationis.

AMantiſſime atq; fideliſſime Ieſu, domine deus meus, meipſum & omnia quæ intra me & circa me ſunt, & creaturas tuas omnes & ſingulas tibi offero, atq; reſigno in beneplacitū tuum, vt nobiſcum facias quicquid, & quomodo tibi creatori noſtro maximè placet.

Quinta obſecrationis.

PIiſſime Ieſu Chriſte, obſecro te per dulcedinẽ cordis tui, vt me & alios quoſcunq; homines impleas maxima, ardentiſſima, perfectiſſima, perpetuáq; charitate, qua facias, vt vnuſquiſq; honorẽ tuum ſitiat, & ita ſe in omnibus habeat atq; coram te ſit, & perſeuerando in gratia tua creſcat, quãtum & quomodo ſanctiſſimę tuę volũtati placet.

Sexta eſt adorationis.

O Creator & ſaluator mũdi Ieſu Chriſte deus meus & omnia. Ecce quot creaturæ tuæ ſunt à te conditæ, aut condendæ, & quot beneficia tua ſunt creaturis tuis â te exhibita, & exhibenda, toties in perſona omniũ & ſingularũ adoro, laudo & benedico te, & pro omnibus ac ſingulis gratias ago tibi nũc & ſemper. Miſericordia, gratia, benedictio tua ſit ſup nos in ęternũ. Amẽ.

Ante prandium oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, in vnione amoris, quo hęc mihi cõmoda præſtitiſti, eiſdẽ olim in terris propter me vti voluiſti,

ſti,da mihi eadē tali gratitudine,timore, ac temperantia ſumere, vt tibi ſit gloria, mihi verò ac omnibus, quibus miniſtras, & per quos miniſtras,ſalus proueniat ſempiterna.

Inter edendum aſpiratio.

AMor tui dulcis Ieſu,cor meū repleat & inebriet,vt extra te nihil concupiſcam,nil videam,nihil me afficiat,nihil me delectet,niſi tu:tu ſolus mihi placeas, tu ſolus ſis deſyderium meum, tu ſolus gaudium,refectio,& delectatio mea.

Ad potum.

Virtus igniti amoris tui dulciſſime Ieſu, me totum quæſo in te rapiat & abſorbeat, & carnalis concupiſcentiæ æſtum,ſitimq́ꝫ inanis gloriæ omnem penitus in me extinguat.

ANte omnia quæ incipere debes, obſerua ſemper, vt animum tuum leues ad deum,dirigendo intentionē ac voluntatem tuam ad eius gloriam ac beneplacitū. Potes etiam dicere orando: Veni ſancte ſpiritus. Aut: Deus in adiutorium meum intende,domine ad adiuuandum me feſtina. Item: Intende in adiutorium meum domine deus

ſalu-

ſalutis meæ. Item: Dulcis Ieſu domine deus meus, da mihi hoc perficere ſecundum beneplacitum tuum in gloriam tuam. Item in vnione charitatis illius, qua opus redemptionis noſtræ, id eſt, ſalutis, in medio terræ operatus es, cõmendo tibi hoc opus & omnia ſtudia mea.

Si inter actuũ tuorũ ſtudia bene, maleve acciderit, dic: Deus meus, ne elõgeris à me, deus meus in auxiliũ meum reſpice.

Quando cœperis operari.

DVlciſſime Ieſu, in vnione omniũ laborum & ſudorũ tuorũ, & in vnione charitatis tuæ, qua pro nobis labores ſuſcepiſti, & triginta annis tolerasti, offero tibi labores & omia opera mea. Bone Ieſu, hũc laborem tibi gratũ faciant omniũ electorum tuorũ labores ac ſtudia pro tui amore geſta, quæ in ſuauiſſimo corde tuo ſimul vnita, tibi & per te patri tuo offero in gloriam tuam.

Quando vis legere, aut lectionem audire aliquam, ex iſtis aſpirationibus premittas.

IEſu dulciſſime, da mihi intellectū & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Illumina cor meū, vt ſciā, velim, & faciam quod acceptū coram te ſit omni tempore. Doce me facere voluntatē tuam, quia deus meus es. Da mihi domine ſedium tuarū aſſiſtricem ſapientiā, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meū inflammet, ad cognoſcendum & amandum te dominum deum meum in omnibus, & ſuper omnia.

Poſt lectionē vel bonā inſpirationē.

CLementiſſime pater, per vnigenitum tuum obſecro te, da mihi gratiam & virtutē, hanc inſpirationē (ſi à te fuerit) & omne beneplacitū tuum perficiendi.

Si quando pulchrū delectabileve aliquid cernis, conuerte cor tuū ad contemplandam pulchritudinem & bonitatem conditoris tui.

O Bonitas & pulchritudo creatoris mei incōparabilis, trahe cor meū in admirationem & amorem tui. O ſi hæc aut

aliqua

aliqua creatura pulchra eſt, quàm pulcher, quàm bonus, quanq́ꝫ ſuauis es tu conditor omniũ deus. Vtinam nihil me vnq̃ delectet nihil placeat q̃ tu. Vtinam tu ſolus cor meũ poſſideas, ſisq́ꝫ ſemper vnicũ gaudiũ, conſolatio & requies mea. Dulcis & amabilis Ieſu, fac vt om̃is creatura mihi vileſcat, omnia mundana mihi amareſcant, & tu ſolus dulceſcas. Fac, vt in creaturis ſingulis aliud nihil videam, nihil inueniam, nihil ſentiam præter te. Omnia te mihi loquantur, omnia te prædicent, omnia te mihi laudent, omnia me in amorem tui rapiãt & inflamment. Ah deus meus & omnia, imple cor meũ, vt extra te om̃ibus mortuus ſim, & in te viuam.

Si quando nouum, aut mirabile vides aliquid.

DOmine deus noſter, creator & gubernator omniũ, te laudent, & maieſtatẽ tuam prædicent omnes creaturę, quia ex te omnia. Tibi ergo ſit honor, laus & gloria ex omnibus. O vtinã digna fiat anima mea omni momẽto tuam præſentiam ſentire, & caſtiſſimo perpetuoq́ꝫ amplexu feruentiſſi-

mi amoris reuerenter ac inſeparabiliter te conſtringere.

Quicquid occurrerit vel nõ occurrerit, in laudem dei ita conuertas.

QVoties hoc mihi occurrerit, aut nõ occurrerit, ò deus immenſe, ò amator fideliſſime, toties innumerabiliter & in infinitũ ſæpius beatorũ ſpirituũ agmina, mille millia, & decies millies centena milliate ex me ſalutent, & ſanctorũ omnium feruentia deſyderia pro me tibi ſupplicent, & creaturarũ omniũ decor & venuſtas meo nomine te honorent & laudent.

Videndo pulchra, cogita hæc omnia, & pulchriora eſſe in cœlo.

Videndo horribilia, cogita hæc omnia, & horribiliora eſſe in inferno.

Quãdo oblectat ſerenitas aëris, aut quãdo prata aut hortos contemplaris.

O lumen indeficiens, omni iucunditate plenũ deus meus, omni decore pulchrior, omniq; amœnitate ſuauior. Heu me miſerrimum, ꝙ cor meũ varijs, multis, & abs te alienis reb⁹ eſt occupatũ & inquinatũ. Om̃ia

te lo

te loquũtur, & ego te neq; ſentio, neq; aduerto. Dñe deus meus, oĩa quæ feciſti in cœlo & in terra tua ſunt, & bona ſunt, ſed tu optimum ſummũ & infinitũ bonũ es. Propter nos tu oĩa feciſti, vt omnipotentiã, ſapientiã & bonitatẽ tuam nobis monſtrares. Ah vtinam oẽs creaturę tuę & ſenſibilia cuncta vulnerent cor meũ tui amore, vt anima mea ad te indeſinẽter aſpiret. Inſinua te cordi meo deus meus, vt oẽs vires, oẽs ſenſus, & intima animæ meæ in te amore liqueſcant, in te fluant & abſorbeantur. Quàm ſerenus eſt hic dies. At bone Ieſu, niſi tua in nobis lux luceat, qd nobis eſt de ſole hoc ſenſibili? Fac igitur vt oẽs tenebræ à nobis expellantur, & vrat nos æſtus feruentiſſimæ charitatis.

Videndo hortũ, flores & arbores.

Bone Ieſu, quàm multa ſunt hic conſolationem, inſtructionẽ, profectũ, & admirationem excitantia, omnia à te nobis data: à te (inquam) potentiſſimo, altiſſimo, immenſo, nobis vermiculis & ingratis. Fac igitur piiſſime Ieſu, vt nihil nos à te abducat, ſed omnia nos hinc ad te trahant.

Viden

Videndo amœna.

Ieſu bone, infinita ſit tibi laus & gratiarũ actio, qui tot & tanta creaſti & dediſti nobis, non ſolũ ad ſuſtentationẽ, ſed etiam ad conſolationẽ, pro immenſa tua ad nos dilectione. Dulcis Ieſu, vtinam ad te ſuſpirent, ad te currant, in te fluant, in te ſtabiliantur, & in te quieſcant omnia vota & deſideria noſtra.

Quando vides ignem aut ſentis calorem.

O domine mi Ieſu Chriſte, ô amor ſemper ardens & nunq̃ deficiens, vſquequo frigidus maneo? quouſq; meam tepiditatẽ toleras? Ah quando diligam te ex omnibus viribus & medullis animæ meæ. Ah vtinã charitatem & bonitatem tuam perfectè cognoſcerem. Ah vtinam cor meum amoris tui ignea ſagitta ita tranſfodiat, vt amoris tui vulnus in me ſemper renouetur, & indies dilatetur. Vtinã cor meũ iugi incendio amoris confletur, & cordi tuo vniatur, vt omnis amor alius peregrinus in me extinguatur.

Quando beneficij aliquid accipis.

Benig-

BEnigniſſime domine deus meus, gratias ago tibi pro amore tuo erga me ingratiſſimũ & viliſſimũ peccatorẽ plus q̃ paterno: vnde hoc & alia infinita tua beneficia prodeunt. Fac igitur quęſo pie deus, me tibi fidelem, vt te ſolum quæram, tuũ honorem ſitiam, cuncta in gloriã tuam referam, mihi verò nihil niſi peccata mea tribuam, in te ſolo delecter & requieſcam.

Alia.

Dulcis Ieſu, præſta vt in vnione huius charitatis, qua nos diligis, hoc dono vtar ſecundum beneplacitum, & ad gloriã tuam.

Quãdo aliquid honoris tibi offertur, aut alio tẽpore quãdocũq; vis.

O Infinita bonitas domine deus meus, tibi ſoli ſit honor & gloria, mihi nihil debetur niſi confuſio & deſpectio. Rogo tamẽ pijſſime Ieſu, ne tu me abijcias, ſed facias vt fideliter tibi ſemper inhęream, vt extra te in nulla re conſolationem recipiam. Tu es deus meus, ego vero ſum puluiſculus terræ, & prorſus nihil. Nihilominus

nus quia creaſti me, amas quod feciſti. Facias igitur vt & ego amem te, deus meus, creator meus, ex intimis medullis aiæ meæ.

Quando ſentis aduerſitatem tibi imminere aliquã, prępara te flectẽdo genua, aut quomodo potes, & dic humiliter in feruore ſpiritus.

DVlciſſime dñe Ieſu Chriſte, in vnione illius charitatis qua teipſum obtuliſti in mortem, offero tibi cor meũ, vt de me & per me fiat beneplacitum tuum. Dulcis Ieſu hoc beneplacitũ tuum eligo & deſydero (quantalibet inſtent aduerſa) & me totum ſanctiſſimæ fideliſſimæq; prouidentię tuæ cõmitto. Spero enim & rogo, vt me & omnia quæ circa me ſunt, tu dirigas ad gloriam tuam, & animæ meæ ſalutem.

Quum improperiũ irrogatur, aut iniuria.

Benedictus es dñe deus meus, qa tibi ſoli debetur oïs honor, mihi nil niſi ignominia.

Alia.

Amo

Amore tui dulciſſime Ieſu, & in vniõe im properiorũ tuorũ, volo hanc, quia dignus ſum, aduerſitatem ſuſtinere, & per cor tuum manſuetiſſimum tibi offero.

Reſignatio alia ad ſuſtinendam iniuriam aut aliquam preſſuram.

O Ieſu amabiliſſime, mitiſſime, ac patientiſſime, in vnione omniũ aduerſitatũ, pœnarũ & opprobriorũ, quæ tu innocentiſſime paſſus es pro me, volo hæc moleſta, aut hanc preſſuram (licet modica ſit) pati etiã pro te, id eſt, pro tui amore, & quia tibi ſic placet. Dignus enim ſum omnibus malis, & multò grauiora cõmerui. Hæc igitur quæ patior, offero tibi per mitiſſimũ cor tuum, vt tu quoq; illa tibi vnita pro me offeras patri tuo, in amore illo quo ipſum diligis. O dulcis Ieſu da mihi perfectiſſimam patientiam, mititatẽ, benignitatem, & veram humilitatẽ vt omni cõtemptu & pœna me dignũ ex animo cognoſcã, cuncta quę ſuper me veniunt mala patientiſſimo atq; deſyderantiſſimo corde ſuſcipiam, & tui amore q̃ diu tibi placuerit, cum gaudio & gratiarum

actione atq; cũ pleniſſima reſignatione mei-
ipſius longanimiter omnia ſuſtineam.

Inter patiendum ſui oblatio atque commendatio ad deum.

OMnem hanc preſſuram quam nũc pa
tior, ô miſericordiſſime Ieſu dñe Ieſu
Chriſte, & ſi quid grauius etiã pati me
volueris tui amore de manu prouidẽtię tuę
& de volũtate amantiſſimi ac paterni cordis
tui ſuſcipio, & pro immẽſo amore tuo, quo
ab ęterno in ſalutẽ meam hæc ordinaſti, tibi
gratias ago. Ieſu fideliſſime, quid dicã, niſi
quia peiora merui, & omni gratia tua, conſo
latione, ac beneficio tuo indignus ſum? Id-
circo ad honorem acerbiſſimæ paſſionis &
mortis tuę, in quas te vltro pro me obtuli-
ſti, offero me ad ſuſtinendam hanc preſſurã
ſeu aduerſitatẽ, proponẽs nullam aliam con
ſolationem ſeu liberationẽ quęrere, niſi per
te domine, aut ſecundũ beneplacitũ tuum.
Hoc tamẽ rogo & obſecro te per miſericor
diſſimũ cor tuũ, quia nulla virtus & penitus
nihil boni eſt in me, adiuua me, & da mihi
quicquid neceſſariũ eſt (plura eñ neceſſaria
ſunt

ſunt mihi peccatori miſero & imbecibilli q̃ ſeruis tuis fidelibus) ad ſuſtinendũ & perficiendum beneplacitũ tuum. Et fac vt ita me ſemper habeam, ita ſim coram te, ſicut maximè tuæ placet voluntati. Atq; vtinam valerem, vtinam tantam à te gratiam dignus acciperem, qua omniũ & ſingulorũ qui pro te paſſi ſunt, preſſuras ſolus ſufferre poſſem, vt pro omnibus patiendo, vt pro omnibus tibi gratias agendo, aliquid quod tuæ charitati gratũ eſſet offerrem, & me totũ tibi impenderem. Eia benigniſſime Ieſu, fac me quęſo totum in omnibus ſecundũ beneplacitũ tuum, in agendo & patiendo, & voluntatem meam ſic vnias tibi, vt nõ aliud poſſim velle, q̃ quod tu vis.

Quando exiſtimas te grauatũ tribulatione aut preſſura, reccurre ad crucifixum ſaluatorem tuum, & inde præſidiũ roga, modò quo ſequit̃.

PRocide ad pedes eius, & oſculatis pedum vulneribus, dic: Reſpice, quæſumus, omnipotẽs ęterne deus ſuper me

miſerum ſeruum famulum tuum, pro quo dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi innocentium,& crucis ſubire tormentum.Illumina cor meum,vt intelligam & ſentiam quanto amore hanc aduerſitatem ſuper me venire permiſiſti.

Deinde ad manus crucifixi dic:Da mihi domine sediũ tuarum aſſiſtricem ſapiẽtiam, quæ intellectum meum illuminet,cor meũ purificet, & affectum meum inflammet ad cognoſcendum & amandum te dominum deum meũ,in omnibus & ſuper omnia omni tempore: & vt ipſa æterna tua ſapientia mihi aſſiſtat,me confortet, mecumq́ operetur,vt ad perfectum vſq; finem, hanc preſſuram ſufferre poſſim,pro gloria tua,& pro vita & omnium fidelium ſalute. Tertio ad cor accede,& dic: O amor ineffabilis,ò charitas ad nos fideliſſima & immenſa. Chriſte Ieſu amantiſſime,per amorẽ cordis tui, quo pro omnibus,omniũ grauamina pertuliſti, adiuua me vt hanc preſſuram ęquanimiter ſuſtineam quàmdiu tibi placuerit.

Cogita ſæpius ita.

Dulcis

Dulcis Ieſu,deus meus,ſi mihi dares optionem & promitteres quæcunq; peterem te daturũ:non aliud q̃ hoc peterem,& hoc milleſies millies peto,vt laudabiliſſima voluntas tua ſecundum optimũ beneplacitum tuum in me,de me,per me,& in omnibus fiat.

Quãdo aliquid tibi quod delectabile eſt,ſubtrahere aut vitare volueris.

DOmine Ieſu Chriſte, ad honorem & memoriam tui, & in gratiarum actionem, q̃ pro meis peccatis ſatiſfaciendo,propter me quæ carni duriora erant ſemper elegiſti,& à noxia omni delectatione immunis fuiſti,queſo te,da mihi ſenſuum meorum continẽtiam,vitiorumq; omnium, paſſionum,delectationum & affectionum inordinatarũ perfectam mortificationem. Dulcis Ieſu,in vnione amoris tui,quo propter me delectabilia tibi ſubtraxiſti,volo me cõtinere à delectatione hac,vel volo intermittere,aut carere hac re ſiue conſolatione. Da mihi pie Ieſu,vt ſyncerè & purè propter gloriam tuã hoc velim,poſſim & perficiam iuxta beneplacitum tuum.

Pro virtutibus & imitatione vitæ Chriſti.

IEſu manſuetiſſime, obſecro te per mitiſſimum cor tuū, infunde mihi ex eodem fonte ſalutari perfectiſſimā humilitatē, mititatem, patientiā, charitatem & cæteras virtutes, vt tui amore cupiam, diligamq́ꝫ neſciri, contēni, cōtumelias & iniurias pati. Dulcis Ieſu, fac me imitari veſtigia ſacroſanctæ vitę & paſſionis tuæ in vera abnegatione meijpſius & ardentiſſima charitate. Vulnera cor meum iugi recordatione paſſionis tuæ, vt aliud neſciam q̄ te dominū deum meum pro me crucifixū. Hæc ſit cogitatio à me nunq̄ recedens, cor meum amore ſcindens, & intima animæ meæ penetrans.

Aſpiratio ad deum, crebrius quotidie repetenda.

DVlcis Ieſu deus meus, abſorbeat me quæſo ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum, purgetq́ꝫ & rapiat in ſe omnia interiora mea, vt ſicut flamma ardens, aut ferrū candens, tui amore totus

tus ardeam, totus à meipſo deficiam te verò ſolū cogitē, te ſolū deſiderē, te ſolū ſciā & ſentiam, tibiq; ſoli inſeparabiliter inhęreā. Amē.

Hæ duæ orationes quæ ſequuntur, contra peccata frequentandæ ſunt præcipuè ab his, qui ſunt in conflictu vitiorum.

Ad Chriſtum.

MItiſſime atq; miſericordiſſime Ieſu, obſecro te per cruenta roſeaq; vulnera tua, per omēs dolores ac pœnas tuas, per amariſſimā mortem, & per omnia merita ac interceſſiones beatiſſimæ virginis Marię matris tuæ & omniū ſanctorum tuorū, libera & cuſtodi me à ſuperbia, inuidia, acedia, & omni peccato. Da mihi te ex toto corde meo diligere & voluntatem tuam perfectiſſimè in omnibus implere.

Ad Mariam virginem matrem.

O Puriſſima, nobiliſſima atq; ſpecioſiſſima omniū virginū, digniſſima dei mater Maria, obſecro te per profundiſſimam humilitatē tuā, per ſanctiſſimā caſtiſſimamq; puritatē, & per feruentiſſimā charitatem tuam, pérq; omnia dona, virtutes & gra-

 tias,

tias, quibus ornata es à deo, vt ſis digniſſima eius mater, recipe me in cuſtodiā & amorem pijſſime materni cordis tui, tanq̄ filium, licet indigniſſimus ſim, & impetra mihi tui amorem ſanctiſſimū atq; caſtiſſimū. Impetra mihi perfectiſſimā humilitatem, caſtitatem, charitatem, & cæteras virtutes omnes, quibus tu placuiſti deo. Impetra etiam mihi, vt per ſingularē miſericordiā filij tui, per merita paſſionis eius, & per iugem contritionem peccatorū meorū in hac vita, totus purificari merear ab oīibus vitijs & peccatis meis, vt poſt hanc vitā ſine dilatione ad vitam recipiar ſempiternā. Et propterea ô dulciſſima domina miſericordiæ, impetra mihi, vt ſemper quæcunq; ſuper me triſtia euenerint, patientiſſimè & cum gratiarū actione hic ſuſtineam, & omnes vires corporis & animę meę omneq; tempus vitæ meæ in laudem & gloriam filij tui, ſecundum eius perfectiſſimum beneplacitum expendam.

Lauando manus.

O Miſericordiſſime domine deus meus Ieſu Chriſte, purifica me in ſanguine

tuo

tuo ab vniuerſis peccatis, vitijs, & negligentijs meis, vt puro ac ſimplici corde tibi ſemper placeam, & amore feruētiſſimo inaduertibiliter tibi ſemper inhæream.

Exiturus inter homines cōmenda te deo hoc modo.

AMantiſſime Ieſu, omnes ſenſus & vires animæ meæ, omnia mēbra corporis mei, totumq; cor meum cōmendo tibi, & hæc cuſtodienda, regenda, ac ſeruāda recondo in vulnus illud gratioſiſſimū & fideliſſimum cordis tui, vt ibi tu ab omni peccato, ab omni delectatione & affectione vitioſa me præſerues, & velle ac nolle, quieſcere & operari meum in te concludas ac perficias, omniumq; actuum & cogitationū mearum ſis tu principium, intentio & finis.

Dulcis Ieſu, da mihi perfectiſſima abnegatione meijpſius veſtigia ſacroſanctæ vitæ tuæ deuotiſſimè & perfectiſſimè imitari, & in omnibus beneplacito tuo conformari.

Cum reuerteris ab occupationibus aut conuerſatione hominum ad

quietem & ſilentium cordis, te pa-
ra, & dic.

O Amator amabiliſſime, vnica conſola
tio & requies animæ meæ, nūc omni
creaturæ abrenūtio, & ad te ô dulciſ-
ſime Ieſu, me conuerto, teq́ omni deſydera
bili præeligo, ſuſcipe & poſſide me per gra-
tiam tuam, trahe me in te, & fac vt inauerti-
biliter inhæream & quieſcam in te.

Sequuntur exercitia quædam ſpi-ritus, quibus excitetur colliga-turq́ in deum.

Exercitium ad pijſsimū fideliſsi-mumq́ cor Ieſu.

AD venerationem cordis pijſſimi Ieſu
amore ac miſericordia exuberatiſſimi
ſtudeas teipſum excitare, ac ſedula de
uotione ipſum frequentare, illud oſculando
& mente introeundo. Per ipſum petenda pe
tas, & exercitia tua offeras, quia chariſmatū
omniū eſt apotheca & oſtium, per quod nos
ad deū, & ipſe ad nos accedit. Itaq; figuram
aliquam

aliquam dominici cordis, aut quinq; vulne rum, aut cruentati Ieſu, vulneribus ac liuo re ſaucij, ponas in loco aliquo, quem ſæpius tranſire habeas, qua ſæpius exercitij tui & amoris excitandi in deũ admonearis. Hanc intuens, memor ſis exilij, miſeriæq; captiui- tatis in peccatis. Proinde gemebundis ſuſ- pirijs deſyderioq; feruẽte cor tuũ erigas ad deum, & mente duntaxat, ſine ſtrepitu oris, aut etiã verbis (ſi hęc te iuuant) ad illũ cla- ma, deſyderans cor tuũ mundari, atq; cum Chriſti corde, id eſt, cũ diuino beneplacito tuam voluntatẽ vniri. Poſſes etiã, vrgente deuotione interna, figuram hanc, id eſt, cor dñi Ieſu oſculari, & animo tuo perſuadere, quaſi verũ deificum cor dñi Ieſu ſub labijs habeas oſculandũ, in quod cor tuũ impri- mere geſtias, atq; ſpiritũ tuum immergere abſorberiq; deſyderes, videariſq; tibi ex gra tioſo corde ipſius attrahere in cor tuũ ſpiri- tum eius, gratiam quoq; eius & virtutes ac prorſus quicquid fuerit ibi, quod menſurã excedit, ſalutare. His enim omnibus cor Ie ſu exuberantiſſime ſcatet. Expedit autem & valde pium eſt cor domini Ieſu deuote ho-

norari, ad quod in omni neceſſitate confugias, vnde conſolationē quoq; & omne auxilium haurias. Nam vbi cunctorum te mortalium corda deſeruerint, vbi impoſuerint tibi, ſecurus eſto, hoc fideliſſimū cor te non decipiet, nec derelinquet.

Sequitur oratio.

O Cor nobiliſſimū, pijſſimū atq; ſuauiſſimum fideliſſimi amatoris mei Ieſu Chriſti dei & domini mei, trahe atq; abſorbe quæſo cor meū, oēs cogitationes & affectus meos, omēs deniq; vires animę & corporis mei, & quicqd in me eſt, qcquid ſum aut poſſum, in te ad gloriam & ſanctiſſimū beneplacitū tuū. O miſericordiſſime dñe Ieſu Chriſte, in cor tuū cōmendo atq; reſigno tibi me ipſum totū. Oro te etiā benigniſſime deus, aufer à me cor meū prauū, impiū ac ingratum, & da mihi deificum cor tuū, aut fac cor meum ſecundum cor tuū, & ſecundum perfectiſſimum beneplacitum tuum.

Ah domine deus ſaluator & redemptor meus, aufer à me peccata mea, & quicquid tibi diſplicet in me. Quicquid verò tibi pla

cet ex ſanctiſſimo corde tuo infunde mihi. Conuerte me,& poſſide me totũ in ſanctiſſimum beneplacitũ tuum,& in tui amorem. Fac vt vniatur cor meũ cordi tuo, voluntas mea voluntati tuæ, vt nunquam aliud velim, nunquam aliter velle poſſim, quàm quæ tu vis & tibi placent. Diligam te dulcis Ieſu deus meus, ex toto corde meo, in omnibus, & ſuper omnia.

Ad B. Mariam cũ corde Ieſu.

AVe Maria gratia plena, dñs tecum. Ah S. Maria vtinã eius gratia & tua ſemper ſit mecũ, & cor meũ ſemper vobiſcum. Benedicta tu in mulieribus. O piiſſima mater dei, fac me totũ ſecundum beneplacitum filij tui. Atq; vtinã ego totus tuus & tu tota mea ſis. Et benedictus fructus ventris tui I E S V S Chriſtus deus meus pro me crucifixus & mortuus. Eia benigniſſime Ieſu, benedictum ſit etiam piiſſimum cor tuum pro cunctis miſerationibus ac beneficijs ad nos inde manantibus. Tibi ſit laus, honor, gloria & gratiarum actio ex me & à ſingulis creaturis tuis, pro tua immen

immenſa ad nos charitate. Dulcis Ieſu, miſerere noſtri, & præcipue mei miſerrimi peccatoris, qui me omniũ viliſſimũ atq; tibi ingratiſſimum feci. Fac vt diligam te ex toto corde meo, atq; vt placeam inhæreámq; tibi totus perpetuo & inauertibiliter. Ah domine deus meus, vtinã vere ego ſim totus tuus, & tu totus meus. Hoc (qui ſic oras) ita intellige: tunc es totus dei, quando nihil in te eſt, quod diſplicet deo: tunc verò deus eſt totus tuus, quando tu nihil amas, nihil deſyderas, niſi deum, quando nihil tibi placet extra deum.

Exercitiũ ad quinq; vulnera Chriſti. Ad dexterum pedem.

DVlciſſime Ieſu, in hoc vulnere peto ignoſcas, quicquid cogitatione aut affectione praua cõtra te deliqui. Et ſuppleas tuis meritis, quicqd boni cogitare aut amare debui & neglexi: & facias, vt poſt hac te ſolum cogitem, te ſolũ deſyderem, nihil mihi placeat, nihil me afficiat, niſi tu domine deus meus.

Ad ſiniſtrum pedem.

DVlciſſime Ieſu, in hoc vulnere quæſo ignoſcas quicquid ſenſuum meorum incontinentia ac abuſu in te deliqui, & concludas omnes ſenſus meos intra te, vt velut mortuus mundo, nihil videam, nihil ſentiam, niſi te deum meum pro me crucifixum.

Ad dexteram manum.

DVlciſſime Ieſu, in hoc vulnere quęſo ignoſcas cunctis actibus, & operibus meis malis ac vitioſis, quibuſcunq; benignitatem tuam offendi, & ſuppleas tuis operibus virtuoſis quicquid (quod interim facere debueram) neglexi: & facias vt poſt hac per gratiam tuam emundatus, vitæ tuę ſanctiſſimæ per deuotiſſimam imitationem merear conformari.

Ad ſiniſtram manum.

DVlciſſime Ieſu, in hoc vulnere quęſo ignoſcas impatientiæ atq; immortificationi meæ, quomodocunq; deliqui, & des mihi ex hoc vulnere mitiſſimã patientiam in omnibus aduerſis. Tibi enim huc offero,

& commendo & me & omnia mea, tam læta quâm aduerſa.

Ad cor.

O dulciſſime Ieſu, in hoc vulnere quæſo ignoſcas, quicquid voluntate mala aut intentione non ſyncera cõtra te deliqui, & offero tibi cor meũ, vt illud cordi tuo vnias, vt te ſolum in omnibus pure quæram & intendam, & aliam præter tuam voluntatem poſt hac non habeam.

Alio modo exercitiũ tibi occurrere poteſt quod circa roſariũ vitæ & paſſionis Chriſti iampridem ædidimus, vt in dexteri pedis vulnus cõdas peccata tua, à quibus petas te emundari, liberari ac præſeruari. In ſiniſtri pedis vulnus recondas negligentias & obligationes tuas, quas petas emendari & ſuppleri. In dexteræ manus vulnus recondas omnes actus & conatus tuos, dei gratia in te ſuſcitatos, quos petas cõſeruari & perfici. In vulnus ſiniſtræ manus recõdas omnia beneficia, gratias & dona tibi a deo collata, petẽs ea confirmari & augeri ad dei gloriam. In vulnus cordis Ieſu recondas cor

tuum, & omnes potentias, vires, intẽtiones & affectus tuos, petẽs illa in cor Chriſti abſorberi, atq; eius ſpiritui vniri.

Aliud exercitium eſt ad vulnera Ieſu, vt dextri pedis ſit tibi balneum aut baptiſma, quo munderis a peccatis: Siniſtri pedis ſit valetudinariũ ſeu apotheca, vbi a vitijs cureris: Dextræ manus ſit tibi veſtiariũ, quo virtutibus ac meritis Chriſti veſtiaris: Siniſtræ manus ſit tibi propugnaculũ, quo contra hoſtes malignos, & tentationes mundi ac carnis protegaris. Cordis vulnus ſit tibi thalamus, quo ſponſo tuo Chriſto amore vniendus coniungaris. In ſingula vulnera ingreſſus, facilè tuipſe potes applicare & deſyderia & aſpirationes tuas.

Habens tria hæc exercitia atq; triformia ad Chriſti vulnera, poſſes etiã legere Roſarium B. virginis, & ſingulas angelicas ſalutationes per intentionẽ deuotionis ſingulis Chriſti vitę articulis applicare, atq; mẽte aſpirãdo ad Chriſtũ, pro illis gratias agere. Articuli autẽ ſunt quinquaginta vitę ac paſſiõis Chriſti, quorũ verſus memoriales infra habentur in exercitio vitę & paſſionis Chriſti,

Exer

Exercitium aliud valde deuotũ, in quinque vulnera Chriſti, & in quinq; dolores piæ matris eius, ad S. Trinitatẽ, quod ſolum ſufficeret quotidie illud agenti.

Ad Patrem. Oblatio.

CLementiſſime pater, æterne deus, pro omnibus peccatis meis, & pro peccatis totius mundi offero tibi vnigenitũ tuũ in cruce pendentem: omnẽ quoq; paſſionẽ, dolorem, anguſtiã, preſſuram, ſanguinẽ ac mortẽ eius offero tibi in ea charitate & virtute, qua olim ſemetipſum obtulit pro nobis in ara crucis. In eiuſdẽ oblationis vnione offero meipſum tibi in laudem, in gloriã & in beneplacitum tuum ſempiternum.

Hic poſſent legi Pater nr̃, Aue Maria in vulnus dexteræ manus.

AMantiſſime Pater, hoc vulnus, hunc ſanguinẽ, hunc laborem dexterę vnigenititui, eius amorẽ perfectiſſimãq; obedientiam offero tibi cõtra om̃ia peccata

mea

mea & totius mundi, præcipue autẽ contra omnẽ inobedientiã & rebellionẽ meã, imò cõtra oẽm propriam voluntatẽ meã, orans, vt ex hoc vulnere mihi infundas perfectiſſimam obedientiã, qua vel nutũ quencunq; beneplaciti tui tam prõptus tanq; obediens ſequar, q̃ ſequitur vmbra ad motũ corporis ſui. Da mihi vt etiã tui amore, & filij tui imitatione, omni creaturæ meipſum humiliem atq; ſubijciam iuxta beneplacitũ tuũ. Eia benigniſſime deus, da mihi abyſſalem abnegationem meiipſius, tãtamq;, vt ſine vllo reſpectu, ſine vlla retractione cordis fideliter meipſum totũ tibi offeram, totũ reſignem, totũ relinquã, nihil habens de vlla proprietate, ſed tuũ ſolum amans, quærens, faciens, ſuſcipiens, atq; ſuſtinens beneplacitum.

In vulnus ſiniſtræ manus Ieſu, Pater noſter. Aue Maria. Oblatio.

AMantiſſime Pater, hoc vulnus, hũc dolorem ſiniſtræ vnigeniti tui, eius amorem, eiusq; perfectiſſimam humilitatẽ offero tibi contra omnia peccata mea, & totius mundi, & præcipuè cõtra omnẽ ſuper-

 biam,

biam,cõtra vanam gloriam meã,& cõtra vitia quæcunq; inde naſcẽtia,orans vt per gratiam tuã hæc in me extinguantur & moriantur. Oro etiam mitiſſime deus, vt ex hoc vulnere mihi infundas profundiſſimã tibiq; acceptiſſimã humilitatẽ,qua vilitatẽ nihileitatemq; meã prorſus oẽm cognoſcam,meipſum deſpiciam,& neſciri,vilipendi, atq; ab omibus ſperni & cupiã & ex animo gaudeã.

In vulnus dexteri pedis. Pater noſter. Oblatio.

AMantiſſime ac miſericordiſſime Pater, hoc vulnus,hũc ſanguinẽ,hunc dolorẽ dexteri pedis vnigeniti tui,eius amorem, eiusq; perfectiſſimã patiẽtiam ac mititatem offero tibi cõtra omia peccata mea & totius mundi,& præcipuè cõtra omnem iracundiam atq; impatientiã meam,orãs vt ex hoc vulnere mihi infundas perfectiſſimam patiẽtiam ac mititatem, vt aduerſa omia deſyderanter atq; hilariter de manu tua recipiam,nullam euaſionẽ aut conſolationẽ quęram,ſed ad finem vſq; quęcunq; tu mihi patienda miſeris, cũ omni gratiarũ actiõe ſuſtineam,

heam, tibi ſoli perfectiſſima, ſola, nuda ac puriſſima charitate inhæream, & plena perfectaq́ fide ac fiducia meipſum inter quoſcūq́ euētus in amantiſſimā pijſſimamq́ volũtatem, bonitatē ac dilectionē tuam proijciam.

In hoc vulnere poſſes deo Patri gratias agere hoc modo pro tribulationibus.

Amātiſſime ac fideliſſime pater, ego pro cūctis atq́ quibuslibet aduerſitatibus quas ſuper me vnquam venire permiſiſti, tibi gratias ago, teq́ laudo, adoro & benedico. Itaque benedico te pro paterno illo amore tuo quo mihi patienda omnia in ſalutē cõuertis.

Oro etiā te dulciſſime pater pro om̄ibus q̄ mihi aduerſa vnq̄ intulerūt, aut nocere voluerunt, vt tu illis non ſolum ignoſcas, ſed etiam non imputes, imò (quia fuerūt miniſtri æternę diſpenſationis ac prouidētiæ tuę) æternam illis mercedem tuæ beatitudinis conferas. Præterea, veniam à te rogo & miſericordiam clementiſſime Pater, quòd ea quæ mihi toleranda miſiſti, ingratus ſæpe ſubterfugi aut euadere quæſiui, aut non tam patiēti atq́ hilari, ſed tepido atq́ inuito corde ſuſcepi. Porro nūc benigniſſime Pa-

ter offero me tibi ad quæcunq; tolerãda iuxta ſanctiſſimum beneplacitum tuum. Non poſſum pijſſime deus ſatiſfacere aut pati pro peccatis meis, pro ijs enim tibi paſſionem ac mortem offero vnigeniti tui. Verum pro gloria tua, pro beneplacito tuo, vt ſatiſfaciat iuſtitiæ tuę, & ex charitate offero meipſum tibi in manus tuas, obſecrãs te per immenſam bonitatem tuam, vt mecum agas, meq; facias & agere & pati quomodocunq; me velis eſſe, & tibi maxime placeat.

In vulnus ſiniſtri pedis, Pater noſter. Oblatio.

AMantiſſime ac miſericordiſſime Pater, hoc vulnus, hunc ſanguinẽ, hũc dolorẽ ſiniſtri pedis vnigeniti tui, eius amorem, eiusq; perfectiſſimã ac clemẽtiſſimam miſericordiam offero tibi cõtra om̃ia peccata mea & totius mundi, & præcipue contra omnẽ duritiam, inclementiam atq; inuidiam meam, orãs vt hoc vulnere mihi infundas miſericordiam pietatẽ, compaſſionẽ, benignitatem, manſuetudinẽ ac charitatem perfectiſſimam ad omnes homines, potiſſime autem

autem ad eos qui me offenderunt, vt pijſſi-mo maternoq́ affectu omniũ neceſſitatibus & mœrori cõdoleam, omnibus ſuccurram, omnibus benefaciam, omnes portem, conſoler, ac ex animo diligam.

In vulnus cordis Ieſu. Pr̃ nr̃. Oblat.

AMantiſſime ac ſuauiſſime Pater, hoc vulnus, hũc ſanguinẽ, hanc aquã cordis vnigeniti tui, eiusq́ charitatẽ immenſam qua te ipſe dilexit, offero tibi cõtra oĩa peccata mea & totius mũdi, & p̃cipuè cõtra omnẽ acediam, teporẽ, negligentiam ac inordinatũ amorem meum, orans vt ex hoc vulnere mihi infundas charitatem intenſiſſimam, puriſſimã, ardentiſſimam, perfectiſſimam atq; perpetuam, qua ex toto corde meo te diligam, laudem ac benedicam in oĩbus & ſuper omnia, vt te ſolũ cogitem, te ſolũ deſyderem, te ſolũ quæram ac intendam, tibi ſoli inhæreã, tibi ſoli placere cupiam, oẽsq́ vires animæ & corporis, omne deniq; tẽpus vitæ meæ in laudem ac beneplacitum tuũ, in amorem ac gloriam tuam expendam atq; conſumam. Amen.

Hoc exercitio expleto, accede ad dominum Ieſum crucifixum, & offer ei cõpaſſionem matris pro tuis totiusq́ mundi peccatis, vt ſequitur.

Oratio.

BEnigniſſime Ieſu, quem pro nobis, & propter nos charitas ardentiſſima erga nos cruci affixit, ſuſcipe nũc omniũ vulnerum tuorũ dolores ſanguineasq́ guttas, ſuſcipe pientiſſimę matris tuę cõpaſſionẽ & dolorem pro peccatis meis, & pro peccatis vniuerſi mũdi. Suſcipe etiã quęſo me indiguũ peccatorẽ, quem tibi offero in vnione doloris matris tuę, & in vnione charitatis tuæ, & cõuerte me in laudem & gloriam tuã, iuxta ſummũ atq; ſupremũ beneplacitũ tuum.

Primi doloris Mariæ oblatio.

Lege (ſi vis) Pater noſter.

BEnigniſſime ac ſuauiſſime Ieſu, dolorẽ illum benedictę ac cõpatientiſſimæ matris tuæ, quo te nudũ, pauperem, humiliatũ atq; deſpectum vidit in cruce inter latrones pendentem, offero tibi pro me & pro toto mundo, obſecrãs te per miſericordiam tuã, vt paſſio

vt paſſionem tuam, matrisq́ tuæ compaſſionem ſimul imprimas cordi meo, adeò vt eiſdem oculis cum matre tua, eodemq́ corde vbiq; ac ſemper videam & ſentiam te patientem. Dulcis Ieſu, da mihi veram atq; perfectam paupertatem ſpiritus, qua meipſum & omnia extra te contemnam, propter te omnibus creaturis libenter caream, & nihil niſi aut propter te diligam.

Alterius doloris materni oblatio.

Pater noſter.

BEnigniſſime ac ſuauiſſime Ieſu, dolorem illum benedictæ ac compatientiſſimæ matris tuæ, quo te filium ſuum olim ſpecioſiſſimum vidit conſputum, cruentatum, fœdatum, plagis ac vulneribus laceratum, non habentem ſpeciem neq; decorem, offero tibi pro me & pro toto mundo obſecrans te per, &c. Dulcis Ieſu, da mihi caſtiſſimam puritatem, nuditatem ac ſimplicitatem cordis, qua tibi ſoli ſemper inhæream, & locum habitationis in me tibi gratum atque delectabilem ſemper præbeam.

Tertij doloris materni oblatio.

Pater noſter.

BEnigniſſime & ſuauiſſime Ieſu, dolorem illum benedictæ ac compatientiſſimæ matris tuæ, quo te vidit omnibus pœnis expoſitũ, cum fragore oſſium ac membrorum diſtentũ, omni conſolatione & auxilio deſtitutum ac derelictum, offero tibi pro me & pro toto mundo, obſecrans te, & cætera vt ſupra. Dulcis Ieſu, da mihi mititatẽ, fortitudinẽ, atq; conſtantiã ſpiritus, vt in omni tentatione ac aduerſitate ad te ſolum confugiam, omnẽ cogitatũ, omnem ſpem atq; fiduciam meam in te ſolũ collocem, patientiſſimo ac reſignatiſſimo corde me totum in te proijciam, tibiq; inſeparabiliter inhæream.

Quarti doloris materni oblatio.

Pater noſter.

BEnigniſſime ac ſuauiſſime Ieſu, dolorẽ illum benedictæ ac cõpatientiſſimę matris tuę, quo te filium ſuũ, quem vbere olim virgineo lactauerat, audiuit in aridiſſima ſiti. Sitio clamantẽ, nec qui guttam aquæ miniſtraret habentem, offero tibi pro me & pro

toto mundo,obſecrans te per,&c.vt ſupra. Dulcis Ieſu, da mihi omnē voluptatem carnis, omnemq; delectationē ſenſuum in me funditus abdicare, & ardentiſſima ſiti honorem,gloriam,beneplacitum tuum,ac animarum ſalutem zelari,& pro illis corpus & vitam meam impendere.

Quinti doloris materni oblatio.

Pater noſter.

BEnigniſſime ac ſuauiſſime Ieſu, dolorē illum benedictæ ac compatientiſſimæ matris tuæ,quo te filiū ſuum Vnigenitū vidit in cruce morientē, offero tibi pro me & vniuerſo mūdo obſecrans te per,&c.vt ſup. Dulcis Ieſu da mihi,vt mūdo, vitijs & cōcupiſcentijs omnibus,mihi ipſi & omnibus creaturis,moriar,& tibi ſoli viuam. Dulcis Ieſu, tu ſolus in me viuas, tu ſolus me totū poſſideas.

Ad ſpiritum ſanctum ſupplicatio.

MIſericordiſſime,pijſſime,benigniſſime deus,conſolator & amator noſter,ignoſce & condona nobis peccata noſtra.Exurat nos,illuminet nos, inflāmet nos

lux tuæ viſitationis, vt ab omni peccato puri efficiamur & alieni. Imple & cōfirma nos ſeptem donis tuis, inextinguibiliq́ gratia tua ſpiritus ſancte deus. Et hoc ipſum nunc operare in cordibus noſtris, quod olim in vaſis tuis electiſſimis, hoc eſt, in Apoſtolis tuis in die Pentecoſtes operari dignatus es, vt quicquid tu non es in nobis, pereat, & tui amor caſtiſſimus ac feruētiſſimus nos omnes inebriet, tranſformet, atque in ſe abſorbeat.

Concluſio huius exercitij ad beatiſſimam dei matrem.

AD pedes clementiſſimæ ſanctitatis tuæ proſtrati, rogamus te ô miſericordiſſima, pijſſima, & benigniſſima dei genetrix, mater miſericordiarum & gratię, eſto nunc memor ô virgo ſublimis, excellentiſſimæ dignitatis tuæ, quapropter peccatores dei mater, cœli porta, arca fœderis, arca diluuij, ciuitas refugij, templum ſancti ſpiritus, miſericordiæ regina facta es. Suſcipe igitur nos omnes peccatores & deſolatos, in gratiam, in amorem, in tutelam ac patrocinium cordis

tui,

tui, & fac nos in illorum eſſe numero, quos ſingulari gratia in corde tuo habes dilectos impignoratos ac tibi deuotos. Infunde nobis piiſſima tui amorem caſtiſſimum atq; feruentiſſimum, omnesq́; virtutes ſanctiſſimæ vitæ tuæ, potiſſime autem humilitatem, mititatem, caſtitatem, charitatem & obedientiam. Impetra nobis dulciſſima felicē mortem, & aſta nobis tunc & in omni neceſſitate ac tentatione fideliſſima protectrix. Impetra nobis etiam, vt in hac vita in Ieſu Chriſti filij tui paſſionibus, meritis, ac miſerationibus mereamur ab omnibus peccatis & pœnis expiari, quo in morte liberi de hoc corpore, mox tranſeamus ad requiem ſempiternam. Amen.

Exercitium ſacerdotum, & eorum qui ſe ad Euchariſtiam præparant ſumendam.

PRo compunctione videatur ſupra effuſio cordis, ſeu meditatio animę peccata ſua gemētis. Videatur etiā effuſio, dei beneficia recolētis atq; gratias agentis. Excitetur

præterea

præterea,deſiderium amoris per aliquas aſpirationes,quibus liber hic plenus eſt.

Deinde ſi volueris in domini paſſione animum tuum ad deuotionem extimulari, habes infra vitam & paſſionē ſeruatoris,quindecim meditationibus diſtinctam.

Sacrificaturus ita colligere potes ſpiritum,intentionemq́ celebrandi.

BEnigniſſime Ieſu,in memoriam & gratiarum actionē ſacroſanctæ incarnationis, paſſionis & mortis tuæ,in memoriam immmenſæ charitatis tuæ, qua miſericordiam & beneficia tua ſuper nos multiplicaſti ab æterno & vſq; in æternum:in tui (inquam) memoriā deus bonorum omniū largitor,ſacrificiū tibi offerre cupio.Et vtinam ex toto cordis mei deſyderio verè id cupiā, & dignè perficiam cū profundiſſima humilitate & reuerentia, cum ardentiſſima deuotione & ſtabili cordis inhærentia in te,in laudem & gloriam nominis tui,ad ſalutē & profectum omnium generaliter, pro quibus tu mortuus es:eorū verò ſingulariter,pro quibus ſingulariter vis, aut ego debeo. Atq;

vtinam

vtinam dulciſſime Ieſu, ne pollutus atque adeò indignus accedam,tu in tuis vulneribus laues,& mundes me ab omnibus peccatis, vitijs,negligentijs, erroribus,& cæteris omnibus, quibus vnq̃ tibi diſplicui aut diſpliceo. Vtinam impleas & ornes me perfectiſſima charitate atq; omnibus virtutibus, quibus tibi placere debeo. Confirmes me in gratia tua tanta,per quã impoſſibile mihi fiat à te excidere, vt ſic in vnione illius intentionis,illius deuotiouis, illius puritatis, illius charitatis,quibus tu inſtituiſti,obtuliſti & offerri voluiſti à nobis hoc ſacrificiũ, nunc tibi illud offeram, & in eiuſdẽ vnione meipſum totũ in beneplacitũ tuum offeram holocauſtum. Inde quoq; mihi & omnibus Eccleſiæ tuæ filijs eam virtutem & fructum conſequar, quæ paſſio tua amariſſima & ignominioſa in cruce mors contulit mundo. In cuius memoriam & venerationem nunc ad altare tuum accedo, & ex gratia tua, ſub cuſtodia & protectione tua, tuum auxilium, tuam directionem, tuũ ſpiritum ſanctum in me inuocans. Qui cum patre & eodem ſpiritu ſancto,&c.

Alia

Alia recollectio breuis.

DOmine Ieſu Chriſte, qui vniuerſorũ es conditor, omniumq́ bonorũ largitor, en ego pauper, nudus, miſer & miſerabilis, multis peccatis obſtrictus, multis vitijs & abominationibus inquinatus, infinitis beneficijs tuis debitor, pro multis hominibus ſingulariter, pro omnibus generaliter orare teneor. Itaq; enim patiens ad te confugio, reſponde pro me. Tibi enim offerre cupio ſuauiſſime Ieſu ſacrificium corporis & ſanguinis tui in gratiarũ actionem, & in memoriam charitatis tuæ, paſſionis & mortis tuę, obſecrãs te per temetipſum deus meus, vt illud per cor tuum ſuſcipias, & patri offeras in vnione omnium meritorũ tuorum, in vnione perpetuę orationis tuæ, quam facis ad patrem pro nobis, in vnione virtutis & efficatiæ, quibus operata eſt mors tua in cruce. Et dones mihi & vniuerſæ hæreditati tuæ tuo ſanguine redemptæ, eundem fructum percipere, quẽ tu in nobis operatus es & meruiſti in cruce. Eia pijſſime domine, pręſta, vt hoc ſacrificiũ Miſſæ ita etiã tibi offeram

ram in vnione illius intentionis, illius pietatis, feruoris, deuotionis, charitatis ac reuerentiæ, quibus tu illud obtuliſti in ara crucis, quibus illud etiam offerendum inſtituiſti, & à nobis offerri voluiſti. Diues es in miſerationibus, tua ſuut omnia munera noſtra, tua ſunt etiam merita noſtra, tua ſunt præmia noſtra, totũ eſt miſericordiæ tuæ, quod habemus & ſumus. Parce nobis domine, & miſerere vniuerſo humano generi, quod tu creaſti, quod etiam pro nobis moriens à morte redemiſti. Da vnicuiq; ſicut tu ſcis, potes, & vis, ad gloriam tuam & omnium ſalutem dulciſſime ac miſericordiſſime domine deus meus.

Alia effuſio cordis ante miſſam ſeu ante ſumptionem Euchariſtiæ.

OMnipotens æterne deus, quantũ erubeſcere debeo in oculis maieſtatis tuę qui tam deformis, tã inops, tam ſordidus, tã vilis, tam miſer & ingratus ad te venio, nihil mecũ præter iniquitatũ mearũ faſciculos adferẽs. Et hoc cui cõquerar mi domine niſi tibijpſi, qui miſericordiſſimus es,

qui

qui medicus animarũ es, ſimulq́ꝫ pijſſimus ſaluator? Sana igitur me clementiſſime dñe in vulneribus tuis, laua me in ſanguine tuo purifica me in miſerationibus tuis infinitis. Da mihi oĩa merita, omnes virtutes omnes iuſtitias, omnem deniqꝫ decorem vitæ, paſſionis ac mortis tuæ amator & redẽptor fideliſſime. Da mihi etiam omnia merita ac virtutes beatiſſimæ Mariæ virginis ac matris tuæ, omniũ ſanctorũ tuorũ, & pręcipuè quorũ hodie eſt feſtiuitas in regno tuo. Da mihi omnia deſyderia ſancta, omnẽ deuotionem ac virtutes amicorũ tuorum. N. atqꝫ omniũ electorũ tuorũ, qui ſunt in hoc mundo (quos ò pie Deus nũc quæſo facias tibi mecũ aſſiſtere, mecũ offerre, mecumq́ꝫ gratiæ tuæ participes fore) ne appareat in conſpectu tuo ignominia nuditatis ac vilitatis meæ. Illumina quæſo æterne deus viſitatione tua cor meũ, & oẽs tenebras expelle à me. Fac me ſentire cũ timore ac reuerentia, cum profundiſſima humilitate, cum ardentiſſimo caſtiſſimoq́ꝫ amore iugem præſentiã tuam, quo ſimul mergar in abyſſum cognitionis propriæ nihileitatis, & tuę bonitatis.

Inſlam

Inflammma cor meum quæſo igne illo ardentiſſimæ ac potentiſſimæ charitatis tuæ, quæ te ad nos, & pro nobis ad mortẽ traxit. Illo quæſo igne glorioſe, benedicte & miſericordiſſime deus ardeat ſemper cor meum, quo omnes vires, omnes potentias, omnesq́ꝫ motus animæ meæ in te trahas, in te abſorbeas, & vt tecum perpetuo & inſeparabiliter vnum efficiar tu miſericordiſſime facias.

Ante ſuſceptionem Euchariſtiæ.

IAm tibi deberem occurrere deus meus, at præ confuſione, præ vilitate, præ pudore ſordium mearum nõ audeo apparere. Tu venis rex potentiſſime ac nobiliſſime ad immundã & infirmam creaturã tuam, quæ peccando ſe omnium fecit nouiſſimam, quæ eſt viliſſima, & velut nihil. Deus miſericordiſſime ac benigniſſime, cui nihil maius dicere valeo, q̃ deus vniuerſorum, deus meus & omnia. Itaq; deus meus, excita quæſo animam meam, orna pannoſam ac miſerã præpara tuipſe locũ & habitationẽ intra me, qua te delectat recipi, vbi digneris inſeparabiliter manere. Da mihi deſyderia, virtutes, ac

dona quę te delectent,& quibus tibi occurrē re,teq́ʒ ſuſcipere debeo domine deus meus. Ecce venio,ſed pauper & nudus. Ecce venio,ſed ad miſericordiſſimum, ditiſſimum amantiſſimumq́ʒ patrem.Itaqʒ pater dulciſſime, amator fideliſſime, en ego ad te venio, qui non ſum dignus vocari filius tuus.Atqʒ idcirco proijce me totum in beneplacitum tuum, in iuſtitiam & miſericordiam tuam. Fac mihi,age mecum quomodo tibi placet, & quomodo te decet ad gloriam tuam ſempiternā. Deus meus, prohibe ne ex me tibi veniat irreuerētia,ſed honor & gloria ſempiterna. Recipe tu teipſum intra me domine deus meus. O ſi merear & ego in tuos amplexus recipi. Sed heu, quid ego ſordidus deſyderare præſumo à te domine rex cœlorum. Tuæ eſt bonitatis miſericordiſſime deus, qua dignaris venire ad me. Ideo per eandem bonitatem tuam obſecro te, fac vt dignè ad gloriam tuam recipiam te, & tu recipias me. Dulcis Ieſu, trahe tu me intra te, quia nolo amplius eſſe extra te. Dulcis amator domine Ieſu, qui te vocas ſponſum animæ meę,tibi me offero,tibi me totum dedo,

fac

fac vt vltra non ſim meus, ne intra me aliquid ſit meum aut mihi proprium, ſed totus ego tuus ſim, & omnia mea tua ſint, ſine vllo reſpectu inclinatione ve propria ad meipſum te ſolum ſciens acſentiens. Dulcis Ieſu, poſſide me totum tu ſolus perfectiſſimè ac ſemper. Amen.

Quando lauas in Miſſa manus.

COgita & ingemiſce pro ſordibus tuis, ꝙ tiās creatorē cœli & terræ (cui ſe totus orbis inclinat, quē angeli tremūt & adorant) tractaturꝰ & ſumpturus, indignus adeoq; vilis & impurus in oculis eius, vt cū multo dolore cordis merito ſępius ad illum clames: O miſericordiſſime deus, propitius eſto mihi peccatori. O colende, ò metuende, ò adorande omnipotens æterne deus, quid facio? Tuæ miſericordiæ infinitæ me committo. Obſecro te pietas immenſa, non ſinas vt offendam te. Aut munda me à peccatis meis, & purifica cor meum ab omni prauitate: aut occide me, ne peccem in te. Dulciſſime Ieſu, omēs ſenſus, omnes vires, cogitatus & affectus meos include & ſtabili

intra cor tuū & perpetuo ibi ſepeli, vt tecū ſim & maneam totus in æternum. Laua me domine ab om̄ibus peccatis, vitijs ac negligentijs meis, quo templū ſpiritus ſancti effici merear. Ah vtinā puro, ſimplici ac humili corde tibi ſemper placeam, & amore caſtiſſimo ac feruentiſſimo tibi ſemper inhæream.

In ſacrificio Miſſę, circa memorias viuorū aut ſacramēti ſumptionem, potes pro te ſic orare, aut alio tempore quādocunq; volueris.

MIſericordiſſime Ieſu tuæ maieſtati & pietati nunc ſupplicem offero & commendo me, rogans te per omnia vulnera corporis tui, per pretioſi ſanguinis tui guttas ſingulas, perq; immenſam pietatem cordis tui, vt in gratiam tuam me recipias, ab omni me peccato liberes & prę ſerues, cuſtodias, dirigas, teneas, atq; totum me poſſideas. Conuertas me totum in laudem, in honorem, & in beneplacitum tuum, vt de me, per me, in me, & in omnibus tua laudabiliſſima voluntas ſemper fiat, vt in omnibus & ſingulis ita ſim, ita me habeam, quemadmodum

dum maximè placeret tuę ſanctiſſimę volun tati. Vtinam vulneres, repleas, abſorbeas, vniasq́ me tibi deus meus, perfectiſſima, ardentiſſima, fideliſſima atq́ perpetua charitate, vt ex toto corde meo atq́ ex om̃ibus medullis animæ meæ te diligam, te ſitiam, quæram, laudem, & benedicam in omnibus, & ſuper omnia. Dulcis Ieſu, deus meus, abſorbeat me quæſo ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum, purgetq́, & rapiat in ſe om̃ia interiora mea, vt ſicut flamma ardẽs, in tui amore totus ardeam, totus à me ipſo deficiam, te verò ſolum cogitem, te ſolum deſyderem, te ſolum ſciam & ſentiam, tibi ſoli inſeparabiliter inhæreã, & omne tempus vitæ meę, omnes q́ vires animæ & corporis mei in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum expendam.

Hoſtiam eleuaturus adora.

Adoro te domine Ieſu Chriſte & benedico tibi, qui pro nobis in cruce moriens redemiſti mundum.

Inter eleuandum ora, vt pater cœleſtis filium ſuum reſpicere & acceptare dignetur,

quem eidē offerimus in ſatiſfactionē omniū peccatorū noſtrorū, in ſuppletionē omniū negligentiarū noſtrarum, & pro gratiarum actione omnium beneficiorum eius.

Iterum inclinando dic mentaliter, veniam petendo.

DEus, propitius eſto mihi peccatori. Aufer à me quicquid tibi in me diſplicet, infunde in me quicquid tibi placet, conuerte me totū in laudē & gloriā & beneplacitū tuū dulcis Ieſu domine deus meus.

Poſt oblationem calicis, offer te in vnione huius ſacrificij in omne beneplacitum deo, & pete tibi donari verā atq; perfectam reſignationē, & abnegationem tuijpſius.

Habes etiam ſupra orationes inſcriptas ſub Miſſa, videlicet ſacrificantis, aut ſacrificanti aſſiſtentis. Circa eleuationem quoq;, tam hoſtiæ quàm calicis, orationes ſupra ſunt poſitæ.

Ante communionem erubeſce & confitere infirmitatem, vilitatē, ingratitudinem & malitiam tuam. Pete veniā & plenam remiſſio-

remiſſionẽ in hac vita. Age gratias deo pro omnibus beneficijs eius, præſertim incarnationis, paſſionis, &c. Ora, mũdo eandem efficaciam & virtutem ex huius hoſtiæ oblatione ſuperfundi, quam (& quãta oblatio illa, in cuius vnione & ad cuius memoriam hæc præſens offertur) operata eſt in cruce. Cuſtodiam præſeruantem à peccatis pete ex hoc ſacramẽto. Spiritualem mortem omnibus vitijs & concupiſcentijs, ardentiſſimã, perfectiſſimam, perpetuam charitatem, &c. Commẽda Eccleſiæ ſtatus, & pro quibus ſingulariter orare debes, pro cõmiſſis, confœderatis, benefactoribus, &c. Interim dum habes ſacramentũ in ore, multiplica deſideria & repete preces in corde, vt ipſe ſibi in te faciat habitaculum mundũ, gratum, perpetuũ, & te in ſe trahat, abſorbeat, vniatq́ inſeparabiliter ac inauertibiliter.

Poſt finem Miſſæ gratias age. Pete vt proſit omnibus hoc ſacrificium, ne ob tuam ingratitudinem fructus illis pereat. Cæteras petitiones iunge. Innoua propoſitum tuum emendationis & maioris cuſtodiæ. Singulariter cuſtodiã & vigilantiam cõtra linguam

 ſtatue

ſtatue cum firmo propoſito. Potes rumina re inter eundum orationem ſancti Thomæ de Aquino: Concede mihi, quæ vocatur: Pro perfectione.

Alius modus poſt Miſſam.

PEte veniã pro peccatis tuis, &c. maxime pro ingratitudine, impuritate & indeuotiõe in Miſſa. Gratias age deo pro omnibus beneficijs eius, maxime pro ſacerdotio: item pro dignatiõe, qua te peſſimũ & ingratiſſimũ ſuſtinet, & benefacit tibi. Pete huius ſacrificij fructũ tibi & vniuerſę Eccleſiæ concedi miſericorditer, nec ſinat pius dñs per malitiam tuam te aut alios illo priuari.

Potes hic etiam precari pro triplici illuminatione, ex virtute huius ſacramenti tibi largienda.

DEus æterne, amator & miſericors, illumina cor meũ ad cognoſcendam prauitatem, vilitatem, & ingratitudinem propriam, cum ſancto odio & diſplicentia. Cognoſcam pijſſime Ieſu, q̃ nihil ſum & poſſum, & deſpiciam meipſum. Cupiam ex ani-

mo ab omnibus deſpici, optem humiliari, gaudeamq́ꝫ iniurias ac cõtumelias pati. Eia benigniſſime Ieſu, infunde mihi veram cognitionem meiipſius, contritionẽ & perfectiſſimam humilitatẽ. Iterũ obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ dñe deus meus, illumina cor meũ ad cognoſcẽdam & diligendam bonitatẽ, pietatẽ, charitatem tuam erga nos. Vulnera quæſo cor meũ tui amore caſtiſſimo, fideliſſimo atq́ꝫ feruẽtiſſimo. Reple cor meũ dulcis Ieſu perfectiſſima, ardentiſſima inextinguibiliq́ꝫ charitate tua, vt ex toto corde meo ſemper te ſitiam, ſemper te diligam in omnibus & ſuper om̃ia. Clemẽtiſſime Ieſu, deus meus & om̃ia, rogo te, illumina cor meũ ad cognoſcendum, amandũ, perficiendumq́ꝫ omne beneplacitũ tuum. Da mihi meiipſius perfectiſſimã abnegationẽ atq́ꝫ reſignationem, vt meipſum omnimodis relinquam, exeam, mortificem, & reſignẽ in om̃e beneplacitũ tuũ. Da mihi, vt me totũ tuæ prouidẽtiæ credam, de manu tua omnia cũ gratiarũ actione accipiam, & in omnibus te laudem & benedicam. Fac piiſſime deus vt omnẽ vitã meam, om̃e tẽpus, omnes actus

& vires corporis & animę meæ, totumq; id quod ſum & poſſum, in laudem, in amorem & in beneplacitū tuum expendam. Amen.

Potes etiā mentaliter orare, vt virtutē efficaciamq; fructuū huius ſacramēti aſſequaris. Porro fructus qui digne ſumentē ſequūtur, his verſibus inſinuantur. (get,

Viuificat, purgat, minuit quoq;, roborat, au

Reſtaurat, luſtrat, præſeruat, terret, inarrat,

Dulcorat, ipinguat, calet, vnit, gaudia tutat.

Sub Miſſa, ſiue ipſe ſacrifices, ſiue ſacrificanti aſsiſtas.

DOmine Ieſu Chriſte, in memoriā benedictæ incarnatiōis, paſſionis & mortis tuæ, in memoriam omniū vulnerū, dolorum, ſuſpiriorū, gemituum, lachrymarū, & guttarū ſanguinearū ſanguinis tui, in memoriam immenſæ charitatis tuæ, qua propter me natus, paſſus, crucifixus & mortuus es, offero tibi nunc huius miſſæ, & omnium miſſarū quæ in toto mundo fiunt, hoſtiam ſacroſancti corporis & ſanguinis tui; & in vnione huius oblationis, atq; illius quo temetipſum in ara crucis obtuliſti, offero me-

H ipſum

ipſum in laudem, gloriam & beneplacitum tuum, obſecrans per viſcera miſericordiæ tuæ vt hæc omnia ſuſcipias, & patri tuo offeras in ea virtute, qua illi in cruce moriens ſpiritum tuum tradidiſti, vt viuis tuam gratiam, & defunctis requiem, & omnibus nobis miſericordiam vitamq; largiaris ſempiternam. Singulariter tamen oro te pro illo N. N. &c.

Ad eleuationem hoſtiæ.

O Mnipotens æterne deus, ô pater miſericordiarum. En hoſtiam viuam, quam hic & vbiq; vniuerſa tibi offert Eccleſia. Hanc offero tibi cum omnibus virtutibus & meritis vnigeniti tui in illo amore & virtute, qua ipſe tibi in cruce ſemetipſum obtulit pro nobis, in expiationē omniū peccatorum meorū, in ſuppletionē omniū negligentiarum & defectuum meorū, & in gratiarum actionē, & confeſſionem omniū beneficiorum tuorum, & in memoriam beneficiorum & dilectionis eius, pro me, & pro fidelibus tuis omnibus, viuis & defunctis.

Ad eleuationem calicis.

Aman-

AMantiſſime Ieſu, per effuſionẽ ſacroſancti ſanguinis tui obſecro te, fac vt vniuerſo mundo cum omnibus peccatis, vitijs & cõcupiſcentijs moriar, & per incendium amoris tui à meipſo deficiam, tibiq́ꝫ ſoli ac in te ſolo viuam.

Quãdo pro aliquo, aut pro te etiã ipſo orare deſyderas.

DOmine Ieſu clemẽtiſſime, illuſtra cor N. gratia tua. Conſolare & imple cor eius ardentiſſima charitate, vt honorẽ tuũ, beneplacitũ, ac teipſum ſolum, ex toto corde ſuo quærat ac diligat, & ſeipſum tibi funditus relinquat ac reſignet, omniq́ꝫ tempore in oculis tuis inueniatur ſecundum beneplacitum tuum.

Inſtitutio bona ad exhibendã reuerentiã deo, & deuotionẽ excitandã.

FAmiliare eſt hominibus, præcipuè ſeruis, dum principibus aut præſtãtibus viris loquũtur curuare genua, aut caput detegere ſi habeant cui loquũtur dominum ſuum nominare, idq́ꝫ honoris gratia.

Multo

Multo plus congruum eſt vt inter diuinas laudes dum auditur pronũciari hoc verbũ dñs, vel deus, Ieſus, vel gloria patri, reuerentiam facias deo, pũta externo motu aut ſigno corporis (quanto poteſt fieri) ſecretiori (ne aliorũ quiſpiã quos hæc deuotio non oblectat, hac ſingularitate turbetur) idq́ eo animo eaq́ intẽtione, quod deo tuo cupias cultum, laudem, reuerentiã, atq́ obedientiã in te exhibere, teq́ illi in honorẽ ipſius offerre ad omne eius beneplacitũ in te & per te perficiendum, imò etiã deſyderare tantũ illi honoris impendere, quantũ (ſi poſſibile foret) oẽs creaturę ſimul exhibent ei in æternum. Quod ſi etiam nõ ſemper animo hoc ita poſſes cogitare, vtpote fortaſſe diſtractus, propoſitũ tamen illud generale (quo inſtituiſti hoc ſignum reuerentiæ eo animo deo exhibere, vt ſimul te illi offeras, confitendo illum dominũ, te vero ſeruum) loquetur pro te interim deo, & maximũ fructum impetrabit. Pari modo deo offerre poſſes ſingulas reſpirationes, hoc eſt, anhelitus, emiſſiones aut retractus, ac iſtos quidẽ mittere ad deum, optando vt ſingulæ emiſſiones

nes aëris ſiue anhelitus ex te ſint perpetua laus & gratiarũ actio deo. Hi verò attactus ſint in te ſuſpiria amoris deſideriaq́ diuinæ præſentię, cui optes cõiungi atq́ vniri. Eiuſmodi pias conſuetudines & exercitia multa, poſſes in gloriam dei frequentare.

EFFVSIONES CORDIS SEPtem, ad ſeptem horas Canonicas.

Ad matutinas breuis effuſio cordis.

DOmine Ieſu Chriſte amator fideliſſime, en offero tibi charitatẽ illam, patiendiq́ deſideriũ, quo inimicis tuis vltro te obuium capiendumq́ præbuiſti. En offero tibi vincula, verbera, improperia, cõuitia, blaſphemias, alapas, ſputa, colophos, aliaq́ ignominioſa multa, quæ in domibus Annæ & Cayphæ per totam noctem paſſus es, quando à Iuda traditus, à Petro ter negatus, à ſcribis & phariſæis damnatus, à viliſſimis quibuſq́ velatus & illuſus es. Pro his alijsq́ omnibus ac ſingulis, & pro immenſa charitate tua, qua nos diligis amantiſſime domine Ieſu Chriſte, adoro te & gratias tibi ago, meq́ totum in honorem ac beneplacitum

citum tuum offero, orans vt gratia tua me repleat, peccata omnia in me deleat, priuatum amorem ac vitia cũcta mortificet, omnesq́ꝫ ſenſus, cogitatus atque affectiones meas purificet, in te trahat, ſtabiliat, atque concludat.

Ad primam.

O Domine Ieſu Chriſte, en offero tibi omnem illam ignominiam ac contumeliam, quam pro me paſſus es quãdo mane à Iudæorum ſenioribus ad mortẽ damnatus, vinctus, conſputus, ad pilatum ad Herodemq́ꝫ ducebaris & reducebaris, accuſabaris, & tacebas. Spernebaris, probroſaq́ꝫ veſte illudebaris, & ſuſtinebas. Eia miſericordiſſime Ieſu omnia verbera, omnemq́ꝫ pœnã, omnes iniurias atq́ꝫ blaſphemias offero tibi & pro omnibus his te adoro, & gratias tibi ago, obſecrans te per immenſam bonitatem tuam, infunde cordi meo perfectiſſimam humilitatem, qua omnẽ gloriam & honorem deteſter & fugiam, propriam cognoſcam vilitatem, meipſum deſpiciam, meiq́ꝫ contemptum diligam. Dulcis Ieſu, fac vt cupiam ex

animoq́ꝫ

animoq́ꝫ gaudeam neſciri,deſpici,vilis æſti-
mari,atq́ꝫ contumelias pati.

Ad Tertiam.

O Domine Ieſu Chriſte,en offero tibi pudiciſſimi corporis tui nudationem, innocẽtiſſimamq́ꝫ illam cordis tui verecundiam,ſimulq́ꝫ acerbiſſimos quoſq́ꝫ & corporis dolores & cordis tui anguſtias,quando circa horã tertiam toto corpore nudatus ad columnã ligabaris,flagellabaris, vulnerabaris, ac ſubinde veſte coccinea amictus, ſpinis coronabaris,ſalutabaris,adorabaris, intereaq́ꝫ conſpuebaris,alapis & arũdine cędebaris. Atq́ꝫ ſic illuſus,ſic miſerabiliter vulneratus,ſic afflictus,& ſanguine ac ſputis foedatus,tandẽ populo ſpectandus producebaris,à quo dum magno furore ac inuidia ad crucem es poſtulatus,latrone dimiſſo ante tribunal ſtatuebaris,dãnabaris, & ad Caluariæ locum baiulans tibi crucem educebaris. Vbi matre quoq́ꝫ occurrente, amicis flentibus,inimicis inſultantibus trahebaris,ſubſannabaris ac impellabaris,donec deficientibus viribus inter verbera & cruenta veſti-

gia,

gia, inter gemitus & ſuſpiria ante oculos nia tris ſub cruce corruiſti. Eia miſericordiſſime Ieſu, omnia opprobria & deriſiones, omnesq́ acerbos greſſus pedũ tuorum, inter amara exprobrantiũ verba & verbera, omnem liuorẽ & dolorẽ corporis tui, offero tibi. Et pro his oĩbus gratias tibi ago, teq́ adoro, obſecrans te per effuſionẽ benedicti ſanguinis tui, & per immenſam charitatem qua nos diligis, da mihi perfectiſſimã patientiã, patiendiq́ deſideriũ, vt in omni aduerſitate & contumelia, in omni dolore ac preſſura, te laudem tibi gratias agam, meq́ tibi ex abyſſo cordis mei in perfecta abnegatione meiipſius relinquam, & in omne beneplacitum tuum offeram.

Ad Sextam.

O Domine Ieſu Chriſte, en offero tibi nudationẽ vulnerati corporis tui, dolorumq́ & vulnerũ renouationẽ, extenſionẽ membrorũ, crucifixionẽ manuũ ac pedum, neruorũ quoq; ruptionẽ, cõpaginũ ſolutionem, & effuſionẽ precioſi ſanguinis tui, quæ omnia & complura alia tu amantiſſime Ieſu

circa horā ſextam paſſus es in caluarię loco, quando in cruce inter latrones eleuatus, à prętereuntibus & exprobrātibus deſpectus, ab vno latronum obiurgatus, ab altero pro venia rogatus, pro inimicis patrem orabas, reo pœnitenti paradiſum promittebas, matremq; ſub cruce ſtantem & mœrore tabeſcentem diſcipulo cōmendabas. Eia miſericordiſſime Ieſu, pro omnibus his pœnis, gemitibus, triſtitijs, preſſuris atq; crnciatibus, tam externis q̃ internis, adoro te & gratias ago tibi, obſecrans te per ſingulas guttas roſei ſanguinis tui, non ſinas me ſeparari aut auerti à te, ſed crucifige in me quicquid eſt crucifigendum, & clauis ardentiſſimæ charitatis vulnera atq; conſtringe me. Fac vt oculis, imò omnibus ſenſibus meis nunq̃ deſit me Maria & imago doloroſæ huius crucipendiæ tuæ, quę cor meum ſauciet, inebriet, abſorbeat atq; in te penitus transformet.

Ad nonam.

O Domine Ieſu Chriſte, en offero tibi lamentabilē illā cordis & omniū membrorum tuorū anguſtiam, preſſurā atq; derelictio-

lictionem, quãdo omni conſolatione deſtitu tus, pœnis quibuſlibet vndiq; aggrauatus, preſſuris cũctis totus expoſitus, totus vulneratus, totus abiectus, & quaſi leproſus atq; percuſſus à deo, virorũq; omniũ nouiſſimus neq; ſpeciẽ habens neq; decorẽ, à plãta pedis vſq; ad verticẽ capitis non habuiſti in corpore tuo vbi eſſet ſanitas, ſed cruci imobiliter affixus, omni conſolatione deſtitutus circa horã nonã, lugentibus etiã elementis, ad patrẽ heli heli lamazabathani clamabas, & vehementi ſiti æſtuans, atq; idipſum clamando indicans, ne guttã quidẽ aquæ recipiebas, ſed inter lachrymas dum valido clamore te patri offerens cõmendaſti, inclinato capite ſpiritũ emittebas. Eia ſuauiſſime Ieſu per omnes plagas, vulnera, dolores & liuores tuos, per amariſſimam mortẽ & viuifici cordis tui ruptionẽ, per animæ tuæ ſanctiſſimę à corpore ſeparationẽ, per tranſfixionem lateris & apertionẽ cordis tui, & per ſanguinis & aquæ emanationem, per victorioſam quoq; obedientiæ tuæ ac vitalis triumphi conſummationẽ (pro quibus te adoro & gratias ago) obſecro te, vt mundo & omnibus

concupiſcētijs, vitijs atq; quibuſcunq; inordinationibus (quæ tibi non placent) moriar & tibi ſoli viuam, te ſolū ſentiam, tibi ſoli inhæream, tibi ſoli merear conformari, tibi ſoli perpetuo ac inſeparabiliter vniri.

Ad veſperas.

O Domine Ieſu Chriſte, en offero tibi nunc flebilem illam corporis tui depoſitionem de cruce, matris in ſinū te ſuum recipientis anguſtiā atq; mœrorem, amicorumq; lugentiū triſtitiam. Pro quibus omnibus adoro te, & gratias ago tibi, oroq; te domine deus meus, infunde cordi meo per fectiſſimam humilitatē ac manſuetudinem, patiētiam, mititatem, compaſſionem & perfectiſſimam ad omnes homines præſertim ad inimicos exuberantem charitatem, & fac vt anima mea de hoc corpore egrediēs per merita paſſionis tuæ, perq; cunctas miſerationes tuas inueniatur tota pura & immaculata, tota tibi reconciliata, tota tibi placēs & accepta, ad tua gaudia eueſtigio egreſſura.

Ad Completorium.

O do-

O Domine Ieſu Chriſte,offero tibi nunc mœſtam illam ſepelitionem corporis tui,aromatibus conditi atq; ſyndone inuoluti,triſtemq; amicorum cum matre reditum, amatricis tuæ Magdalenæ pietatē & gemitum, matris tuā reſurrectionē certa fide expectantis æſtuans deſyderium,ſanctorumq; interea in lymbo poſt infinita ſuſpiria,ex tua præſentia gaudiū exultantemq; triumphum atq; egreſſum.Pro quibus omnibus te adoro,tibi gratias ago,teq; per tuam bonitatem obſecro,vt vniuerſæ tuæ miſerearis hæreditati,quā tuo precioſiſſimo ſanguine redemiſti,largiaris Eccleſiæ tuæ reformationem & pacem, viuētibus tui amorem atq; ſalutem, defunctis requiē,& omnibus nobis hic gratiam,& poſt hanc vitam miſerā, vitam beatam & ſempiternam.

Sero in crepuſculo fineq; diei.

O Domine Ieſu Chriſte, en offero tibi omnem vitam tuam innocentiſſimā ſanctiſſimamq;,laboribus & ærumnis attritam,virtutibusq; plenā. En offero tibi cœnā nunc illam typicā, qua legi obediens,

& ad patiendū pro nobis fruens, ſimulq́ʒ nobis exemplū imitandi ac monimentū te recolendi diligendiq́ʒ relinquens, diſcipulorum ꝑedes lauiſti, corporis & ſanguinis tui ſacramento refectionē nobis inſtituiſti, & poſt ſermonem dulciſſimū atqʒ amore plenum, quo diſcipulos confortaſti, ad hortū egrediens, triſtari vſqʒ ad mortē & pauere cœpiſti. Eia amantiſſime Ieſu, per trinam illam orationē tuam in mōte Oliueti, per moriendi pauorē ſimul ac deſyderiū, per cordis tui anguſtiam atqʒ preſſurā, per exuberantē totius corporis tui ſudorē ſanguineū (pro quibus te adoro, tibiq́ʒ gratias ago) offero & cōmendo me tibi, omnesq́ʒ qui mihi cōmendati ſunt, & pro quibus orare debeo aut cupio, orans vt nos facias omnes ſecundum beneplacitū tuum, quomodo maximè tibi placuerit nos eſſe.

Exercitiū orationis mētale, quod eſt cordis effuſio, pro Eccleſiæ vario ac multiplici ſtatu, quod legenti vocaliter licet videatur prolixum, mente tamē ruminanti, ſeu meditando atqʒ in ſpiritu oranti eſt breuiſſimum.

Exercitium matutinum.

Mane

MAne quando ſurrrexiſti,adora deum, & benedic ſanctam Trinitatē,dicens: Adoro,laudo & benedico te ô Trinitas ſuperbenedicta, deus meus, creator meus,redemptor meus,gubernator, protector & ſaluator meus, vita, dulcedo & corona mea, in quo omnia, ex quo omnia, & per quem omnia. En offero me indigniſſimum & indigniſſimā creaturam tibi in gloriam & beneplacitum tuum. Eripe me de inimicis meis,(id eſt,ab omnibus quę tibi diſplicent) domine:ad te confugi, eligens te præ omnibus & ſuper omnia,doce me facere voluntatem tuam in agendo & patiendo, in volendo & reſpuendo, quia deus meus es tu. O deus meus,& ego creatura tua,ad nihil tibi vtilis, tamen creatura tua ſum domine deus meus, miſerere mei. O vtinā tecum vnum eſſe merear perpetuo & inauertibiliter. Fiat voluntas tua in me ô deus meus & omnia.

Benedicta ſit pijſſima mater & om̄es ſancti tui in cœlis, omnésq; qui te diligūt in terris.

Pro ſanctis in mundo.

Clementiſſime dn̄e Ieſu Chriſte, om̄es iuſtos & amicos meos (ſi vis aliquos ſingulariter recolere, potes N. N.) tibi in cor tuum cōmendo. Fac vt omni ſanctitate per imitationem vitę tuæ, atq; in perpetua charitate ipſi indies creſcant. Eorū vero orationes, virtutes ac merita coram te mihi pauperi ac vniuerſo mundo ſubueniant

Pro tribulatis.

Dulcis Ieſu, omnes tentatos, tribulatos, miſeros ac mœſtos in cor tuū quæſo ſuſcipias, vt in te confortati, extra te nec conſolationem, nec aliud quicq̄ requirant, ſed in te ſolo viuant, gaudeant & requieſcant.

Pro defunctis.

Fideliſſime ac pijſſime Ieſu ex vulnerib⁹ tuis, & ex miſericordiſſimo corde tuo, omnibus fidelibus defunctis refrigeriū largire.

Pro peccatoribus.

Fideliſſime amator, omnes peccatores nos in ſanguine tuo emunda, & in gratia tua nos reſuſcita.

Pro ſeipſo.

Gloria & honor ſit tibi dñe deus meus ô miſericordiſſime dñe Ieſu, trahe me poſt te, vt inſeparabiliter imitari merear veſtigia vitæ ac paſſionis tuæ. O dñe deus meus, trahe me in te, vt aliud nõ ſentiam quàm te, vt aliud cogitare ac velle nequeam pręter te.

Sero iturus ad requiem, lauda deũ pro om̃ibus in cœlo & in terra, eosq́ꝫ qui adhuc in mundo ſunt, eidem cõmenda.

GRatias ago tibi Ieſu piiſſime, domine deus meus, pro immenſa charitate, & pro omnibus beneficijs tuis, quæ tu vniuerſo mũdo, ſingulisq́ꝫ & angelis & hominibus exhibuiſti, à nobiliſſima omniũq́ꝫ digniſſima creatura matre tua, vſqꝫ ad infimam ac omniũ ingratiſſimam, hoc eſt, vſqꝫ ad me vilem, vanam & terræ vermiculum. Neqꝫ enim ſum dignus vt in conſpectu tuo appaream, propter nimiam indignitatem, vilitatem & ingratitudinem meam.

Eia benigniſſime Ieſu, ſis tu benedictus in æternũ, qui hanc ſingulariſſimam virginem ab æterno tibi in matrẽ elegiſti, ab omni peccato immaculatã ac totam pulchram

præſeruaſti, præparaſti, præſignaſti, omniũ virtutum & gratiarum plenitudine exornaſti, in ea concipi, ex ea naſci, & eius lacte paſci voluiſti, prædicationi, paſſioni, ac morti tuæ ipſam adeſſe, & noſtræ redẽptioni cooperari tribuiſti, atq; nunc in cœlis corpore & anima aſſumptã glorioſiſſimeq; coronatam eandem nobis in aduocatã, miſericordiæ reginam atq; matrẽ dediſti, pro his ſit tibi laus, honor & gloria ſempiterna. Dulciſſime Ieſu, eius cor & merita pro me & vniuerſa Eccleſia tibi nũc offero, & per eandem nos in cor tuum piiſſimum commendo. O clemens, ò pia, ò dulcis Maria, vtinam ego totus tuus, & tu tota ſis mea, me cuſtodiẽs, gubernans, poſſidens, & ab om̃i peccato, ab omni malo, ab omni impedimento, ab omni quoq; medio inter me & deum me liberans atq; præſeruans.

Pro ſanctis in cœlo deum lauda.

Iterum benedico te amãtiſſime Ieſu, deus meus, pro om̃ibus gratijs ac donis, quæ ſanctis tuis in hac vita mortali olim, & nũc in gloria tecum conſtitutis contuliſti, pręcipue

tamen his, quorum hodie eſt feſtiuitasn cœlis aut in Eccleſia memoria, & potiſſimũ patronis meis Barbarę & Magdalenæ, & ſanctis omnibus virginibus. Horum omnium oratiões ac merita tibi pro me offero, & per illos me tibi nũc in cor tuum pijſſimum cõmendo. O ſancti dei omnes, intercedite pro me & ad vos me trahite.

Pro iuſtis in mundo conſtitutis.

ADoro, benedico te pijſſime domine deus meus, pro donis, gratijs ac beneficijs omnibus, quę N. & N. id eſt, huic & huic & alijs oĩbus electis ac dilectis tuis amicis in mundo adhuc conſtitutis cõtuliſti horũ preces ac merita tibi pro me nunc offero & me per illos in cor tuũ tibi cõmẽdo. Oro quoq; immenſam bonitatẽ tuã deus meus, vt tu illos ſemper in gratia tua cuſtodias, proue-has, dirigas, & omnia eis bona ac dona tua augeas atq; multiplices ad gloriam tuam.

Pro peccatoribus & ſeipſo.

ADoro te miſericordiſſime deus meus, & gratias tibi ago pro immenſa clementia & bonitate tua infinita, qua nos miſe

ros peccatores, ingratos, atq; adeò vita ipſa indignos, miſericorditer nō ſolum ſuſtines, ſed etiam parcis & benefacis nobis. Vincat igitur tandem ò deus meus, vincat quæſo malitiam noſtram bonitas tua, emolliat duritiam noſtram pietas tua, inflammet cōgelata corda noſtra ardentiſſima charitas tua, vt ex valis iræ mutemur in vaſa miſericordiæ: & ab omnibus peccatis liberati, tāto efficiamur in amando te feruētiores, quanto hactenus fuimus frigidiores. Dulcis Ieſu, da nobis poſt te currere, & imitari veſtigia vitæ & paſſionis tuę, vt deuotionis in nobis magnitudo cōpenſet noſtrę cōuerſionis tarditatem, & inde magis puri ac ſitibundi te quæramus, quo diutius ac grauius te contempſimus, fontem æternæ vitæ. Da nobis vt toto corde ad te conuerſi, & in gratia tua confirmati laudemus te redemptorem & ſaluatorem noſtrum in æternum.

Pro commiſſis ac commendatis.

Oro autē te ò bonitas infinita, præcipue pro meipſo omniū miſerrimo atq; viliſſimo qui gratiæ tuæ auxilio præ cæteris tāto magis

gis egeo, quanto infirmior & ad om̃e bonũ impotẽtior ſum. Scis tu benigniſſime deus quàm nihil & inutilis ſum, & gratiã tuam in me & in alijs impedio atq; euacuo. Quapropter ò omniũ liberaliſſime atq; pijſſime dñe ſupplex te oro pro om̃ibus mihi cõmiſſis ac cõmendatis. Hæc em̃ om̃ia, id eſt, animas & corpora, & quæcunq; mihi cõmendata ſunt, tibi iterum cõmendo, & in cor tuum dulciſſime Ieſu eadem abſcõdo atq; immergo. Tu quæſo cuncta regas, protegas, cuſtodias & ſalues iuxta beneplacitũ tuum, ad gloriam tuam ſempiternã. Domine deus meus, pro hoc loco & huius loci habitatoribus obſecro te per effuſionẽ ſanguinis tui, & per omnium miſerationũ tuarũ abyſſum, vt ſuper nos oẽs abundet confirmeturq; gratia tua, & nemo ex nobis pereat. Tu vero & ſpiritualia & temporalia nobis ſecundum beneplacitum tuũ largiaris, nosq; & illa adminiſtres & dirigas, vt cultus tuus, animarumq; ſalus hic ſemper vigeat, creſcat, perſeueretq; in æternũ. Dulciſſime Ieſu, fideliſſime amator, res, homines q; ac om̃ia huius monaſterij, & omnium mihi commiſſorũ iterũ tibi

tibi in cor tuum offero ac commendo, quia tu ab æterno ſciuiſti quòd ego nihil ſum, & neceſſe eſt vt tuipſe illa cuſtodias, regas, nosꝗ poſſideas. Hoc modo etiã tibi commendo omnes qui à me petunt orationes. Tu miſericordiſſime, qui diues es in omnibus, iuxta fidem illorũ & pro miſericordia tua glorifica nomen tuum, & facias illis non iuxta vilitatẽ & demerita mea, ſed ſecũdum bonitatem tuam.

Pro confœderatis.

OMnes etiã pijſſime Ieſu, qui mihi propter te confœderati atꝗ vniti ſunt, tibi offero, tu quæſo tibi eos confœdera, vt omnes tecum vnum ſimus.

Pro benefactoribus.

OMnibus mihi benefacientibus atꝗ fauentibus: tu clementiſſime pro me teipſum retribuas: quia melius nec ego petere, nec tu dare potes nobis, ꝗ̃ teipſum ſuauiſſima atꝗ æterna bonitas.

Pro tentatis ac afflictis.

Omnes

OMnes etiam tentatos, deſolatos, afflictos ac mœſtos miſericordiſſime Ieſu, pro infinita pietate tua conſolare, iuxta eorum vtilitatem & tuā voluntatem. Eſto memor quia te ſolum habemus domine, ad quem ſecuri confugiamus in omnibus neceſſitatibus noſtris. Abſit igitur à tua bonitate, vt tu repellas nos, qui es deus noſter, refugium noſtrum, & virtus in omni tribulatione.

Pro fidelibus defunctis.

MEmor eſto etiam benigniſſime deus miſericordiarum tuarū, quę à ſeculo ſunt, & fidelibus om̄ibus defunctis da refrigeriū & requiem ſempiternā. Deſcēdat piiſſime Ieſu, ſanguinis tui roſei ac calidi effuſio in purgatorio, & recreet refrigeretq́ oēs ibi captiuos ac patiētes, libera eos dn̄e deus noſter ex om̄ibus anguſtijs eorū. Domine Ieſu ego do illis mortē tuā & ſanguinē tuū. Quomodo em̄ aliter poſſum illis ſuccerere aut mederi, largire tu, vt horū virtute liberentur Amen.

Præfatio

PRAEFATIO AVTHORIS IN quindecim Meditationes vitæ ac paſſionis ſeruatoris noſtri, qua fructus meditationis huiuſmodi vberes declarantur. Ad integerrimum ſimulq; ornatiſſimum virum Ioannem Hardenrait ſeniorem

INter exercitia quæ ſpiritui adminiculantur (ei præſertim qui vitam inchoat ſpiritalem) ad amorem dei aſſequendū, nil creditur eſſe vtilius ac fœcūdius, q̄ domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionē aſſidua meditatione frequētare. Huc namq; cōferri poſſunt alia quæuis exercitationū ſpiritualiū ſeu meditationū ſtudia. Nam verbi gratia, ſi peccata, vitia, ingratitudinē atq; vilitatē tuā lugere deſyderas, ſi negligētias atq; defectus cupis expiare emūdareq;, nō inuenies vnde vehemētius ad hocipſum extimuleris, q̄ innocentiſſimā redemptoris tui paſſionē meditādo, videlicet q̄ amara pro te paſſus ſit (qui peccata tua caſtigare damnareq; debuerat) vt tibi parceret. Videbis ſimul eius iuſtitiā & miſericordiā: in te quidem miſericordiam,

delicta donaret: in ipſa vero peccata iuſtitiā ac ſeueritatē, quæ ne inulta ſineret, in ſeipſo caſtigauit. Plangenda igitur hic comperies delicta tua, propter quæ vulneratus & mortuus eſt dei filius, vt te ſanaret. Plangēda ingratitudo tua, qui fideliſſimo amatori tuo pro tot bonis, pro tantaq; dilectiōe, tot mala tantumq; contemptū rependis. Hęc conſideratio ſpem ſimul incurrit atq; timorem, vnde duabus tentationibus iuxta mederi queas. Si enim delictorum enormitas ad deſperationem te impellere mittitur, habes vnde peccata tua deleas, habes vnde ſatiſfacias, habes vnde te redimas, nec pro peccatis tuis formides. Si vero tepor & acedia te grauat, ſi lenitas cordis abſq; timore te proſtituit, habes vnde etiam ſalubriter terrearis, conſiderando quòd aliquot annorū millibus vel ſanctiſſimis dei amicis clauſum fuerit cœlū, negata aut potius dilata gloria, donec aliena peccata, puta primorū parentum ſolueret, qui peccatū non fecit. Porro ſi ad tui cognitionē atq; humiliationē te cupis exercere, maximam hic occaſionē inuenis, penſando deformitatem & diſſimilitudi

 nem

nem tuorum ſtudiorũ atq; totius vitæ tuæ erga vitã & innocentiam Chriſti, hoc eſt, q̃ contrarius es eius voluntati, q̃ diſſimilis vir tutibus eius, quàm infirmus inſtabilisq; ad imitandũ, q̃ nihil deniq; (quod experiris quo tidie) vales ad quodcunq; bonũ. Sed fortaſſe ad amorem concipiendum erga deum cu-pis inflammari. Et ad hoc vnde adminicu-lum quæras potius, quàm ex meditatione paſſionis tui redemptoris? Si enim naturæ nihil à deo eſt conſentaneũ quàm amantem redamare, & dei amor erga nos nuſquã ma-nifeſtior nobis factus eſt quàm in redẽptio-ne noſtri, hoc eſt in redemptoris noſtri paſ-ſione, perſpicuũ eſt, ex dominicæ paſſionis conſideratiõe ad dei amorem potiſſime nos accendi. Proinde ſi cor tuum ad amandum deum deſyderas extimulari, meditare eius beneficia, quæ ſunt indicia amoris erga te, & quæ euidentiſſime enitent in Chriſti paſ-ſione. Quod ſi per viã abnegationis Chri-ſtiformem agere vitã cupis, haudquaquam melius exemplar ac ſpeculum piè viuendi poteris inuenire quàm in libro vitæ hoc eſt in vita ac paſſiõe Chriſti, vbi quicquid ver-

bo

bo docuerat Chriſtus, opere expreſſit. Poſtremo, ſi optas vt vita tua iugis perpetuaq; ſit oratio, mentemq; ad deum ſemper habeas eleuatam, & ad hoc exercitium pręſto ſit vbi deuotionem atq; feruorem tuū renoues, nuſquam id aſſequi potes facilius, q̃ domini paſſionem meditando. Hic enim ex ſingulis verbis, actibus, moribus atq; pœnis Chriſti habes vnde conpungaris mente, vnde ſpiritu conforteris, in quorum comtemplatione Chriſto nunc cōpatiaris, nunc gratias agendo dulciter afficiaris, nunc eidē conformari, nunc totus in illum deſyderes accendi & transformari. Itaq; nullum eſt exercitij ſpiritualis genus, quod in paſſione domini aut non inueniri, aut non vberrimo fructu poſſit applicari. Sunt prætereaaliæ vtilitates fructusq; meditatiōis huius quos prætereo: quandoquidem incipiētibus duntaxat, & ijs qui proprijs nondum ſunt meditationibus aſſueti, modum aliquē pręſcribere ſtatui, quo aut voce, aut (quod ſuauius afficit) mēte tantū legāt, ruminentq; ſpiritu ex hoc libro, qbus amore efficiātur ad Chriſtum. Vbi, ne faſtidiū prolixitas generet, vi-

ta ipſa & paſſio Chriſti in XV. meditatio-
nes partita eſt. His orationes quoq; ſingulę
adiunctæ ſunt aſpirationesq; ad deū, vt quā
tum quiſq; eſt deuotus, vel quātum ab alijs
occupatiōibus feriatus quæ ad ceſſare, atq;
ad orationē rediens valeat ibi exercitiū ſuū
continuare. Cæterum vt ad te mea ſe cōuer
tat oratio, domine præſtantiſſime, tu cū aſſi
due occupatus inter ſeculi negocia verſeris
licet honeſtiſſima, animum tamen habes mi
ra dexteritate cādidum, eumq; adeo ad deū
liberum, vt nihilominus totū te detineant
iuges tum ſacra lectio tum oratio. Quare
meditationes etiam has noſtras, cum mul-
to iam tēpore me meaq; & ames & foueas,
tibi ſacroq; illi virginū collegio, cui ad Ma
chabæos in Agrippina Colonia Abbatiſſa
digniſſima nūc filia tua præeſt, dedico, meq;
iuxta ac eremū noſtram hic Carthuſianam
tibi commendo, Vale ex Cartuſia iuxta Iu-
liacum Cantauien.

VITA ET PASSIO SER-
uatoris noſtri Ieſu Chriſti in
XV. meditatiōes diſtincta.

De

De vita & conuerſatione dñi noſtri Ieſu Chriſti ante paſſionẽ.

AMantiſſime humani generis zelator Chriſte Ieſu, mundi creator ac redẽptor, vtinã dignas poſſem agere gratias tuæ bonitati tuæq; ad nos charitati, qua miſerabili noſtræ tum damnationi, tum deſolationi compatiens, nullis meritis noſtris, ſed ineffabili miſericordia tua permotus, de regalibus ſedibus, de mellifluo corde patris, in hanc miſeriarum vallem deſcendiſti, noſtræ fragilitatis carnẽ aſſumendo, idq; ſpiritu ſancto in caſtiſſimo vtero intactæ virginis ex puriſſimo eius ſanguine cooperãte. In cuius etiam pudiciſſimis viſceribus iam deus & homo nouem es menſibus geſtatus, ac tandem ſalua integritate, atq; ſine vllo dolore matris in hunc mundũ pauper paſſibilisq; es natus, pãnis inuolutus, ſuper fœnũ inter animalia in præſepio poſitus, maternis vberibus lactatus, legi ſubditus, vt peccator circunciſus, vt ſeruus redemptus, proprio ſanguine tinctus, à paſtoribus agnitus, à magis ſtella ductis adoratus, in templum oblatus,

ab Herode perſequente in exilium fugatus. Et cũ triginta fermè annos ſub matris obedientia latẽs mundo fuiſſes incognitus, in Iordane es baptizatus, atq; poſt longa ieiunia à dæmone in deſerto tentatus. Ieſu dulciſſime, hoc modo noſtram es redemptionẽ exorſus, ita ſalutẽ noſtram es operatus, his pœnis atq; ærumnis tuam infantiã conſecraſti, his calamitatibus vitam expoſuiſti, atq; vſq; ad conſumptionem tui in laboribus, & aduerſitatibus, in vigilijs & lachrymis, in orationibus & prędicationibus, in fame & ſiti, in frigore & ęſtu, in itineribus & perſequutionibus, in inſidijs & iniurijs, in opprobrijs & deriſionibus multis perpeſſis, temetipſum pro nobis afflixiſti. Hę fuerunt amantiſſime Ieſu diuitiæ illæ, hæ merces, quibus viles illas ſarcinulas, nos videlicet, comparaſti, tanti nos faciens, vt amore noſtri ceu ebrius, te ipſum nõ modo in pœnas & opprobria, ſed in mortem etiam vltro offerres. Adoro igitur te ſaluator noſter amabiliſſime, benedico te & gratias ago tibi pro innocentia tua mirabili, pro vita tua exemplari, pro cõuerſatione amicabili, pro doctrina ſaluberrima;

pro peregrinatione laborioſiſſima, pro diſcipulorum vocatione, pro beneficiorū erogatione, atq; pro inæſtimabili dilectione. Et per hæc omnia ardentiſſimam charitatem tuam obſecro, vt viliſſimū me peccatorem in gratiam tuā recipias, peccata mea & quicquid tibi in me diſplicet, à me miſericorditer tollas, ſeruum perpetuo fidelem me tibi efficias, regas, tuéq; ſolus me amantiſſime ſecundum tuum beneplacitum perpetuo poſſideas. Amen.

De vēditione ac cœna domini.

BEnigniſſime Ieſu, laudo & adoro te, gratias ago tibi, qui inter varia laudis & honoris præconia, quibus te aſello ſedentem ac Hieroſolymam aduenientem plebs tibi cum ramis arborū & oliuarū frondibus occurrens excepit, vrbis imò magis animarū in ea exitiū fleuiſti, quiq; vrbem ingreſſus, ilico ad templum, vbi animas iugi prędicatione & ardenti zelo patri adducebas, te contuliſti. Porrò per totā diem prædicantē, veſpere cum nemo eſſet qui te inuitaret, vt alienigena hoſpitioq; indignus, poſt tantos labores

 bores

bores in Bethaniam ieiunus rediiſti. A diſci pulo quoq; triginta argēteis venditus, agnū paſchalem, agnus ipſe paſchalis iam iamq; pro nobis immolandus, cū diſcipulis come diſti, quorū etiā pedes lauās humilis magi ſter lintheo, quo eras præcinctus, exterſiſti: corpus tuū & ſanguinē ſub ſpecie panis & vini ſumenda eiſdem tradidiſti, idipſumq; à nobis in tuæ dilectionis & noſtræ redēptio nis memoriā præcipiens inſtituiſti. Poſtre mo ad dilectionē admonitos, ſermoneq; dul ciſſimo conſolatos, patri tam ipſos q̄ electos omnes oratiōe ardentiſſima cōmendaſti. Ni hil omnium omiſiſti benigniſſime Ieſu, quo poſſes oſtendere quanta nos exuberantia di lectionis attrahere geſtires.

Per hanc igitur charitatē tuam obſecro te bone Ieſu, ignoſce omnibus iniquitatibus meis, & quicquid negligētiæ, quicquid irre uerētiæ, quicquid præſumptionis, quicquid delicti circa hoc tremendum Euchariſtiæ ſa cramentū admiſi, ea deleas charitate, qua te nobis donaſti. Accende cor meū flagrantiſ ſimo huius ſacramēti amore & deſyderio, vt quando & quotieſcunq; tuæ maieſtati placue

rit, maxime autē circa vitæ meę extrema, ea humilitate, ea reuerētia, ea puritate & chari tate, ea deuotiōe & intentione, quibus tu inſtituiſti & ſumi voluiſti, merear ipſius ſumptione cōtra oēs hoſtiū inſidias præmuniri, contra oēs aduerſitates confortari, in gratia tua confirmari, tuo beneplacito confor mari, amore tibi inſeparabiliter vniri.

Pauor & agon Chriſti.

CLementiſſime Ieſu, paſtor æterne, qui gregem tuū vſq; in mortē diligēs, vt à morte illū eriperes, vltrò in mortē te obtuliſti. Siquidem cœna facta & hymno dicto ad hortū cum diſcipulis tuis exiuiſti. Verū inter eundum, quæ paſſurus eras tormenta præſentiens: Triſtis eſt, inquis, anima mea vſq; ad mortē. Itaq; progreſſus paululū, & à diſcipulis ſegregatus, præ nimia cordis anguſtia in faciem procidiſti, clamans ad Patrem: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſfer à me calicem iſtum, veruntamen nō mea voluntas fiat, ſed tua. Hei bone Ieſu, in quanta tunc fuit preſſura cor tuū, cū hinc ardore æſtuantiſſimæ charitatis impelleretur, geſtiens ad

redemptionem animarum ſe totum impendere: illinc verò terribilium pœnarum, quas præuidebat imminere, concuteretur immanitate: fieretq; in te amoris pariter ac timoris vſq; ad extrema compugnātium agon, quo cor tuū adeò anguſtiabatur, vt ex toto corpore membriſq; ſingulis ſudor emanaret ſanguineus, tantus qui non veſtes modo, verumetiam terrā cui facie incubabas, humectaret. In hac preſſura pie Ieſu, maieſtas tua ſe adeò humiliauit, vt angeli quoq; conſolationem (qualemcunq; tum ſuo poterat domino ſeruus adferre) non reſpueres. Adeò tua reſignauit humanitas, vt à patris voluntate nunquam declinares: adeò ſuorum curā tua habuit charitas, vt quaſi tui oblitus, ab oratione ſurgeres, ac diſcipulorum triſtitiam tuæ anteferres. Eia clementiſſime Ieſu, pro hac tua triſtitia, pro pauore, pro anguſtia cordiſq; preſſura, pro cunctis gemitibus tuis miſerabilibus, pro altis ſuſpirijs, pro ſingulis & lachrymarum & ſanguinei ſudoris guttis, te adoro, te laudo, te benedico, tibi gratias ago deus æternæ maieſtatis, obſecrans te per immenſam charitatem

tem tuam,vt omnem leuitatem ac ineptam lætitiam, omnem quoqꝫ inordinatam triſtitiam à corde meo ſemper abeſſe,ſanctam verò cordis cõpunctionem ſemper adeſſe facias: vt pœnitẽtiæ & amoris lachrymę nunq̃ à me recedant,ſed cor meum totum liquefaciant,vnde omnes vires, cum animæ, tum corporis in te ſolum effluant. Dulcis Ieſu, abſorbeat me totum iugis memoria paſſionis tuæ. Abſorbeat me totum ignea vis dilectionis tuæ,vt te ſolũ cogitem,te ſolum concupiſcam,ad te ſolũ ſuſpirem atqꝫ anhelem, in te ſolo requieſcam.Amen.

De Christi à diſcipulo proditione.

DVlciſſime Ieſu, quis ego ſum, vt tu deus omnipotens & immenſus, pro me,qui nõ miſericordiã,ſed iuſtitiam: non ſalutem,ſed damnationẽ merueram, teipſum ad paſſionem & mortem offerres? Nam hoſtibus tuis ſæuientibus, & te quærentibus, velut prædã innocentiſſimã te obuium dediſti, ipſiſqꝫ verbi tui virtute proſtratis,ſurgendi atqꝫ tui capiendi copiã tribuiſti,proditorem tuũ dulci oſculo & benigno

verbo ad pœnitentiā inuitaſti. Malchū tru-
culentum hoſtem reſtitutæ ſanitatis benefi-
cio dotaſti. Adoro igitur, laudo, benedico te,
& gratias ago tibi pro humilitate tua, pro
manſuetudine, pro charitate, & pro cæteris
omībus virtutibus, quas nobis in exemplū
præſtitiſti inter truculentos hoſtiū aſpectus,
inter cōuitia & improperia, inter verbera &
tormēta, quando inſultu & horrendo clamo
re inuadebaris, capiebaris, proſternebaris, li
gabaris, feriebaris, calcabaris, iugulabaris,
trahebaris, trudebaris. Et ſic varijs atq; in-
numeris cum blaſphemiarū tum pœnarū
generibus agnus mitiſſimus à lupis dilania
baris, atq; vſq; ad Annę pōtificis domū pro
pellebaris: vbi ad interrogata tam pruden-
ter q̄ humiliter reſpōdens, à viliſſimo es ſer
uo & obiurgatus, & alapa violēta in faciem
cæſus. Huic dolori tuo acceſſit clementiſſi-
me Ieſu diſcipulorū ſcandalum cor tuū vul
nerans, quorum vnus deſperauit, alius ter
te negans etiā abiurauit, cęteri à te fugerūt
omnes, hoſtiū crudelitati te ſolū relinquen-
tes. Reſpice nunc clementiſſime domine
Ieſu, miſeram hanc & miſerabilem captiui-
tatem

tatem meam, qua ligatus teneor. Et inter quot pericula verſor, inter quot delicta con ſtringor, quot vitijs & concupiſcentijs ſeruiens fatigor, qua peccādi cōſuetudine quaſi captiuus teneor, quanta corruptiōe interioris hominis vt vinctus trahor. Reſpice, miſerere, & verbi tui virtute, oēs hoſtiū meorum vires proſterne. Libera me ab omni captiuitate peccati, & vinculis mandatorum tuorum indiſſolubili nexu amoris me tibi conſtringe vt nihil mihi in hoc mundo libeat q̃ beneplacito tuo ſemper obtemperare, & tibi inſeparabiliter inhærere.

De illuſione Chriſti in domo Cayphæ.

AEternæ glorię ſplendor, Ieſu elegātiſſime & præ filijs hoīm ſpecioſe, hei in quantā ignominiā abiectionemq́ꝫ te induxit & grandis mea iniquitas, & tua immēſa charitas. Siquidē inde actum eſt, vt pro me tu cum tumultu furentium & armorū ſtrepitu opprobrioſe inter iniurioſa verba ac verbera ad Caypham ductus, inique fueris accuſatus, tumide interrogatus, irreuerēter adiu-

ratus,pro ſanctaquoq; reſponſione blaſphemiæ indecenter accuſatus,ac tandem quaſi mortis propterea reus iniuſte dãnatus:dein de alapis,pugnis & colaphis cæſus,vnguibus vellicatus,barba ac crinibus tractus, fœda abominabiliq; hoſtiũ immũditia conſputus,dediſti genas tuas vellẽtibus,faciem tuam increpantibus ac conſpuentibus,& totum corpus tuũ percutientibus,donec neq; ſpeciem neq; decorem habens, vt leproſus, vt percuſſus à deo,vt deniq; virorũ omniũ nouiſſimus eſſes reputatus, atq; cũctis iam in deriſionem & opprobriũ factus, tota nocte cæderer is,velareris, ſubſannareris, illuderers. Itaq; pro ludibrijs his atq; iniurijs omnibus quibus per noctẽ velut agnus innocentiſſimus fatigatus es, laudo, benedico, adoro te & gratias ago tibi orans te per manſuetudinẽ tuã pijſſime Ieſu,vt cor meũ illumines,cognitionem mihi propriæ iniquitatis & vilitatis cum ſancto odio atq; diſplicentia meipſius infundens, item cognitionẽ bonitatis tuæ cum ardẽtiſſimo caſtiſſimoq; tui amore incredibiliter imprimens, vt indies magis in me creſcãt & profundiſ-

ſima

ſima humilitas & perfectiſſima charitas. Amem ipſe neſciri, amē ab om̃ibus vilis æſti mari deſpectus q; haberi. Amem te dulcis Ieſu toto corde, deſyderem te ab omnibus cognoſci, diligi & honorari.

Accuſatur ſperniturq; Chriſtus corã Herode & Pilato.

FIdeliſſime amator, noſtręq; ſalutis autor Chriſte Ieſu, adoro te & gratias ago tibi, qui vinctus conſputus, ſicq; deformis ductus es mane ad Pilatum, vbi à principibus & populi ſenioribus inter cætera ipſorũ efficta mendacia, ſeditionis etiam atq; crimi nis læſæ maieſtatis iniquè es accuſatus. Porro cum Galilæus dicereris, à Pilato ad Herodem (ſub cuius te eſſe poteſtate arbitrabãtur) es remiſſus. Quo pergens inter opprobria & calumnias per ciuitatis mediũ ducebaris. Vbi cum Herodi te videre atq; audire geſtienti, neq; reſpõderes, neq; vllum miraculum oſtenderes, ab ipſo omniq; exercitu ſpretus es, calumniatus es, in alba veſte illuſus es, è regia aula eiectus es, & Pilato non aliter atq; fatuus remiſſus es. Hei bo-

ne Ieſu,quàm ignominioſe tum ducebaris, quàm violenter impellebaris, q̃ probroſe ſubſannabaris. Vbiq; ſpectaculum & opprobrium factus eras etiam pueris atq; cæteris vilibus perſonis accurrentibus,& tanq̃ inſanum te irridentibus. O vtinam dulciſſime Ieſu,des mihi perfectiſſimam humilitatem & patientiam,vt meipſum cognoſcens toto corde deſpiciã,omnem hominẽ mihi præferam & præferri cupiam,de mei contemptu ex corde gaudeam, contemptores mei ſyncerè & ex animo diligam.

Chriſti flagellatio.

GLoria & corona ſanctorũ omniũ,dñe mi gratioſiſſime Chriſte Ieſu,q̃ benignus nobis,q̃ rigidus atq; durus tibi es propter nos. Quippe qui reductus ad Pilatum non ſine graui ignominia veſtibus om̃ibus es nudatus , vinculis duris ad columnam atrociter ligatus, virgis, flagellis, ſcorpionibus immaniter es verberatus. Hei patientiſſime Ieſu,quomodo caro tua nobiliſſima laceratur,quomodo cutis tua tenera diſcerpitur,quomodo decor corporis tui prophanatur,

natur,quomodo ſanguis tuus ſacroſanctus funditur atq; pedibus cōculcatur? Pro verecundia tua,qua ante oculos deriſorū tui afficiebaris, pro doloribus & cruciatibus omnibus,pro ſingulis flagellorum ictibus, pro guttis deniq; ſingulis ſanguinis tui pro me fuſis,adoro,laudo ac benedico te creator benigniſſime,gratias agens tibi & obſecrans pietatem tuā per ſingulas plagas,liuores & vulnera tua,vt per hæc flagellationis tuæ merita,in hora mortis meę me liberum facias ab omnibus peccatis & pœnis,q̄bus in curia tuæ iuſtitię nūc obnoxius tenebor, vt ſic ex ſingulari gratia & miſericordia tua peccatis meis plene om̄ibus per te remiſſis, totus liber ac mundus ex hac vita,cōtinuo immediateq; ad æternam recipiar. Dulcis Ieſu,nihilominus da mihi ad tuæ paſſionis conformitatē & gratiarum actionem patientiſſime & humilime ferre quicquid tua dignatio mihi impoſuerit,vt paſſio tua pro peccatis meis ſatiſfaciat,ego vero,nō quaſi pro peccatis meis,ſed pro tui amore & beneplacito patiar, quicquid tuipſe volueris & diſpoſueris,idq; cum iugi gratiarum actione in

omnibus & pro omnibus, te ſemper magis diligens ac laudans ſine fine.

Chriſti coronatio.

HVmilime Ieſu Chriſte, rex cœli & terræ, adoro ſupplex te deum & creatorem meum, quoniam quidem propter me tu deriſus & illuſorie adoratus es. Quippe cuius ſanctiſſimo vertici coronam ſpineam milites impoſuerũt, & chlamyde coccinea, ceu purpura te amicientes, ſceptrum quoq; baculum arundineum dexteræ tuæ impoſuerunt. Hei dulcis Ieſu, quanta pœna, quantus cruciatus ſacroſanctum caput tuum afflixit, nec tamẽ tanto dolori tuo impertiebatur compaſſio, ſed deriſio, quandoquidẽ veluti regni inuaſorem temeritatis te arguũt, inſignia regalia circũponentes tibi illudũt, inclinando ſe vt regem te ſalutãt, vt deum adorant. Atilico ſurgentes, iterum faciem tuam turpiter conſpuunt, & alapis cædunt, dura arundine caput venerandũ percutiũt, atq; tandem ceu triumphum hoſtibus tuis inſtituentes, ſic miſerabiliter te afflictum, videndum deridendumq; populo educunt.

Itaq;

Itaq; produceris tu bone Ieſu, qui præ cordis anguſtia & corporis dolore vix moueré te poteras, & in gaudium hoſtibus tuis deridendus oſtenderis. Nulla fuit tunc hoſtibus miſeratio erga te bone Ieſu, quorum corda iampridem furor liuorq́; obſederat. Nam & ſi ex liuore & vulnerum cruentatione, tam appareres miſerabilis, vt dicente Pilato: Ecce homo, etiam homini videreris diſſimilis (quippe cuius faciē ſputa & cruor ſimul mixta operuerant, cuiusq́; corpus totum erat aut ſanguis fluens, aut plaga tumens) nulla tamen calamitate, nullis in te pœnis ſatiari poterant hoſtes: quin potius atrociori in te inuidia commoti, magnis clamabant vocibus: Crucifige, crucifige, O pijſſime Ieſu, quātum afflixit pijſſimum cor tuum huius malignæ plebis, cui tanta beneficia præſtitiſti, inuidia. Proinde iterum atq; iterum te bone Ieſu adoro, gratias ago & benedico te pro omnibus quæ paſſus es, & pro charitate qua paſſus es, obſecrans te per infinitam miſericordiam tuam, vt omnem arrogantiam & vanam gloriam, omnem oſtentationem atque omnem prorſus

ſus ſuperbiæ peſtem penitus à me alienam facias. Nõ reperiatur vnquam in ſeruo tuo quod ſuperbiam aut vanitatẽ redoleat, ſed cor da mihi ſemper contritũ & cõpunctum: cor (inquam) dulcis Ieſu ſecundum cor tuũ, quod charitate ardentiſſima & compaſſione intima ſemper ſit vulneratũ, quod tui deſyderium, tui memoriam ſemper in ſe teneat, te ſemper cogitet, in te paſcatur, in te requieſcat, à te nunquam recedat.

Poſtulatur Chriſtus ad crucem latrone dimiſſo.

INnocentiſſime agne, Chriſte Ieſu, quid feciſti, vt tantis doloribus & pœnis cruciareris? Ego peccaui, & tu luis. Quid igitur poſt hac extollam me ego cinis & puluis? Ecce tu deus maieſtatis, adeò vilis, adeò exoſus haberis, vt dum pro tui dimiſſione Pilatus inſtaret, & latronẽ ſimul ob hoc tecum proponens, populum ad tui liberationem allicere cuperet, interrogans vtrum è duobus ad diei feſti reuerentiam, ſimulq́; propter priuilegiũ conſuetũ vellent dimitti impij illi homicidam tibi prę ferũt, quem vi

ta quoq; donandũ, te vero vitę autorem, necandum magnis importuniſq; vocibus poſtulabant. Ah pie Ieſu, hanc iniuriam, hanc contumeliam, hanc blaſphemiam q̃ patienter ſuſtinuiſti? Magnũ fuit opprobriũ, latroni, eiq; inſigni cõparari. At maius acceſſit, eo ipſo viliorem vitaq; indigniorẽ te iudicari. Pro hac igitur iniuria, ſimulq; pro tui damnatione, qua ante tribunal iudicis tanq̃ impius & malefactor adductus es, iniquè iudicatus es, & morte ignominioſa damnatus es, te adoro, laudo, & benedico, tibiq; gratias ago, obſecrans te per immenſam pietatem tuam, vt tua me gratia adeò impleas adeò confirmes, vt nunq̃ æternæ damnationis reus inueniar. Piiſſime Ieſu, abſolue me ab omnibus peccatis & negligẽtijs meis, vt per miſericordiam tuam plenè tibi recõciliatus, per paſſionẽ tuam perfectè purgatus, per gratiã tuam cũctis vitijs liberatus, tuis meritis ac virtutibus omnibus ditatus, ex hac mortali vita nẽq; damnandus, neq; vltra caſtigandus egrediar, ſed tua ſingulari benedictione ad conſolationẽ interminabilem recipiar, ſcilicet ad tẽ creatorem meum,

cuius tu me nunc facias dulcis Ieſu aman-
tiſſimũ deſyderantiſſimumq́, qui nulla poſ-
ſim extra te conſolatione recreari, quin to-
tus tui amore langueã, totus à me deficiam
totus in te ſolo viuam atq; ſubſiſtam.

Portat Chriſtus crucẽ ſuam, & nudatur veſtibus.

LAudo & bñdico te pijſſime Ieſu Chri
ſte, qui ad mortem crucis damnatus,
proprijs iam veſtibus reindutus, latroni-
bus ſociatus, inter opprobria & vituperia ig-
nominioſe extra vrbem, es eductus, ferens
ſuper humerum tuũ (in qua extremũ paſſu
rus eras ſupplicium) crucem tuã: quod cum
nemini ante, nec latronibus quidem modo
tecum crucifigendis, tibi tamen ſingulariter
factum eſt, vt ſi mortis tuæ cauſam (quam
nullam habebas) quis cognoſcere cuperet,
vel hoc ſchemate ſingularis infamię, omniũ
te maxime reum mortis crederet, qui pro-
prium ſupplicium ad locũ Caluariæ (quod
peſſimus quiſq; nec ante extuliſſet) exporta-
res. Hei pijſſime Ieſu, iam pœnis fatigatus,
iam viribus exhauſtus, quomodo incede-
bas

bas ſub cruce onuſtus & ad terram curua-
tus, dolens gemensq́, occurrente interim
matre tua deſolata ac pene exanimi, flenti-
bus quoq; amicis tuis & veſtigia tua cruen-
ta ſectantibns, quos retroſpiciens tu conſo-
labaris: filijs vero Belial gaudentibus, can
tantibus, & ſuper damnatione tua tibi inſul-
tantibus, quos humiliter & velut omnium
malorũ reus tolerabas. Benigniſſime Ieſu,
interea trahebaris, impellebaris, proſterne-
baris, calcabaris om̃ibus ſubſannãdus ac il-
ludendus offerebaris, donec viribus tãdem
omnibus deſtitutus, ſub trabe crucis aliquo
ties deficiens corrueres, ac Symone tandem
angariato, qui poſt te crucem ferret, ad Cal
uariæ montem pertingeres, vbi verecũdus
coram hoſtibus & omni plebe nudabaris,
atq; adeò renouaris doloribus & vulneri-
bus ſingulis, per laneæ veſtis (quæ plagis
tuis congelata fuerat) violentã abſtractionẽ
denuo ſauciaris. Pro his & om̃ibus impro-
perijs piè Ieſu pro me perpeſſis, adoro te
atq; gratias ago tibi, obſecrans te per infini
tam miſericordiã tuam, da mihi gratiã per-
fectiſſime & funditus abnegandi meipſum.

Dulcis Ieſu, trahe me poſt te, vt ardentiſſimo deſyderio imitandi veſtigia vitæ ac paſſionis tuæ ſequar te, quocunq; ieris, & quocunq; me ſequi volueris. Pie Ieſu, ſeruiam tibi fideliter, ſicut tu volueris. Suſtineam æquanimiter, quicq́d tu me pati volueris: intelligam in omnibus prouidentiā tuam: de manu tua cuncta cū laude & gratiarū actione ſuſcipiam: in ſeruitio tuo neq; tepeſcam neq; deficiam, ſed om̄es vires animæ & corporis, omne tempus vitę meæ in beneplacitum tuum, in laudem & amorem tui perpetuo expendam. Amen.

De Chriſti crucifixione.

MItiſſime atq; mãſuetiſſime Ieſu quàm magna multitudo miſericordiæ tuæ, quàm immenſa latitudo charitatis tuæ, qui ante oculos tuos ſuppliciū atq; ſtratum mortis dum tibi parari vidiſſes, atq; ſuper illud impetuoſe deiectus eſſes, ad crucis cornua brachia tua vltro expandiſti: vbi cum ad foramina crucis nimis diſtantia violenter atq; vſq; ad compagum ſolutionē diſtendereris, clauiſq; diris per manus & pedes cruci affigereris

gereris, non aliud agne manſuetiſſime dixiſti, q̃: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. In tanto pœnarũ cruciatu monſtrabas, ꝙ cæcitatem illorũ magis q̃ corporis tui languorem doleres. Hoc eñ præcipuũ agebas, vt hoſtiũ tuorũ peccata excuſares, & vindictam quam merebãtur illi, tu deprecando illos patri commendatos faceres.

Pro hac charitate tua, pro miſeratione pijſſimi cordis tui, pro omnibus quoqꝫ pœnis & diris cruciatibus, pro ignominia deniqꝫ quam paſſus es, quando nudus in cruce exaltatus es, & medius inter latrones, perinde ac omniũ ſceleratiſſimus ſuſpenſus, opprobriũ hominũ & abiectio plebis pro me factus es, à prætereuntibus, item ab altero latronũ ſubſannatus, & cũ exprobratiõe beneficiorũ tuorũ blaſphematus es: præcipuè autem pro clemẽtia tua, qua alteri latronum veniam abs te petẽti exhibuiſti, non ſolum peccata dimittẽs, ſed regni etiam tui gaudia atqꝫ tui conſortiũ eidem promittens, te adoro, laudo, benedico, ac gratias ago tibi domine deus meus. Obſecro autẽ te per ſingula vulnera & dolores corporis tui, perqꝫ

omnes guttas roſei ſanguinis tui, quē exu-
berantiſſime fundens crucem & terram riga
ſti, aufer & prohibe à me quicquid oculis
tuę maieſtatis in me diſplicet, infunde ac ſer
ua quicquid placet. O amantiſſime & fideliſ-
ſime Ieſu, da mihi ardentiſſimam, perfectiſ-
ſimam, fideliſſimam, perpetuamq́ charita-
tem. Hac mentem meam repleas & confir-
mes, qua ſcilicet te deū meū in omnibus &
ſuper om̄ia, proximū vero oēm in te, & pro-
pter te ſyncerè vereq́ diligam, odientibus
atq́ offendentibus me, ex animo ignoſcam,
benecupiam, benefaciam. O vtinā dulciſſi
me Ieſu, ò vtinam igneſcat cor meū ardore
charitatis tuę, abſorbeatur memoria paſſio
nis tuæ, rapiatur in te totali egreſſu & abne
gatione proprietatis ſuę, poſſideatur à te im
pletione bonitatis tuæ, tranſformetur in te
felici ac inſeparabili vnione diuinitatis tuę.
Dulcis Ieſu, te ſolum ſciam, te ſolū quęram,
te ſolum ſitiam, tibi ſoli intendam & inhæ-
ream, in te ſolo quieſcam & gaudeam.

De cruciatu tam externo quàm interno Chriſti in cruce.

Nobi

NObiliſſime Ieſu, deus & homo, qui naturā humanā propter nos aſſumpſiſti, & iam in eadē patiendo temet ipſum pro nobis hoſtiam viuam & immaculatam patri obtuliſti, vtinam cordi meo tuæ paſſionis iugem memoriā imprimas, vt indeſinenter deuotè meditando, expendam in te humanitatis tuæ nobiliſſimam tenerrimamq; cōplexionem, maieſtatis incōprehenſibilem excellentiā, pœnarū magnitudinē & multitudinē, vulnerū acerbitatem & profunditatem, dolorū multiplicitatem, opprobriorum varietatem, ſpiritus anguſtias, cordis preſſuras, compaſſiones atq; triſtitias: quæ omnia cū ſemper, tum maxime tribus his horis, qbus in cruce tribus clauis eras ſuſpenſus, tibi cruciatus morte amariores exaggerauerunt. ſiquidem patiebaris ſingulis membris, nec quicquam in te erat, quod liuore atq; dolore nō eſſet ſaucium. Acceſſit quod ſingulorum vulnerum ſingularumq; pœnarum ſingulariter atq; diſtinctim ſentiebas ſimul omnes atq; ſingulos dolores & acerbitates. Ampliabantur vulnera, & nouis cōtinuè pœnis profundius lacerabātur, adeò

ā deo vt dolor nō modo omne corpus, verum cordis etiam atq; oſſium medullam penetrans, te totum laniando mactaret. Cæterum vehementius multo te affligebat internus dolor pro animabus ingratis, tantā charitatem contempturis, ac ſub tanto precio pro illis expoſito perituris. Aſtabat præterea pia mater ſub cruce, nullā conſolationē tibi potēs adferre, imò quam ad doloris tui & interni cruciatus augmentum adeſſe tibi voluiſti, vt ipſius & potiſſime noſtri curam ageres, hoc eſt, nos illi ſub diſcipuli nomine in filios, ipſam vero nobis in matrē donares. Videbas eam anxia compaſſione tabeſcētem, & dolore nimio velut exanimem. Vnde fiebat, vt internus dolor tuus externo non foret minor. Nulla tamen vtrobiq; occurrebat conſolatio, nulla pœnarū interpellatio, nulla requies concedebatur. Nudus pendebas, pauper ac deſpectus, non habens tantillū quo caput ſpinis oblitum ac plagis liuidum reclinares, ſed derelictus ab omnibus, atq; à deo patris conſolatione deſtitutus, circa horam nonā dū tenebræ iam vniuerſam operuiſſent terrā amaritudini to-

tus

tus expoſitus, clamabas Heli, heli lamaza-bathani. Deus meus, deus meus, vt quid dereliquiſti me? Chriſte Ieſu pijſſime, pro ſingulis plagis, liuoribus, vulneribus, pœnis atq; gemitibus, pro ſingulis denique guttis ſanguineis tuis, adoro, laudo, benedico te ac gratias ago tibi, per hæc eadē & per immenſam miſericordiam tuā obſecrans te, ne derelinquas me, nec ſinas me vlla tentatiōe vinci, nec vlla aduerſitate ſuperari. Libera & cuſtodi me ab omni peccato, ab inſidijs inimici defende me, in omni tentatiōe protege & dirige me. Rege & poſſide me, & fac vt toto corde ſemper vulneratus, tui amore & compaſſione abſorptus, te ſemper videam deum meū pro me crucifixū, ita tibi ſemper mens mea inhæreat, vt nihil extra te mihi libeat. Dulcis Ieſu, imple cor meū fide recta, ſpe firma, charitate perfecta, quibus perpetuo tibi & inſeparabiliter inhæream, & nunq̄ à laude tui & gratiarū actiōe deficiam. Oro te etiam piè Ieſu pro omnibus, pro quibus tu paſſus es, ne tam doloroſa paſſio tua, neve tanta charitas tua in eis pereat. Conſolare omnes afflictos, tentatos protege, cūctos

qui

qui in gratia tua ſunt confirma, cõuerte oẽs ad te qui auerſi ſunt, & ſaluos fac nos, ſicut tu ſcis & vis, domine deus noſter.

De ſiti & morte Chriſti.

OMnipotens ſempiterne deus, qui cũ omniũ creator eſſes & dominus, tantam pro me ſuſtinere paupertatẽ voluiſti, vt ardentiſſimam ſitim patienti, nõ eſſet qui tibi aquam porrigeret, deeſſet aqua quæ te refrigeraret, adeſſent verò qui clamanti, & æſtuantẽ ſitim conquęrenti, acetũ felle mixtum propinarent. Hoc ſcilicet vtcunq; potum ſiti mederi potuiſſet, guſtare tamẽ illud non autem ſumere voluiſti, vtpote cruciatum eligens, non refrigeriũ. Itaq; hoc guſtato, conſummatũ eſt, inquis, nil ſupereſſe indicans, q̃ vt in mortẽ amariſſimã traderes animam tuam. Igitur cruore ſancto pro nobis fuſo, inter pœnarũ acerbitatés, & vulnerum hiatus inhærebas ligno crucis cruẽto aridus, ſqualidus, deformis ac tanq̃ vermis & nõ homo, omni ſpecie decoreq; priuatus, donec tandem lacrymantibus oculis, tabeſcentibus viſceribus, obrigentibus membris,

bris,in amariſſimo cruciatu clamore valido patrē inuocaſti,orans: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Quem etiam, mox vt oraueras,inclinato capite eidem tradidiſti. O dulcis Ieſu, teſtabantur (quomodo poterant) innocentem mortem tuam & quaſi compatiebantur inſenſibiles creaturæ: ſiquidem luctum præ ſe ferebant ſolis obſcuratio, terrę tremor, veli & petrarū ſciſſio, monumentorū apertio, perſecutorū ſe redarguentiū confeſſio ac pectorū percuſſio. Et cum hæc omīa fiant,hei dulcis Ieſu, ego qui mortis tuæ tam acerbæ quàm ignominioſæ reus ſum, non plangam? non ſcindar? non vulnerabor? Eia amantiſſime Ieſu, ſcinde cor meum tui dolore, vulnera cor meum tui amore,qui nos vſq; in finem dilexiſti. Amator fideliſſime, quid retribuam tibi pro hac immenſa tua dilectione? Adoro te, laudo, benedico te,& gratias agens obſecro te, fac vt peccatis omībus, vitijs & concupiſcentijs vniuerſis, affectibus cūctis inordinatis, mundo & mihiipſi totus moriar, tibi autē ſoli viuam, tibi ſoli inhæream. Oro etiam te pijſſime Ieſu, vt mors tua amariſſima

ma ſit defunctis omnibus requies,conſolatio & vita ſempiterna. Sanguis tuus precioſiſſimus miſericordiſſime Ieſu, in purgatorium deſcendat,& defunctorũ omnium pœnas aut refrigeret, aut extinguat.

De apertione lateris Chriſti.

PIIſſime Ieſu,nõ ſufficiebat charitati tuę quòd in mortẽ tradidiſſes animã tuam ſanguinem fudiſſes,omniaq; mẽbra liuoribus & pœnis cõtriuiſſes, niſi ad extremũ quoq; cor tuũ pijſſimũ amore vulneratum, lanceę militis obijceres perfodiendũ,vt dilectionem,qua cuncta illa pro nobis agẽda ac patienda ſuſceperas, nobis monſtrares, vt amoris oſtiũ reſerando cunctis volentibus, etiam in te introeundi copiam faceres. Pro hac igitur dignatione tua clemẽtiſſima,pro flebili quoq; corporis tui depoſitiõe de cruce,pro eiuſdem aromatibus cõditi tumulatione,pro luctuoſa amicorum ad vrbem regreſſione,pro deſyderabũda matris tuam reſurrectionem credentis expectatiõe,item potentiſſima deſcenſione tua ad inferna, qua tuos amicos perbenigne viſitaſti, inenarrabili

bili gaudio refeciſti, tua præſentia beatificaſti, de inferni clauſtris eripiens paradiſo induxiſti, adoro, laudo & benedico te, gratiasq́ agens obſecro te per cor tuum pijſſimum, vt in illud cor meũ totum trahas, ſepelias, abſorbeas, vniasq́, vt præter cor tuum aliud non habeam. Dulcis Ieſu, accipe cor meũ & da mihi tuum, aut cor ſecundum cor tuum, quo extra te nil cogitem, nil ſciam, nil deſyderem, ſed te poſſidens, à te poſſidear: vt tu ſolus ſis mihi deus meus & omnia, tu ſis mihi omnia in omnibus. Iterum oro te pijſſime Ieſu pro om̃ibus defunctis, per cor tuum pijſſimum da ſingulis refrigerium & requiem ſempiternam.

De reſurrectione Chriſti.

QVi es creator noſter, ſaluator noſter liberator, adiutor, dux, legifer noſter Chriſte Ieſu, qui in paſſione tua factus es nobis merces & redẽptio, vita & ſalus: qui virtutum omniũ exemplar te nobis conſtituiſti, & in premiũ te promiſiſti, admoneo illius te gaudij, quod deuicta morte & peracta redemptione noſtra, habuiſti: item quando re

ſumpto corpore, glorioſus immortalisq́ reſurrexiſti, quando etiam deſiderantiſſimæ matri te anxie expectāti filius amātiſſimus, Mariæ Magdalenæ ſponſus deſyderantiſſimus, diſcipulis quoq́ magiſter dulciſſimus apparuiſti, ac tandem in eorundem oculis cœlos aſcendiſti, & promiſſum ſpiritum ſanctum cordibus eorum infudiſti, iudex ſeculi iterum venturus & vnicuiq́ ſecundum merita, aut præmium aut ſupplicium redditurus. Pro quibus omnibus te laudo, te benedico, adoro & gratias ago, obſecrans tuam maieſtatem, vt charitate in extinguibili me accēdas, gratia tua, nunq̃ à me ſeparabili, cōfirmes, regas atq́ poſſideas & felici morte ab hac præſenti vita ad æternam transferas. Miſericordiſſime, pijſſime, amabiliſſime, ſuauiſſime, en offero me tibi, quādo placet tibi, ſuſcipe in pace animam meam. Veniam ad te domine deus meus, tecum ſine fine māſurus. Idipſum rogo te pro omnibus ſanguine tuo redemptis, dulcis domine deus noſter. Amen.

Exercitium



EXERCITIVM VITAE ET PAS-ſionis Chriſti, ad modum Roſarij, quinquaginta articulis, & totidem oratiunculis diſtinctum.

Ad vulnus dexteri pedis, oratio.

Amabiliſſime atq; dulciſſime Ieſu Chriſte, ſit tibi laus, honor & gloria pro vulnere & dolore dexteri pedis tui. In hoc ſacroſanctū vulnus depono atq; commendo tibi omnia peccata mea, vitia, paſſiones atq; omnem prorſus ingratitudinem, infirmitatem, vilitatem atq; nihilcitatē meam, obſecrans te per immenſam bonitatē tuam, vt omnia hæc per gratiam tuam in me deleas, atq; purifices ac ſanes. Quicquid etiā in me tibi diſplicet, à me tollas: quicquid tibi placet, mihi infundas, & in gratia tua ab omni peccato me perpetuo liberum facias, præmunias, dirigas atq; cuſtodias. Amen.

Pater noſter.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui me creaſti, quiq; hactenus me peccantem quotidie ſuſtines, & licet ingratiſſimum, etiam beneficijs foues. Da mihi quæſo, vt te creatorem meum cognoſcam, cum timore & reuerentiā tibi fideliter ſeruiam, perfecte obe-

 diam,

diam, & ex toto corde ſemper tibi placere ſtudeam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui nobiliſſimã virginem tibi in matrẽ prælegiſti, quam præfiguratam, & de ſanctis parẽtibus ſine peccato conceptam ac natam, gratijs, virtutibus bonisq́ omnibus impleuiſti. Da mihi quæſo, vt peccata mea, vilitatemq́ propriã perfectè cognoſcam, cum vera contritione ac ſancto odio defleam, & quicquid tibi diſplicet, deteſter & fugiam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, gratias ago tibi, qui amabiliſſimę puellæ, honeſtiſſimę ſpecioſiſſimæq́ virgini Mariæ, futuræ matri tuæ inſpiraſti, vt in tẽplum ſe tibi offerret, dedicaret ac perpetuam virginitatem foueret. Eia dulciſſime Ieſu, da mihi mentis & corporis perfectiſſimã caſtitatem, cordisq́ feruentiſſimam deuotionẽ, ſimplicitatem, puritatem ac ſtabilitatem.

Aue Maria.

O dn̄e Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui virgineo Ioſeph pudiciſſimam virginem Mariam voluiſti deſponſari, & vtrunq; in integritate immaculatum conſeruari. O vtinā mundum cum vniuerſis vitijs & concupiſcentijs ſuperem & contemnam, & tibi ardentiſſimo ſynceriſſimoq; amore ſemper inhæream.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui dignatus es ſanctiſſimam virginem Mariam per angelum ſalutare, ſpiritu ſancto fœcundare, atq; in vtero eius incarnari. Dulciſſime Ieſu, vtinam facias cor meum ita ab omni peccato & vitio liberum, vt tibi ſit iuge ac perpetuum habitaculum.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, quia dignatus es nouem menſibus in vtero virginis geſtari, & à præcurſore necdum nato cognoſci ac prophetari. Vtinam cor meum caſtiſſimo amore tui ſic vulneres, vt omnia mundana

faſtidiat, & te inhabitatorem ac poſſeſſorem indeſinenter ſitiat.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, quem ſine dolore genuit virgo inuiolata, carens hoſpitio & peregrina. Eia dulciſſime Ieſu, vtinā cor meū repleas ſemper gratia veræ ac perfectę contritionis, vt tibi eſſe merear filius æternæ adoptionis.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui in paupertate & frigore in pręſepio poſitus ab angelis es laudatus & à paſtoribus adoratus. Fac vt in ſeruitio tuo nunquam tepeſcam, & à laude tua nunquam deficiam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui circuncidi dignatus es ac vulnerari, & pro conſolatione noſtra Ieſus nominari. Vtinā per ſanguinis tui effuſionē merear totus purificari, & ab omni offenſiōe ac culpa ꝑpetuo pręſeruari,

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui à tribus magis quæſitus, adoratus & muneribus es honoratus. Eia dulciſſime Ieſu, da mihi, vt me ipſum totum ſemper tibi reſignem ac offeram omnes vires ac totũ ipſum quod ſum ac poſſum, omni tempore te laudem, amorem ac beneplacitum tuum expendam.

Aue Maria.

Ad vulnus ſiniſtri pedis, oratio.

AMabiliſſime atq; dulciſſime Ieſu, ſit tibi laus, honor & gloria pro vulnere & dolore ſiniſtri pedis. In hoc vulnus repono oẽs negligentias meas, omnia debita, omnesq; obligationes meas, rogans vt illa tu suppleas, tu me iuſtifices, impleas & confirmes gratia tua æterna, in qua creſcam, & quam nunquam amittere valeam.

Pater noſter.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, ꝙ in templũ offerri, & cũ puriſſima virgine matre tua legi ſubdi

ſubdi voluiſti. Ah dulciſſime Ieſu, da mihi perfectiſſimam humilitatẽ, qua deteſter omnem ſeculi gloriam, omnem honorem fugiam, & omni homini propter te deuotè me ſubijciam atq; obediam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui Herodis perſecutionẽ, fugã, exiliumq́; cũ matre in infantia tua pertuliſti, fac me deſyderanter æquanimiterq́; omnẽ aduerſitatẽ ſuſtinere, & in omni preſſura tibi fideliter adhærere.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui in tẽplo remanens, à matre quæſitus, & poſt triduũ es inuentus. Eia dulciſſime Ieſu, vtinã toto corde, ardentiſſimoq́; deſyderio te æſtuanter ſitiam, indeſinenter quæram, ita feliciter inueniam, vt te nunquam amittere valeam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui triginta annis cum matre incognitus latuiſti, & fabri filius

æſtimari voluiſti. Vtinam gratia tua in me omnem extirpet arrogantiam, omnem occi dat ſuperbiam, vt non videri aut gloriari, ſed neſciri diligam, ac vilis reputari.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi co te, & gratias ago tibi, qui propter nos in Iordane dignatus es baptizari, & à patre cœ litus monſtrari. Da mihi per iuges lachry-mas ab omnibus peccatis & vitijs munda-ri, vt tui amore deſyderioq; cœleſtis vitæ ſemper totusq; merear inebriari.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi co te & gratias ago tibi, qui in deſerto abſti nens, dignatus es à diabolo tentari. Eia dul ciſſime Ieſu, protege me gratia tua, & fac me cunctas diaboli inſidias euadere, omniaq; tentamenta in tua virtute ſuperare.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi co te, & gratias ago tibi, qui pro animarum ſalute, orationibus, vigilijs, itineribus, præ dicationibusq; continuis es fatigatus. Da

mihi

mihi vt honorem tuum & animarum ſalutem ferueter ſitiam, & pro his corpus meũ & omnia deſideranter impendam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui nuptias tua pręſentia atq; miraculo primo honoraſti, cunctisq; egẽtibus ac infirmis curationum beneficia erogaſti. Da mihi cor pietate, compaſſione & omnia miſericordia plenũ, quo omnibus hominibus & præcipue inimicis impendam perfectiſſimæ dilectionis beneficia & affectum.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, pro benigniſſima familiaritate, quam Mariæ Magdalenæ Zachæo, Matthæo, mulieri in adulterio deprehenſæ, cæterisq; pœnitentibus totus pius ac miſericors exhibuiſti. Da mihi gratiam profundiſſimæ humilitatis, perfectiſſimę mititatis, benignitatis & charitatis.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi-

cote, & gratias agotibi, qui inter laudes & honores ſuper Hieruſalem fleuiſti. Eia dulciſſime Ieſu, infunde mihi perfectæ charitatis zelum, vt tui contemptum & irreuerentiam vbiq; deteſter ac horreã, pro quocunq; peccato ex toto corde doleã, cuiuſcunq; etiã proximi mala, vt propria ſentiam.

Aue Maria.

Ad vulnus dextrę manus, oratio.

AMabiliſſime atq; dulciſſime Ieſu, ſit tibi laus, honor & gloria pro vulnere & dolore dextræ manus tuæ, in hoc vulnus repono atq; commendo tibi omẽs actus & conatus meos, & qcquid gratia tua in me aut per me factum eſt, vt tu ea cuſtodias, ſanctifices & perficias ad laudẽ & gloriam nominis tui.

Pater noſter.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui Iudæis te perſequentibus, & in mortem tuã conſpirantibus à diſcipulo es venditus. Ah dulcis Ieſu, da mihi, vt mala & bona omnia de manu tua ſuſcipiã, inter omnia gratias agam, pro ſingulis

gulis ſemper te plus diligã, & ad omnes homines pacem, trãquillitatem cordis ac charitatem retineam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te ac gratias ago tibi, qui relicta matre, Hieroſolymis paſcha cum diſcipulis comediſti, & illorũ pedes humilime lauiſti. Vtinam cũcta pro tui amore libenter relinquã, omnibus te præferam, in omnibus & ſuper omnia te diligam, & me omnibus in obſequium propter te gaudenter ſubijciam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui ſacramentũ euchariſtiæ inſtituens diſcipulis tradidiſti, & nobis idipſum reliquiſti. Eia dulciſſime Ieſu, accẽde cor meũ ad eſuriem huius venerabilis ſacramenti, vt ardentiſſimo deſyderio, caſtiſſimo affectu, humilitate, reuerentia, deuotioneq; ſynceriſſima frequentem illud, quando quotiesq; dignationi tuæ placuerit.

Aue Maria.

O dñe Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te,

&

& gratias ago tibi, qui ad patiendum deſyderantiſſimus, ſimulq; triſtis ac pauidus, ter orando patri te reſignaſti, & in agone poſitus ſanguinē ſudaſti. Ah vtinam facias, vt in omi aduerſitate ac tētatioue ad te ſemper recurrā, in te ſolo confidam, meipſum relinquam, & tibi ſoli credā, offerā & reſignem.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui ab hoſtibus captus ligabaris, cædebaris, blaſphemabaris, impieq; tractabaris. Vtinam facias me à vitijs omnibus liberum, & in tui amore captiuum, vt mihi deſyderatiſſimum fiat deſpici, iniuriasq; ac contumelias pati,

Aue Maria.

O dñe Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui ductus ad Annā patiēter à ſeruo alapā tuliſti. Da mihi vt odiētes me diligā, pro malis bona retribuā, & dulcedinis ac benignitatis affectū ad oēs effundā.

Aue Maria.

O dñe Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te & gratias ago tibi, qui in domo Cayphę, iniquos

quos teſtes accuſantiū tolerasti, & Petrū ter negantē te, miſericorditer reſpiciēs, ad pœnitētiæ fletū reuocaſti. Eia miſericordiſſime Ieſu, da mihi vt peccata mea, ingratitudinē quoq; & negligētias meas perfectè lugeam, & ex toto corde tibi placere ſtudeam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui damnatus, conſputus, cæſus, velatusq; alia complura indigna ſuſtinuiſti. Vtinam tui amor tantus in me ferueat, vt odiam reputari aut honorari, deſyderem verò & ex corde gaudeam neſciri, deſpici ac pati.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui coram Pilato iniuſtè accuſatus humiliter tacuiſti. Ah pie Ieſu, pone linguæ meæ frænū timorem tui, quo ab omni etiam ocioſo ſermone abſtineam, & in omnem humiliationem meipſum vltrò deſyderanter offeram.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te,

co te, & gratias ago tibi, qui ab Herode deſpectus ac deriſoria veſte es illuſus, inter opprobria quoq; ſubſannatus, & ſic ad Pilatū reductus. Eia dulciſſime Ieſu, da mihi vt de omnibus hominibus bene ſentiam, neminē iudicem aut ſpernam, cunctos mihi præferam, & de me ſemper vilius ſentiam.

Aue Maria.

Ad vulnus ſiniſtræ manus, oratio.

AMabiliſſime atq; dulciſſime Ieſu, pro vulnere & dolore ſiniſtræ manus tuę tibi gratias ago. In hoc vulnus offero tibi, ac iterū cōmendo omnia dona, beneficia, gratias, & quicquid mihi ingrato ac miſero contuliſti. Rogo autē tuam miſericordiā per ſingulas guttas ſanguineas, quæ inde fluxerūt, vt ea omnia mihi conſerues, confirmes, perficias, augeasq; ad gloriam nominis tui, vt indies in me creſcant humilitas & charitas ſecūdum beneplacitū tuū.

Pater noſter.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui propter me dignatus es nudari, ad columnam ligari, toto

corpo

corpore flagellari, vulnerari ac cruentari. Da mihi nūc flagella tua tam patiēter tamꝗ deſyderanter ſuſtinere, vt tuis pœnis ac meritis purgatus, poſt huius vitę egreſſum illico merear tecū gaudere, vbi tibi placeam, te laudem, te diligam in æternum.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui coronam ſpineam vertici tuo impreſſam, ſubſannationesꝗ & illuſiones, alapas quoque ac ſputa propter me pertuliſti. Dulcis Ieſu imprime cordi meo iugem paſſionis tuæ memoriam, quę mentem meam indeſinenter cōpungat, vulneret, atq; totam liquefaciēs, in tui amore abſorbeat.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui licet totus miſerabilis, vulneribus & doloribus plenus, productus, ac populo es monſtratus. Inuidia tamen Iudæorum clamans poſtulauit te crucifigi, & Barabbam vita donari. Ah dulciſſime Ieſu, omnē ſuperbiam & oēm glorię

appetitum, inuidiam cunctaq; vitia in me mortifica & extingue,& fac vt vere ſim cō patiens,vere humilis ac mitis corde. ò paſſio nobiliſſima ſaluatoris mei, vulnera animam meam: ò precioſiſſima vulnera amatoris mei, inebriate mentem meam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te,& gratias ago tibi,qui innocenter pro me ante tribunal ſtans,paſſus es te ad mortem damnari, & in gaudium hoſtibus fieri. Per hanc charitatem tuam obſecro te deus meus, da mihi gratiā nunquam obloquēdi, nunquam detrahendi,nunq̄ proximū iudicandi,damnādi aut ſpernēdi, & ad hæc etiā alijs nunq̄ auſcultandi aut conſentiendi.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, pro ſingulis doloribus atq; gemitibus, quando inter multa opprobria & verbera baiulans crucē tuam, in oculis matris tuæ ſub honore corruiſti. Da mihi mitiſſime Ieſu, crucē propriæ abnegationis & mortificationis feruentiſſima

deuotione amplecti,& veſtigia virtutũ tua-rum charitate perfectiſſima imitari.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte,adoro te,benedi-co te,& gratias ago tibi,cuius omnia mem-bra extractione veſtium nudabantur,dolo resq́ & vulnera renouabantur. Vtinam fa-cias cor meũ ab omni inutili cogitatione,ab impura affectione, ab om̃ibus deniq; viſibi-lium rerum formis perfectè nudari,vt iugi viſionis tui pręſentia merear indies renoua ri,tuiq́ amore feruentiſſimo totus abſorbe ri atq; cremari.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte,adoro te,benedi-co te,& gratias ago tibi,qui ſuper crucẽ di-rè es extenſus & clauis affixus,non habens ſpeciem neq; decorem,ſed ſicut leproſus & à deo percuſſus. Da mihi vt nihil ſim in oculis meis,ſed meipſum ſemper deſpiciam, ad maiora & meliora extendam,& om̃es vi-res animę & corporis mei in amorem & be-neplacitum tuum expendam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte,adoro te,benedi
co te, & gratias ago tibi, qui inter latrones
poſitus, exprobrãtium blaſphemias æqua-
nimiter pertuliſti,&pro inimicis orãs,latro
ni pœnitenti paradiſum promiſiſti. Da mi
hi perfectiſſime omnia vitia in me mortifi-
care,omĩa aduerſa mitiſſime tolerare,& ęſtuã
tiſſimo deſyderio ad te veram paradiſum
continue aſpirare.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi
co te,& gratias ago tibi,pro dolore, quo cor
tuum ſcindebatur, quãdo matrem tuã fide-
liſſimam condolentiſſimamq; aſtantẽ,diſci-
pulo tuo Ioanni cõmendabas. Eia dulciſſi-
me Ieſu,da mihi in eius veneratiõe & amo-
re ſic affici & occupari, vt ab ea tanquam
à matre merear ſemper protegi, foueri &
gubernari.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedi
co te, & gratias ago tibi, qui inter acerbiſſi-
mos pœnarum cruciatus clamabas te dere
lictum, quãdo etiam æſtuãtiſſima ſiti tortus,

non habuiſti aquæ guttã, ſed fel & acetum. Ah dulciſſime Ieſu, fac vt in omni tentatione ac preſſura ad te confugiam, ad te ſitiam & eſuriam, ac mundana omnia faſtidiam.

Aue Maria.

Ad vulnus cordis Ieſu, oratio.

AMabiliſſime atq; dulciſſime Ieſu, pro vulnere cordis tui ſit tibi laus, honor & gloria. In hoc vulnus offero, cõmitto atq; reſigno tibi cor meum, omnes potẽtias, vires, intenſiones & affectiones meas, rogans te per effuſionẽ ſanguinis tui & aquę, vt me tu ſolus poſſideas & regas, igneq; vehementiſſimi amoris tui conſumas, abſorbeas & tibi vnias. Amen.

Pater noſter.

O dñe. Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi pro innocẽtiſſima amatiſſimaq; morte tua, videlicet pro doloroſa ſeparatione ſanctiſſimę animę tuæ à nobiliſſimo corpore tuo. Eia deus meus, ſaluator meus, ſpes mea & corona mea, da mihi vt vitijs & cõcupiſcẽtijs omnibus, omniq; priuato ac inordinato amori perfectè moriar,

tibi vero ſoli viuã & æternaliter inhæream.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, pro amoroſo vulnere illo, quo cor tuũ tranſfixum, ſanguinẽ nobis propinauit & aquam. Eia vulnera quæſo cor meũ lancea amoris tui, vt aliud neque cogitem neq; deſyderem, q̃ te dominum deum meũ pro me crucifixum. Nihil mihi placeat, nihil me afficiat, niſi tu deus meus, gaudium meum, vita mea.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, pro flebili depoſitione corporis tui de cruce, & pro lamentabili planctu matris tuæ & amicorũ tuorum. O vtinam paſſionis tuę memoria omẽs ſenſus meos repleat, & me totum abſorbeat, vt aliud non videam, aliud non ſentiã, aliud neſciam, q̃ te dominum meum pro me crucifixum & mortuum.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui voluiſti ſindo-

ne

ne inuolui & alieno ſepulchro recondi. Vti nam cor meum, ſenſus & vires meas om̃es in te ſepelias, per amorem tibi vnias, & velut inſenſibilem ac ſtupidum ad omnia quæ à te ſunt aliena, me reddas.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui dignatus es ad inferna deſcendere, & captiuos patres liberare. Eia dulciſſime Ieſu, deſcendat nunc quoque paſſionis & ſanguinis tui virtus in purgatorium, & det animabus cunctis refrigerium.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui reſurgẽs à morte, primo matri, deinde Mariæ Magdalenæ & apoſtolis glorioſus apparuiſti. O dulciſſime Ieſu, da mihi vitijs, paſſionibus ac inordinatis motibus omnibus perfecte mori, tibi viuere, tibi placere, & ſola cœleſtia ſapere & deſyderare.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, bene-

dico te, & gratias ago tibi, qui iubilantibus angelis & patribus comitātibus, aſcendiſti in cœlū. Vtinā ſemper mens mea tui amore langueat, mundana vniuerſa faſtidiat, te ſolum ardenter eſuriat ac ſitiat, nihil me afficiat, nihil me delectet, nihil me lætificet, niſi tu domine deus meus.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui ſpiritū ſanctū dediſti, & diſcipulos ad mundi conuerſionē miſiſti. Da mihi ſimpliciſſimam puritatem cordis, iugemq́; ſtabilitatē mētis. Da mihi ardentiſſimam, fideliſſimam perpetuamq́; charitatem, vt ſpiritus ſanctus me impleat, regat ac poſſideat, vt vberioribus donis gratiæ ſuæ dignum me efficiat.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui matrē tuam in corpore & anima aſſumptam glorificaſti & potentiſſimā miſericordiſſimamq́; nobis donaſti. Da mihi per eius merita tuā gratiā & in omni bono perſeuerantiam, vt in ſerui

tio tuo nunquam deficiam,& per indiſcretionem nunquam excedam.

Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui iudex es venturus, & vnicuiq; ſecundũ ſua opera ſupplicium aut præmiũ redditurus. Eia miſericordiſſime Ieſu, da mihi omnem vitam meã ſecundum beneplacitũ tuũ ita conſummare, vt anima mea de corpore egrediens, immediatè ad te creatorem ſuum tui amãtiſſima redeat, vbi ſine fine in gloria tua cum omnibus ſanctis te collaudet & benedicat. Amẽ.

Si quiſpiam aliis occupationibus præpeditus, articulos hos, quomodo ſupra ſcripti ſunt, cum orationibus legere meditari've nequiuerit, poteſt lecturus Roſarium poſt quinq; aut decem ſalutationes angelicas (omiſſis ſuperioribus) orationẽ quæ ſequitur ſemper inſerere.

AVe benigniſſime Ieſu Chriſte cũ omnibus ſanctis & electis tuis, gratia plenus, miſericordia tecũ, benedicta ſit

amariſſima paſſio tua, triſtiſſima aĩa tua, pijſſimũ cor tuũ, oĩa mẽbra tua, opprobria, liuores, vulnera & mors tua. Et bñdictus dolor ac ſanguis vulnerũ tuorũ. Pro his itaq; omnibus quę paſſus es, & pro imẽſa charitate tua, qua propter me paſſus es, adoro, laudo, benedico te, & grãs ago tibi, miſericordiſſime dñe Ieſu Chriſte. Obſecro etiã te p pijſſimũ cor tuũ, imple cor meũ ardẽtiſſima, perfectiſſima, perpetuaq; charitate, vt meipſum vere cognoſcã & contẽnam, contẽnentes verò & odientes me ex corde diligam. Dulcis Ieſu, da mihi vt nil me afficiat, nihil me delectet niſi tu: Te ſolũ cogitem, te ſolũ ſentiam & tibi ſemper totus perfectiſſimeq; placeã.

Roſarium quinquaginta gaudiorum genitricis dei, quibus præ cæteris hominibus (vt eſt in omnibus ſingularis) in terra cœloq; exultat.

AB æterno es dilecta, dei mater prælecta, in ſalutem omnium.

Deus qui te præparauit, dignam fecit & ornauit, ſua mater fieres.

A Prophetis prædicata, ſignis, typis figurata,

rata, deſyderatiſſima.

A peccato præſeruaris, mox concepta con ſecraris dei habitaculum.

Te parentes genuerunt ſancti, ſteriles fuerunt, fœcundati cœlitus.

Sacerdotum, prophetarũ, regum & patriarcharum ſtemma nobilitat.

Legem, pſalmos didiciſti, nihil non intellexiſti, te docebat vnctio.

A delicto tu ſecura, & ab omni labe pura, angelis es mundior.

Tota pulchra, gratioſa, ſupra modum ſpecioſa, nil decoris defuit.

Gratia es omni plena, virgo mitis & ſerena, places & altiſſimo.

TE in templo dedicaſti, deo totã mancipaſti, vitam agens cœlicam.

Dulcis, pia, cũctis grata, pulchra, mitis, honorata, omnibus amabilis.

Speculum es caſtitatis, & exemplum ſanctitatis, morumq; perfectio.

Caſtitatem tu vouiſti, deo dum te obtuliſti, ò regina virginum.

Iuſto Ioſeph deſpõſaris, dei ſponſa quo ſeruaris, vitam agens cœlicam.

Deum

Deum humilis orabas, cui deuota ſupplica bas, pius nos redimeret.
Cœlitus es ſalutata, dum conſentis expecta ta, virgo deum concipis.
Ferens deum non grauaris, plena deo ſed lætaris, portans hunc in vtero.
In montana properaſti, Heliſabeth dum ſa lutaſti, adimpleris ſpiritu.
Virgo deum genuiſti, & dolore caruiſti, ple na cordis iubilo.

O Quàm ſancte exultabas, deum quan do tu lactabas, vbere virgineo.
Tu gaudebas reuelari, cognitumq́; honorari Ieſum dei filium.
Tu in gremio fouebas, operansq́; nutrie bas hunc qui paſcit omnia.
Hunc in templo reperiſti, gaudens tecum reduxiſti, mœſta quem quæſieras.
Tecum latens morabatur, fabro natus pu tabatur, erat tibi ſubditus.
Eius ſigna contemplaris, gloriæq́; gratula ris, dum dat beneficia.
Delectaris veritate, & ſermonum ſuauitate, populo dum prædicat.
Peccatores ad ſe pius vocat, & conueſcens

ad ſe

ocat, mitis & miſericors.
uo corpore cibauit, & amore inflamma-
uit, ſacramenta ſtatuens.
Magno precio quod empti ſumus, à mor-
te redempti, nobis ipſa faueras.
AStas Chriſto patienti, collaboras re
dimenti, charitatem ſocians.
Sola credis, ſola ſperas, amans ſola
perſeueras, typum dans Eccleſiæ.
Mortem victor ſuperauit, patris iuſſa con-
ſummauit Ieſus dei filius.
Prima vides reſurgentem, glorioſum & ful
gentem, ſancto plena gaudio.
Hic aſcẽdens, copioſam turbam ducit gau
dioſam, potens quam redemerat.
Spiritus tum replet idem, mũdus quo rece-
pit fidem, miſſi dum hunc prædicant.
Fidem gaudes dilatari, & innumeros ſalua
ri, tui nati ſanguine.
Languidis cupita dari, & miracula patrari,
Ieſu vides nomine.
Caſtitatem imitantur tuam, mundum aſper
nantur virgines & monachi.
Martyres qui dilexerunt Chriſtum, ſangui
nem fuderunt pro ipſius nomine.
Ad ſu

AD ſuperna ſuſpirabas, euocata :
bas ad dilectum filium.
Moriendo dormiuiſti,& nõ dolens tradidiſti deo tuam animam.
Hic aſſumptam te coronat, immortalitate donat corpore & ſpiritu.
Super cœlos exaltata, ſanctis angelis prælata, es poſt deum celſior.
Vt ſol fulget inter aſtra cœli, ſic illuſtrat caſtra tuæ ſplendor gloriæ.
Filius dat ſua dona, cœliq; parauit bona iis qui tibi ſeruiunt.
Tu in cœlo principatum obtines, eſt cunctis gratum quod regina præcipis.
Chriſtus matrem te honorat, quicquid petis, id exorat tua feruens charitas.
Proxima es trinitati, nam ſupernæ ciuitati decor es & gloria.
Honor tuus ſemper creſcit, amor tuus nec marceſcit in cœleſti curia.

Verſus memoriales articulos hos ſignificantes.

DIligit, ante parat, ſignat, præſeruat, à ſanctis.

Nobi

Nobilis,oīa ſcis,pura es,pulcherrima,plēa.
In tēplū, dulcis, pfecta, voues, noua ſpōſa.
Exoras, conceptū, fers, montana, pariſq́ꝫ.
Lacte, reuelatur, nutris, reperis, habitauit.
Signa facit, docuit, pius eſt, ſacramenta, redemit.
Aſtas, & credis, victor, ſurrexit, in altum.
Impleuit, credūt. miracula, caſtaq́ꝫ, martyr.
Euocat,& dormis,aſſumpta,ſupmaq́ꝫfulges
Dona,tuis mādas,cōſentit,proxima creſcūt

Meditatio in Orationē Dominicam, mentem orantis alliciens ad pietatem.

PAter noſter.) O clemētiſſime domine deus meus, tu ſemper quæ patrē optimum & fideliſſimū decent, erga me facis: ego vero non ago quę digna ſunt filio. Sum em̄ prodigus ille & profugus, qui ſubſtantiam, id eſt, vires animæ & corporis & om̄ia dona tua cōſumpſi in peccatis. Verūtamen quia tanto tēpore peccatis meis per miſericordiā tuam, ò amātiſſime pater, diſſimulatis, per benignitatē ſum ſuſtentatus, beneficijs etiam infinitis ac inſpirationibus tuis amoroſis vocatus, audeo ad te reuerti clemen

clementiſſime pater,& dicere: Pater, peccaui in cœlũ & coram te, iam nõ ſum dignus vocari filius tuus, nolo tamẽ eſſe mercenarius, nolo eſſe ſeruilis ſeruus: ſed opto eſſe aut filius, aut filialis ſeruus. O amantiſſime pater, quid nunc reliqui eſt, aut quid aliud opto, quid aliud expecto, q̃ vt inter paternos amplexus, inter brachia ſuauiſſimæ miſericordiæ tuæ ſuſcipias & conſtringas me? Ecce venio, ecce curro ad te dulciſſime pater. Expande brachia tua amoroſa ac paterna, & ſuſcipe me, licet indignũ, licet vagũ, tamẽ ad te reuertentẽ filiũ tuum. Cognoſce & recipe quem vocaſti. Ecce venio ad te. Vtinam Deus meus, oh vtinã deus meus, dignetur me pietas tua ſupra pectus miſerationum tuarum ſibi attrahere, aſtringere & indiſſolubili nexu charitatis inauertibiliter ſibi colligare. (Qui es in cœlis.) O clementiſſime dñe deus, quem decet ſanctitudo, vtinam cor meũ purifices ab omni priuato ac terreno amore, & hoc iuxta cor tuũ tibi placentiſſimũ facias habitaculũ: in quo te ſicut in cœlo iugiter delectet manere. (Sanctificetur nomen tuum.) Adoretur, co

latur, benedicatur ab vniuerſa creatura dn̄e deus meus: mihi confuſio & ignominia, tibi ſoli honor & gloria. Vtinam oēs cognoſcant, venerētur & benedicāt te. Sed & ego quoq; ò glorioſiſſime dn̄e deus meus, nihil habens niſi hoc corpus & hanc animā, offero tibi hæc & quicquid ſum aut poſſum, in tui laudem, gloriam & honorem. Atq; vtinam des mihi, vt ex toto corde & intimis medullis animæ meę te ſolū & gloriam tuā æſtuanter ſitiam, purè quęram, & intendam in omnibus quocunq; ſe mouet anima mea. Hoc idem opto, amantiſſime pater, fieri in omnibus creaturis tuis vt hoc velint, hoc agant & ita ſint, quemadmodū tu noſti aut maxime vis, ad gloriā tuam ſempiternam. (Adueniat regnū tuum.) Sempiterne deus, hoc age vt in nobis ſit regnū tuū, vt in nobis nihil amodo remaneat quod tibi diſpliceat, tu ſolus nos omniaq; noſtra impleas, regas & poſſideas, tu ſolus nobis in omnibus placeas, tui amor ardētiſſimus atq; perfectiſſimus nos totos abſorbeat, vt ſis nobis omnia in omnibus. (Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.) Eia dulciſſime &

ſuauiſſime pater, hoc opto, hoc deſydero, hoc precor, vt in me & de me & per me, atq; in om̃ibus creaturis tuis, ſanctiſſima voluntas tua fiat. Ceſſet ac pereat in nobis quicquid eſt proprium, vt tu ſolus omnia deſyderia noſtra in te rapias, atq; tibi vnias, nobisq; idem velle & nolle tecum facias. (Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.) Pijſſime & clementiſſime pater, tu ſcis quicquid nobis eſt neceſſarium, quicquid proficuum pro animæ & corporis ſalute. Ex te enim cũcta bona ſperare habemus, à nobis vero nihil niſi peccatũ. Da ergo vt perfecte cognoſcamus vilitatis noſtræ conditionem & indigentiã, ſimulq; charitatem & benignitatem tuam: & vt gratia tua ſemper nobis adſit, quæ nos illuminet, confortet, dirigat atq; perficiat. (Et dimitte nobis debita noſtra.) Eia miſericordiſſime Ieſu, da nobis iuges lachrymas perfectiſſimę contritionis & ignitæ charitatis, effunde etiã ſuper nos vndam roſeam tui precioſiſſimi ſanguinis, quibus à peccatis, à negligẽtijs, ab om̃ibus quoq; debitis mundemur ac ſanctificemur. (Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.)

ſtris.) Deus meus, miſericordia mea, ego dimitto, & ſi quid minus dimitto, obſecro te per ſingulas guttas precioſi ſanguinis tui, perq́; ſingulos gemitus & ſuſpiria cordis tui, da mihi perfectiſſimam charitatē ad omnem proximū, & præcipuè ad eos à quibus offendor: vt ex totò corde ignoſcam, diligam, atq́; eos mitiſſima dulcedine cordis pariter ac beneficijs ſemper foueam. (Et ne nos inducas in tentationem.) Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruos tuos, & confirma nos in gratia tua: vt ambulemus inter omnes laqueos peccatorum, ab omni peccato tuti ac mundi, & inter omnes inſidias inimicorum ſecuri: ſitq́; nobis omnis tentatio ad victoriam, & nulla ad ruinam. (Sed libera nos à malo,) culpæ & pœnæ. Libera nos ab omni quod à te diuidit nos, ab omnibus vitijs & cōcupiſcentijs, vt nullo malo obnoxij, & ab om̄i impedimēto liberi, æſtuantiſſimis deſyderijs ſemper te ſitiamus, ad te ſuſpiremus, ad te curram⁹, & quę infra te ſunt faſtidiamus, donec feliciter te perfruamur.

Meditatio in ſalutationē angelicā.

AVe) ex patris omnipotentia, ex filij ſapientia, ex ſpiritus ſancti clementia (ò Maria,) cœlum & terram illuminans (gratia plena,) ſupereffluens, & implẽs omnes te diligentes, (dominus tecum,) patris vnigenitus, & virginei cordis tui natus vnicus, amicus & ſponſus dulciſſimus, benedicta tu in mulieribus,) quæ Euæ maledictionem abſtuliſti, & æternã nobis benedictionẽ reportaſti (& benedictus fructus ventris tui) creator & dñs, omnia implens, omnia benedicens, omnia ſanctificans (Ieſus Chriſtus) ſplendor paternæ glorię & figura ſubſtantiæ eius.

Alia meditatio.

AVe Maria gratia plena, dñs tecũ, ah ſancta Maria, vtinã eius gratia & tua ſemper ſit mecũ, & cor meũ ſemper vobiſcum. Benedicta tu in mulieribus, ò piiſſima mater dei, fac me totũ ſecundum beneplacitum filij tui. Et benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus pro me crucifixus & mortuus. O miſericordiſſime Ieſu, deus meus, propicius eſto mihi peccatori. Amen.

Oratio ſeu effuſio cordis quotidiana, pro ijs qui officijs aut occupatiōibus implicati, nequeūt deo multū diu vacare.

O Miſericordiſſime domine deus meus, mihi quæſo ignoſce. Clementiſſime domine Ieſu Chriſte, miſerere mei propter nimiam charitatem tuā qua me diligis, & per amorē obſecro illū, quo propter me pependiſti in cruce, ignoſce quæſo omībus peccatis meis, omnibus negligentijs, erroribus, vitijs, cōcupiſcentijs, atq; prorſus omi ingratitudini meę ac toti⁹ mūdi. Ignoſce ꝙ hactenus tot annis tibi cōtumelioſus ingratus q; vixi. Ignoſce quòd hodie quoq; in hoc & in hoc. N. bonitatē tuā offendi. Heu amabiliſſime & ſuauiſſime Ieſu, quid habeo miſer ego, qui nihil omnino ſum? quid habeo quod offeram tibi deus meus, ſiue pro peccatis meis, ſiue pro beneficijs tuis? Nihil profecto (vniuerſorum enim ſum debitor) aliud q̄ temetipſum ò ſufficientia, ò virtus & diuitiæ meæ. Ante faciem igitur miſerationum tuarū ſupplex proſtratus q;, vtpote omniū indigniſſima creatura tua, veniā

peto, te inuoco, teq; deum meum, te redemptorem & ſaluatorem meũ adoro. Omnem vero paſſionem tuam, omnes liuores & dolores, omnia vulnera, omnesq; roſei ſanguinis tui guttas, omnes lachrymas oculorum tuorum, omnes deniq; triſtitias ac gemitus pijſſime cordis tui atq; adeo omnẽ amorem tuum ad nos feruentiſſimũ pariter ac fideliſſimũ, offero tibi pro me & vniuerſo mundo, in expiationem omniũ delictorũ noſtrorum, in ſuppletionem omniũ negligentiarum noſtrarũ, in ſacrificium quoq; laudis ac gratiarum actionis omniũ beneficiorũ tuorum, ſimulq; in vnione horũ omniũ, meipſum totum offero tibi in holocauſtũ, hoc eſt, in omne beneplacitũ tuũ, & in ſupremã laudem & gloriã tuã, obſecrãs te per ſuauiſſimũ, pijſſimũ, fideliſſimũ, amantiſſimũ, atq; miſericordiſſimũ cor tuum, per effuſionem benedicti ſanguinis tui, & per ſingulas miſerationes tuas atq; beneficia tua, aufer à me cor nequam, cor meum impium & ingratũ, & quicquid in me tibi diſplicet, & da mihi pro illo ſanctiſſimum cor tuum, aut cor ſecundum cor tuũ, deuotiſſimũ, amantiſſimũ,

fideliſſimum, mitiſſimũ, caſtiſſimũ atq; obe-dientiſſimum, quod tu ipſe purifices, ſimplifices, tui amore vulneres, inebries, atq; tuo cordi vnias. Dulcis Ieſu, da mihi verã atq; iugem contritionẽ pro peccatis meis, cognitionẽ propriæ vilitatis & nihileitatis, cũ profundiſſima humilitate. Da mihi emendationem vitæ meę, & imitationẽ vitæ tuę, ſecundum altiſſimũ atq; perfectiſſimum beneplacitum tuũ. Da mihi perfectiſſimam abnegationem, atq; plenam relictionẽ meijpſius, puriſſimã caſtiſſimamq; nuditatẽ cordis, ardẽtiſſimam quoq; ac perpetuam charitatẽ, qua tibi ſoli totus inhæream, & te ſolũ rectorem ac poſſeſſorem cordis mei iugiter habeam, omniaq; tua & opera & beneficia in te & in tui ſolius gloriam referam. Fac ô miſericordiſſime dñe deus meus cruci tuæ me ſemper aſtare ea fide & deuotione, ea compaſſione & amore, quibus pijſſima mater tua, fideliſſimusq; diſcipulus tuus quem diligebas, Ioannes, feruentiſſima quoque amatrix tua Magdalena, tibi in paſſione ac morte tua aſtiterunt. Fac etiam dignum me fieri, cui ipſi quoque in hora mortis aſſiſtant, meq;

protegant. Tu vero pijſſime & miſericordiſſime deus, animam meã de corpore non ſinas egredi, niſi plene tibi reconciliatã, atq́ per infinitas miſericordias tuas, perq́ paſſionis tuæ merita purgatã, atq́ ſine dilatiõe, ſine impedimento ac medio abs te clementiſſimo amatore meo in regnũ tuũ ſuſcipiẽdam, inſeparabiliterq́ tecũ manſurã. Amen.

Oratio deuota ad virginẽ matrẽ.

EXcellentiſſimæ dignitatis mater Dei, virgo Maria, obſecro te per ſingularem illam præminentiã tuam, qua cunctis mortalibus præſtas vtpote munda & immunis ab omni cogitatione peccati, libera & cuſtodi me ab omni peccato. Aufer quicquid oculis tuis in me diſplicet. Tribue quicquid placet, & perduc me ad ſtatũ viuendi tibi gratiſſimum, & mihi ſaluberrimũ.

Aue Maria,

Excellẽtiſſimæ dignitatis mater Dei, virgo Maria, obſecro te per ſingularẽ ac ineffabilem præminentiam tuã, qua cunctis mortalibus prȩſtas vtpote electiſſima virgo perpetua, & mater non cuiuſcunq́ hominis, ſed

filij

filij dei, extingue penitus à corde meo omẽ tam carnis ꝗ mundi amorem, & reple illud ac ſuccẽde caſtiſſimo amore tui, quo ad placendum tibi puriſſimã caſtitatem animæ & corporis, & in alijs omnibus gratiſſimam tibi exhibeam ſeruitutem.

Aue Maria.

Excellentiſſimæ dignitatis mater dei, virgo Maria obſecro te per ſingularem illam præminentiam, qua cunctis cœleſtibus ſpiritibus præſtas vtpote glorioſiſſime ſuper omnes choros angelorũ exaltata, trinitati proxima, potentiſſima ſimul ac miſericordiſſima, impetra mihi agnoſcere, velle & perficere omne beneplacitum dilectiſſimi filij tui, illucꝙ ordinare omnes cogitatus, conatus & affectus cordis mei, vt voluntati eius obediam & placeam, ita, vt poſt hanc vita m tecum percipere merear æternam. Amen.

Alia ſalutatio.

QVot maris ſunt guttæ, cœli ſtellæ, quot beatorum ſpirituum agmina, quot arborum folia & terræ gramina & to-

ties ex intimo cordis mei te ſaluto, ô nobi
liſſima, electiſſima, pulcherrima, glorioſiſſi
ma atq; digniſſiwa mater Dei, cœli regina
præclariſſima, amabiliſſima atq; dulciſſima
domina virgo Maria. Saluto autem te in
vnione amoris, & per cor dilecti filij tui
atq; omnium te amantium, meq; tibi com•
mendo, atq; in proprium filium tibi aſſig•
no. Oro etiam, vt tu me ſuſcipias, & apud
deum facias vt totus ſim tuus, tu tota ſis
mea poſt deum domina, gaudium meum &
corona, ac mater mea dulciſſima ac fideliſ•
ſima. Amen.

De veneratione ſanctorum.

QVod ſancti in cœlis, dei videlicet
amici, ab eodem honorati, & à no•
bis quoq; venerãdi, poſſint pro no
bis orare, vtpote charitate iam perfecti, &
de felicitate ſua & dei amicitia ſecuri, idq;
multo perfectius quàm olim dum adhuc
forent & ipſi nobiſcum in mundo miſeri,
quanquam citra dubium eſſe debeat, cre•
dendi tamen ſunt cœlites illi id deſyderare
maxime, atq; tũc ſummopere ſe cenſere ho
nora

noratos, ſi non modo ipſi, ſed deus Optimus, Maximus, à quo habent vt ſint ſancti & honorandi, illorum nomine laudetur, colatur, prædiceturq́ꝫ. Neqꝫ enim illis ſat eſſe videtur, vt ipſi pro ſe Deum laudent, ſed optant etiam vt nos pro illis laudemus dominum. Si igitur vis honorare quempiam ſanctorũ, ſi gratum illi deſyderas obſequium offerre: age deo gratias quòd illũ ab æterno prædeſtinauit, vocauit & iuſtificauit: quòd illi peccata donauit, quòd gratiam & virtutes infudit, quòd piorum operum multitudinem & bene agendi occaſiones cumulauit, quòd bonam voluntatem & perſeuerantiam dedit, quòd inter tentamenta, inſidias, laqueos & aduerſitates vitæ huius protexit, quòd ad finem vſqꝫ direxit, in gloriam aſſumpſit, coronauit, & felicitate perpetua donauit, nobisq́ꝫ in eo imitandi ſpecimen reliquit: atqꝫ hoc pacto eos efficies apud deũ interceſſores pro te paratiſſimos.

Chriſto

Chriſto confixus ſum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Ad Galatas 2.



Quomodo anima Deo deuota, Ieſu debeat vitæ ac paſſionibus cõformari, inſtitutio Chriſtiana.

Ad religioſam, eruditam ac deo dicatam virginẽ Claram Dockum, in monaſterio ad Machabæos in Colonia, nouæ Chriſti ſponſæ.

QVotieſcunq; in mentẽ tibi ſubierit, virgo deo deuota, ꝙ ex honeſtiſſima parentũ domo, ꝙ ex fratrũ ac ſororũ turba, primogenitam te nõ quiuis comes, nõ princeps aut

rex,

rex, non deniq; mortaliũ nobiliſſimus, ſed cœli terræq; Imperator Opt. Max. Chriſtus in ſponſam ſibi aſciuerit, eò debes vehementiori gaudio capi, quãto ſpiritus carni, mundo cœlũ, Chriſtus cuiuis homuncioni eſt anteferẽdus. Itaq; nubant aliæ virgines mortalibus, nubant perituris, nubãt infirmitate ſenioq; conficiendis, eligãt ſibi maritos cum quibus ſuas quotidie lugeant ærumnas: Tu gaude ꝙ immortali, ꝙ potẽtiſſimo, quòd maxime nobili, ꝙ deniq; amabili ſemperq; felici (cũ quo & ipſa felix immortalisq; victura es) coniuncta ſis ſponſo cuius thorus immaculatus, cuius coniunctio integritas, cuius amplexus charitas, cuius deliciæ caſtæ, cuius fructus vita eſt beata. Ad has nuptias aut deſponſationẽ tui potius inuitatus, cum nihil auri, nihil gemmarum (quod in alijs aſſolet nuptijs) offerri queat, cùm præterea nihil faſtuoſum, nihil è mundo nobile iſtic acceptum ſit, quippe quæ hæc, atq; adeò ipſum regnũ mundi ac omnẽ ſeculi ornatũ pro Chriſti hodie ſpõſi ac domini tui amore cõtempſeris, ſpirituale hoc munuſculum iam pridem manibus no

ſtris

ſtris enatū, tuæ integritati dedico. Et ne ab re quidem: Siquidē ex hoc ediſces quomodo Christo ſponſo tuo, eodē ipſo te erudiente, debeas placere ac cōformari. Patrē tuū D. doctorem, virū integritate ac eruditiōe ſingularē, ſimulq́ congregationē illam ſanctam, in qua ſub dn̄a admodū venerabili Chr̄o ancillaris, ex me iubeas ſaluere. Vale.

De ſui abnegatione.

SI quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc olim & verbo & exemplo ò anima (cui vt pater filiæ, imo vt ſponſæ ſponſus nūc intus loquor) quàm velim ſignificaui. Si igitur me amas, ſi me deſyderas, ſi poſt me & ad me venire cupis, abneges te primū neceſſe eſt, in nulla temetipſam, hoc eſt conſolationē, requiem, cōmodum, honorem, vtilitatē, voluntatemq́ tuā, ſed gloriā ac beneplacitū meū ſolū quærens. Siquidē abnegatio hæc tuiipſius, proprietatē excludit omnē. Hæc facit vt nō ſequaris, nō habeas, nec habere aut ſentire velis propriū

amorem, proprium velle, proprium videre ac ſentire: ſed meũ duntaxat beneplacitum inueſtigans, eligens ac ſequens, vbi in ipſo me habeas omnia. Itaq; temetipſam exuta, eſto quaſi ſine te, aut extra te, vtpote tuiipſius oblita ac plane tibi mortua. At vero in me ſola viuas, mecũ idẽ volens ac ſentiẽs. Huc igitur anniti debet mens tua, nec quieſcere vnquam donec obtineas. Contendenti pro hoc obtinendo ſcopo, occurret tibi crux varia & multiformis, ſub qua patienter te oportet humilies, & triſtiſſima quæq; perinde ac læta, ſpõte ęquanimiterq; feras, mea interim gradiendo obſeruans veſtigia, hoc eſt, mores, verba, actusq; & virtutes, quibus tibi factus ſum via, veritas & vita. Hæc igitur animo tuo firmiter ſint infixa, hoc iuge ſit tibi ſtatutũ, propoſitũ, teipſam funditus abnegare, aut citra electionẽ propriã huius aut alterius, ad beneplacitũ meũ duntaxat ſeruire: crucem quoq;, id eſt tribulationẽ atq; aduerſitatẽ quamcunq; (ſi quam ſuper te venire permiſero) ex manu mea hilariter amplecti, & ita ſub cruce vitæ ac paſſionis meæ veſtigia imitari.

De me

De meditatione dñicę paſſionis.

AD hæc confortata, vt ſemper ad potiora progrediaris, iugi meditatione verſari debes circa beneficia, pręſertim humanitatis meæ, videlicet vt redemptionis meæ opus cõtemplando, quanti te fecerim, quantum te amauerim, quanta tibi contulerim, quanta deniq; & quomodo pro te paſſus ſim, diligenter expendas. Nam ſi illuminari, ſi mihi coniũgi, ſi à me inflãmari, ſi deniq; conformari mihi volueris, mea vita ac paſſio aſſidue abs te eſt meditanda, eoq; cogitatio tua perducẽda, vt amoroſis ac cõpaſſiuis oculis ſemper & vbiq; me crucifixum intuearis, traijciendo vitæ meæ in te imaginẽ & ſanctitatem, hoc eſt cõtemplando in me faciem meam benignam ac nimis amabilem, mores honeſtiſſimos, geſtus mites, verba ignita, ſuauia ac neminem lædentia: virtutum quoq; integritatem, actuũ maturitatem, ac pœnarum acerbitatem, patientiæ deniq; manſuetudinẽ & feruentiſſimam charitatẽ. Hæc inq̃ & id genus reliqua contemplari debes cum æſtuanti deſyderio me

imitandi

imitandi. Ad hæc indeficienti ſtudio flagi-
tes, vt mihi te cõformare, atq; interiori ho
mini tuo meam digner imaginẽ imprimere
teq; in me tranſformare: & hoc ex abũdan-
tia gratiæ meæ, quæ recalcitrãti naturę tuæ
vim etiam inferat, ipſam dirigens & impel-
lens, arcens & retrahens iuxta beneplacitũ
meum, ad gloriam meam ſempiternam, do
nec ipſe in te reformer.

Debet autem meditatio hæc non
perfunctoriè agi, præſertim vbi tẽporis lo-
ciq; nõ defuerit oportunitas, ſed conari de
bes etiam vt in te excitetur erga me amor
ſe diffundens, cõpaſſio liquefaciens, & deſy
derium imitandi geſtiẽs. Quod ſi meditan
ti cõpaſſionis defuerint lachrymæ, condo-
lendi ſtudiũ muta in affectũ gratias agendi
& exulta ꝙ adeo te dignatus ſim, pro quo
tam multa, tamq; horrenda voluerim pati,
puta deus pro limo, pro ingrato immẽſus.
Verũ ſine hoc quidem potes efficere, ſteri-
litate cor tuũ penitus obſidẽte, nihilominus
paſſionẽ meã duro licet & arido corde per-
tracta. Et hoc ipſum meditandi ſtudiũ atq;

laborem tuum quamlibet ſterilem, mihi tamen acceptum, in laudem & gratiarũ actionem ſacrifica. Sæpenumero fit vt magis mihi placeat laboris ſtudijq́ veſtri aſſiduitas, qua pro virtute certatis, q̃ virtutis ſuauitas quam ſentitis. Porro in ipſa meditatiõe diligenter conſidera eũ qui pro te patitur, & animo expende quomodo non ſolũ homo ſum innocentiſſimus, puriſſimus, nobiliſſimus atq; ſanctiſſimus, verumetiã omni creatura excellentior, deus optimus, maximus, immenſus, infinitus, omnipotẽs, q verbo omĩa ex nihilo creaui, iterumq́ vnico nutu eadẽ omnia deſtruere, in nihilumq́ conuertere poſſem: qui nutu ſolo guberno vniuerſa, omnia intelligens, omnia portans, ex quo omnia & ſine quo nihil. Qui cum ſim tantus, ſummeq́ eſſentialiter atq; adeò natura bonus, pro te tamen tam vili, tamq́ ingrata creatura mea, quæ coram me nihil es & inane, pro te inq̃ me humiliaui, paſſus ſum, crucifigi volui ac mori: idq; amãtiſſima ac deſyderatiſſima volũtate, proh pudor, quid ſuperbis terra & puluis? quid erigis te luto & puluere fœdior, quæ creatori tuo ingrata &

ta & contumelioſiſſima, gloriam appetis & requiem, quando ipſe interim propter te patior, deſpicior & cōculcor? Vide igitur quæ ſis tu, & attende quis ego qui pro te patior tam indigna, & aduerte ꝙ aëre & terra ipſa es indigna, quæ nō compateris, non redamas, ſed indeſinenter tuum cōtemnis & offendis fideliſſimū amantiſſimumq́ꝫ redemptorem, ambulans nō ſolum coram me, ſed etiam contra me erecta ceruice irreuerenter & inobedienter.

Paſſionē dn̄i trifariā poſſe meditari.

SCiendum tamen ô filia, paſſionē meam trifariam poſſe cogitari. Primo, vt in me paſſionē ipſam conſideres, id eſt, ea quæ patiebar quaſi iam patiar, videlicet meā paupertatem, inediam, famem, frigus, æſtū, laborem, fatigationē, perſequutiones, probra conuitia, dolores, vulnera, ſputa, flagella, triſtitias, cōtemptus, crucem ac mortem: & hoc ad emolliendū cor tuum, & cōpatiendo fideliſſimo amatori, qui pro te & propter te, id eſt, in vtilitatem tuam patior. Alio modo conſideres in me viuendi ac patiendi

 modum,

modum, hoc eſt, quomodo patior, videli-
cet, humilitatem, patientiã, manſuetudinem,
innocentiã & charitatẽ, idq; ad imitandũ me.
Tertio cauſam propter quã patior, hoc eſt,
charitatẽ meã nimiã qua dilexi te, & laui te
in ſanguine meo: ſiquidẽ vulneratus prop-
ter iniqtates tuas, & attritus ſum propter ſce
lera tua, vt meo te liuore ſanarẽ. Poſuit eñ
pater ſuper me, & ipſe vltro ſupra me acce-
pi omnium iniquitates, vt quæ non rapue-
ram, exoluerem & pro te ipſe dolerẽ, tibiq;
per mortem meam vitam æternã ac hære-
ditatem cõpararem cœleſtẽ, vt tanta chari-
tate excitata, tanta fidelitate permota, me re
damares. Hinc igitur quanta erga te mea
ſit charitas animaduerte, q in mortẽ pro te
acerbiſſimã ignominioſiſſimamq; meipſum
tradidi, quod cum ſceleratis & veluti inter
ſceleratos inſignior reputatus ſum, poſtq̃
triginta tribus iam annis pro te pœnis, la-
boribus ac doloribus fatigatus, & circa finẽ
cruciatibus cum varijs tum horrendis tor
tus, vulneratus, totoq; corpore laniatus, ne
vnam quidem ſanguinis guttã quam pro
te nõ effunderem, meo in corpore retinui,
nec

nec locum partemve vllam in toto corpo re ſeruaui liberũ, quietũ, aut à dolore alienum, vt totũ me & vſq; ad mortem pro te impenderem, totũ me tibi donarem. O cor durum & ingratũ, ſi beſtiolam tui cauſa cerneres affligi, ſi vermiculum pro te pati, quid animi haberes? Modo dominũ tuum, creatorem tuũ, deum, vnicum bonum tuum, à quo es, ſine quo nihil es, & per quem ſubſiſtis, vides pro te duris cruciatibus conſcidi, vides cor meum præ amore & dolore rumpi, vides deniq; lancea illud (quo tibi ingrediendi fieret copia) aperiri, vides poſtremo (ne quid mihi pro ſalute tua nõ impenſum retinerem) illud ſanguine & aqua poſt mortem euacuari: & nulla cõpaſſione, nullo amore moueberis? Addo iam quòd ad patiendũ deſyderans & ardentiſſima charitate ęſtuãs, pro te me obtuli, adeo vt nemo ſit mortalium, qui vitæ ſuæ tam ſit cupidus, tenaxq; amator q̃ deſyderabunde, hilariterq; meam ipſe propter te poſui, vt à peccatis, quibus tu obnoxia æternam cõmerueras pœnam, mea te morte liberarẽ. Proinde mirũ valde videri poteſt, quomodo intima animæ tuæ

non vulneret, penetretq́ꝫ gladius cōpaſſionis, aut quomodo tantam erga te charitatē conſiderans, præ amore à teipſa nō deficias aut quomodo nō dilectione iuxta ac compaſſione tota liquefacta ſoluaris.

Fructus multi ex meditatione huiuſmodi conſurgunt.

HAec filia cōtinuè meditare. Nam huiuſmodi paſſionis meę meditatio quātos animæ pariat fructus, nemini plenè hactenus eſt cognitum. Quippe quæ liber eſt vitæ, cui nihil quod ad animę pertinet eruditionē, deeſt. Quare ſi omnes etiā tibi libri, ſi magiſtri omnes defuerint & doctores, cura ne hic liber tibi quoqꝫ deſit. Vnde cum dediceris omnia, virtutē etiam haurias inde eadem perficiendi. Hæc ad diuinā & vniuerſæ ſalutis veſtræ diuitias via eſt abſolutiſſima & maximè tuta, nec minus etiā compendioſa. Siquidem in proſperis deprimit, erigitq́ꝫ in aduerſis, adeò vt nec fauſta attollant, nec aduerſa deijciant. Vbiqꝫ hominem (vtpote qui intra ſe meam habet imaginem) temperat, atqꝫ circa ea quæ alioquin

animus aut horret aut amat nimiũ, compo
nit, & quaſi in lance virtutũ ſtatuens, inter
dubios variosq́ rerũ euentus ęqualem im
mutabilemq́ ſeruat. Quid eñ tam horren-
dum, aut quid pro mei amore non ſubeun-
dum, ſi amara horrendaq́ in mentẽ veniãt,
quæ pro te vltro deus homo pertuli? Atq;
è diuerſo, quid tam deſyderatum, quid tam
poteſt eſſe iucundũ, à quo (ſi ita mea poſcat
volũtas vt cõtineas) mea ipſius paſſio con-
ſiderata, nõ facile animũ reuocet? Beata igi
tur ac vera beata fueris, ſi in tuis oculis vi
ua ſemper mei verſetur imago, ſimul quidẽ
nunc terrens, nũc erudiens, hic vetans, ibi
alliciẽs. Vnde fiat, vt abſq; magno negocio
peccata in te corrigantur, vitia curẽtur, ædi
ficẽtur virtutes, creſcãt merita, mea augeã-
tur dona, totusq́ homo tuus interior in me
tranſformetur. Ad hæc alia vtilitas nõ infe-
rior, quod cũ mors mea redẽptio tui, tuaq́
ſit ſatiſfactio, hanc meditando ſemper tibi
potes applicare, atq; om̃ i tẽpore huius intra
te fructũ recipere. Quod q̃ ſit tibi neceſſa-
riũ, quanq; vtile, vel inde liquet, q; ſicut te
omni penè momẽto peccare cõpertiſſimũ
P 4 eſt,

eſt,ita etiam certiſſimū,ne minimū quidem delictum manere impunitū. Cum vero conſtet, nulla prorſus vel parua quępiam poſſe iniquitate per ſe expiari, grauiusq́ʒ delinquentem acerbior maneat pœna,quāto putas tēpore illorū durabit purgatoriū,tametſi in fine vitæ venia obtēta infernū euaſerint, qui grandibus innumeris q́ʒ peccatis onerati,ad purgatoriū ignem delictorum moleſtiſſimam ſarcinam hanc ſecum deferūt adhuc purgandi. Heu quando illius expiatio conſummatur, qui ad locū rigoris atqʒ iuſtitiæ vadit purgandus? Quando ærumnæ & miſeriæ eius terminabūtur, quādo iam tempus miſerendi defecit? Nonne ſatius foret prudenti nunc vti conſilio, quamdiu loco & tempore eſtis vbi mea circa vos adhuc miſeratio coruſcat ad expiationis veſtræ theſaurū, id eſt,ad me accedere, indeqʒ haurire quo debita ſoluantur omnia? Theſaurus hic mors & paſſio mea eſt, quam iugi recordatione tuam potes facere, atqʒ plena fide in ſatiſfactionē omnium debitorū tuorum pro te mihi offerre, idq́ʒ haud quaq̄ inaniter, ſi tamen in te à peccatis perfecta

fuerit

fuerit auerſio, & nihilo ſecius indeficiẽs ſtudium vitæ correctioris. Poſſes nanq; adeò vehemẽter de offenſiõe mei dolere, adeoq; humiliter de te ſentire, cognoſcendo aliud remedij tibi nihil ſupereſſe q̃ in paſſiõe mea. Poſſes etiam adeò feruẽter pro recõciliatione, gratia atq; amicitia mea inſtare, adeoq; ab omni te peccato auertere, cupiẽdo meã iniuriam omnẽ in te vlciſci, & ab omni deinceps offenſione abſtinere, vt vno hic momento, vno gemitu deleas, pro quo mille annis in purgatorio fuiſſes cruciãda. Omni igitur tẽpore, potiſſimè circa extrema vitę, quando iam rationis faciendę inſtat exactor nec eſt vnde ſatiſfacias, ad hanc miſericordiæ & miſerationũ mearũ arcam recurre, vt debita tua cuncta inde ſoluẽdo, ſecura moriaris. Quapropter quãdo iam emigrandi accedit hora, vtere hoc conſilio: Sumptis deuotè ſacramentis huic tẽpori congruis, quibus gratiam meã applicare hominibus ſtatui, admoue paſſionis meæ, id eſt, crucifixi imaginem corporeis (ſi ad manũ fuerit) aut cordis oculis cõtuendam: hanc amplectere, deoſculare, totumq; interiorem homi-

nem in mea roſea ſanguinolentaq; vulnera imprime, orans vt immenſitate miſerationum mearū ac ſanguine te me roſeo à cunctis iniquitatibus lauem & mundem. Dic quia meam diuinitatem ſic decet, vt miſericordia mea clarior copioſiorq; in magna (vt tu es) peccatrice manifeſtetur, nihil ſordidum, nihil nō mea virtute expiatū relinquam. Freta itaq; hac benignitate mea, freta mea promiſſione, qua nihil in meo nomine petitum pollicitus ſum nō exaudiri, plena fide, integraq; fiducia proijcite in me, qui te non poſſum abijcere, deſyderans vt tecum quemadmodū ipſe voluero faciam, in tempore & æternitate, idq; ad gloriam meam ſempiternam. Si hoc modo vulneribus meis immerſa, totam te in cor meū proieceris, ſi totam reſignaueris, ſi meæ innixa prouidētiæ & benignitati, totam te inquam mihi cōmiſeris atq; reliqueris, qui fideliſſimus atq; perpetuus amator tui ſum, ſecura morere, neq; em̄ habeo quì, me tibi negem. Secura igitur ad me non aliter ac ad piiſſimum patrem egredere, nō tanquam carceri mancipanda, aut longo poſt tempore caſtigan

ſtiganda,ſed inter ſuauiſſimos meos amplexus fouenda,ac à me neutiq̃ ſeparanda. Cæterum,ne ad hanc gratiam (quæ vere ſingularis eſt, & paucis datur morituris) fruſtra aſpires,cura nihilominus,dum viuis,à peccatis emundari,& diuinum meum beneplacitum pro virili in omnibus obediēter amplecti,vt in morte quoq; ac gratia digna inueniaris. Et hæc filia dicta pro morituris ſufficiant. Ad fructus alios quos dicere cœperam redeundum eſt.

De cruce portanda.

ITaq; inter varios fructus, qui ex paſſionis meæ meditatione colligūtur, nō infimus eſt, virtutes, actus, paſſionesq; meas contēplari,vt humili,pio ac feruenti deſyderio accēdaris ad imitandū.Neq; magis grata mihi eſſe potes,neq; cōpati ſanctius,q̃ vt fortiter te abnegādo,meq; humiliter imitando,ſtudeas mihi cōformari opere ac veritate. Humiliare igitur ſub potēti manu mea, & crucē vndecunq; tibi adueniat, incunctanter amplectere. Neq; tuum eſt percontari aut diſcutere vnde tibi crux eueniat, & neq;

hanc

hanc neq; illam, quam ferre malis, eligere: ſed quãcunq; ſenſeris ſuper te imponi, tanq̃ è manibus meis, & iuſſu meo tibi impoſitã æquanimiter ferre diſce: quandoquidem nihil tua intereſſe debet, quid, aut à quo, ſed cuius amore tibi patiendũ ſit. Quapropter ſi nemo etiã tibi crucẽ imponat, pro meo tamen beneplacito, qui tui amore crucẽ portans iubeo te me ſequi, adeo tibi deſyderata hæc eſſe debet, vt abſq; cruce te nunq̃ patiaris immunem. Vnde ſi nemo tibi crucẽ imponat, tuipſa ſuper te crucem ſumas. Porro hęc crux abnegatio debet eſſe tuiipſius, ſenſuumq; tuorũ mortificatio, quos freno ſtringas diſciplinæ, & nequaq̃ quo natura aut cõſuetudo inclinat vitioſa, licentiã illis ſinas. Principio igitur, vt mundo prorſus alienã, mihi verò familiarem te facias, præter nudum, ſimplicem, neceſſariumq; vſum rerũ temporaliũ, amore ac cupiditate omi te ſtudeas abdicare. Super his neq; ſi acceſſerint gaudens: neq; ſi à te fugerint, dolens. Porrò vſus creaturarũ ſobrius ſit, tamq; neceſſarius, q̃ quo carere nequeas. Alia verò aut omnino nõ habeas, aut quaſi nõ habens habeas.

beas. Oculis, auribus, cæteriſq; omnibus ſenſibus ac membris tuis inuigila, & cohibe ne licẽter noxijs inutilibus've pateãt, ne curioſitatem, aut ſui oblectationẽ quærant, ne deniq; ad inania, ſuperflua, ocioſaq; ſe effundant. Et poſtremo, ne contra moleſta pro dei amore, aut proximi vtilitate ſubeunda fugiant, aut ſe ſubducãt. Obſerua igitur ne quæcunq; delectant audire, loqui, guſtare, tangere, aut quouis modo ſentire, prçſertim oblectandi gratia conſentias: ſed quæcunq; ad neceſſitatẽ pertinẽt corporis vel animç, intentio caſta ad meam gloriam dirigat, vt nuſquam hæreas, nuſquam præterq̃ in me deo tuo quieſcas. Hoc modo vim tibi inferendo crucifiges ipſa mẽbra tua, & ſenſuũ morieris delectationibus, vitijs cõcupiſcentijs, inclinationibusq; tuis prauis. Quamprimũ itaq; inordinatã in te cõcupiſcẽtiam affectionem've ſenſeris titillantẽ, puta ad videndum, loquendũ, guſtandũ, aut aliquid cõmodi glorięve obtinendũ, ilico mecũ te crucifigendam cogita, delectationẽ atq; deſyderij huius conſolationem tibi negando. Hæc enĩ eſt crux tua, vt deſyderijs ſenſua-

lita-

litatis ac propriæ quęſitiõis reluctãdo, om̃ia in quibus mei honor aut animarũ lucrum non quęritur, tibi interdicas. Sic faciendo & meam crucem portas, & meos dolores ac vulnera mihi permulces. Neq; enim patienti mihi vberiores gratias agere, neq; doloribus meis aliter vicem potes rependere, quàm vt pro mei amore abneges temetipſam, moleſta ac cõtraria hilariter ſubeundo, & mollia oblectantiaq; cõtemnendo.

De imitatione Chriſti.

Aſpice igitur nunc oculis fidei & deuotionis me fideliſſimũ amatorem & redemptorem tuum, medium inter latrones in cruce diſtentum, pugnis & flagellis cæſum, ſpinis coronatum, ſputo ac ſanguine oblitum, liuidum toto corpore ac vulneratum, tribus clauis affixum, à meis inter perſequẽtium ac crudeliſſimorum hoſtium manus derelictum, inter amariſſimos cruciatus non ſolum dulcedine, conſolatione ope ac refrigerio omni deſtitutũ, ſed etiam triſtitia, amaritudine atq; preſſura intus & extra contumelijs, maledictis & opprobrijs

ſaturatum,

ſaturatum velut agnũ innocentem qui portatur ad victimam manſuetiſſimo corde tacentem, & exaggeratis ad ſummũ pœnis inter ſuſpiria, gemitus ac lachrymas pendentem hiantibus vulneribus, fluentibus riuis ſanguineis, ſolutis membrorum compagibus, diſtractis neruis, pallida facie, inter minaces & horribiles exprobrantiũ hoſtium vultus morientẽ, atq; cruciatu ineffabili, rupto corde ac clamore valido expirãtem, vt me pro te darem in precium, in exemplum, & in præmium. Tu igitur vt cruciformis mihi ſit vita tua, quãdo impetus ſurgit concupiſcentiarum, quando tentatio concutit, quando imminentium aduerſitatũ tribulationumq; inſtat ac viget formido ac pauor, inter ſpem metumq; te erige, & quaſi in mõte Olíueti mecum anguſtata, te mihi reſigna, meumq; beneplacitum elige. Porrò ſi infirmitate corporis, ſi neceſſitate ſeruandæ charitatis, aut ſi ſuperiorum iniunctione, voluntatis aut etiã deuotionis propriæ expers facta, duceris velut captiua pro officij imperio, ad ſeruiendum aliorum voluntati recole captiuitatẽ ſimul ac obedientiam

meam,

meam, quam inimicis quoq; meis exhibui, vt tu abſq; murmure meæ & ſuperiorũ voluntati obtẽperans, vadas quo te pro meo beneplacito mittit impoſita aut neceſſitas, aut infirmitas. Quæ ſi reprehenſiones, accuſationes, calũnias, inſultationes, obiurgationes atq; inſidias incideris: hominum immortificatorum importunitates, infirmitatesq; tolera patienter ac ſine cõtradictione, memor verecundæ ſtationis meæ ante pontificem, ante præſidẽ & ante regẽ, vbi iniquè accuſatus, tacui. Ita tu quoq; nõ reſpõdeas exprobrantibus tibi verbum, eo præſertim tempore, quando impatientiæ aut iræ titillatio in te ſentitur, aut quãdo verbis tuis aduerſarij tui nõ lenirentur, ſed acriori potius furore accenderentur. Sic deriſiones, vilipenſiones, temeraria hominũ iudicia ac detractiones ſilenter mecum ſuſtine, non reddens maledictũ pro maledicto, ſed in mente habens quomodo ante tribunal ipſe ad mortem innocẽs propter te damnatus ſum. Sed & mecum tunc extra caſtra te educam, puta expoliandam & crucifigendam, dum omnes volũtates tuas, omẽs amores tuos.

& quicquid in creaturis tibi charũ aut dulce eſſe potuit, poſt te cogeris relinquere. Vbi ſi in obſeruantia diuini beneplaciti atq; in tui ipſius relictione ac reſignatione extenſa, in tribulationum quoq; aduerſitatumq; ſuffe-rentia crucifixa, æmulorum ſenſeris erga te inuidiam, actus & verba tua obſeruantium & te traducentiũ, ſuſtinueris q; inſultantium atq; improperantium linguas, bona tua calumniãtium, & adeo vilem contẽptibilemq; æſtimantium, ſuſtine & gaude, & potiſſime ſi etiam manſuetudinem tuã nõ gratiæ aut vir tuti, ſed malæ conſcientiæ, impotẽtiæ ac igna uiæ aſſcribant, quaſi quæ reſpondere aut neſcias, aut etiam volens neque poſſis neq; au deas iniuriam tuam vlciſci: imò iniuria non ſit, te contumelijs affici. In hoc inquam vehementius gaude, quòd non ſolum mecum, ſed etiam pro me digna habearis iniurias & cõtumelias pati. Itaq; contempta & iniurijs fatigata, ſi perſeueranter cupis mihi eſſe cõformis, nihil horum illis imputa, ſed de manu prouidentiæ meæ quæ te his dignam iudicans, ad tuã vtilitatem cuncta hæc miſericorditer ordinat, accipe: ipſorum ve-

ro ſimplicitatem ac ignorantiam excuſa, ac ne talia facientes apud me delicti habeant accuſationē, pro eis ora: ſic omnes quas pa teris aduerſitates in me refer, & mihi confor mem vitam induere ſtude. Porrò ſi non ſo lum extra, ſed etiā intus te preſſerint amari tudines & anguſtiæ, obſederintq́ꝫ ariditas & deſolatio cor tuū, omni ſpirituali conſolatio ne, deuotioneq́ꝫ ſenſibili deſtitutum, nequaꝗ̃ ad externas te cōſolationes propterea effun das, nec extra me peregrina & noua quęras, ſed amatoris tui, hoc eſt, meo exēplo te mihi reſignes, videlicet teipſam deſerendo, & oēm cogitatū tuū in me proijciendo, meumq́ꝫ be neplacitū ſpe firma & fiducia tranquilla expe ctando. Porrò propter ſubtractionē hanc ſenſibilis gratię, qua in ariditate mētis relin queris, nō eſt quare terrearis (hac em̄ præci pui mei amici probati, & fideles cōſtantesq́ꝫ in ſui abnegatioē inuēti ſunt) ſed eſto ſecura quāto in exteriori hoīę tribulatio fuerit ve hementior, quātoq́ꝫ interioris hoīs deſertio ac preſſura extiterit maior, tanto eris mihi crucifixo (ſi tamē interea nihilominus vo luntas tua mihi manſerit vnita) cōformior

atq; acceptior. Proinde omĩbus deſyderijs conſolationes habendi moriaris neceſſe eſt: quia nõ delicijs, ſed mecũ amaritudinẽ fellis tibi in hac vita potandã debes expectare. De hoc poculo quãto tibi plus propinauero, tãto tu contẽptis omĩbus terrenis ac viſibilibus, virtutũ perfectionẽ, gloriã meã ac bñplacitũ, animarũq; ſalutẽ ſitias. Aeſtima te mundo mortuã, vt extinctis cõcupiſcentijs, in omĩ re liberam, ac nusq̃ implicatam te ſerues, mihi cõmittens vniuerſa: imò quaſi de ſeculo hoc momẽto egreſſura, deſideria & cogitatiões tuas oẽs tranſfer in me, ingrediens in latus & cor meũ apertũ, vbi quaſi in ſepulchro abſcõdaris & qeſcas. Filia, ego ſum dñs tuus, q ſub cruce pro te gemens extra Ieruſalem eiectus ſum, roſea ſanguinis veſtigia tibi in memoriã & pignus amoris relinquens, vt te ad mei imitationẽ, id eſt, ad crucẽ tollendã inuitarẽ, propterea omnibus dixi: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam, & ſequatur me, oſtendens non aliam viam eſſe ad æternã vitam, atq; viã crucis, quod poſt reſurrectionẽ quoq; ſignificare volui,

Oportebát, inquiens, Chriſtū pati, & ita intrare in gloriam ſuam, atq; ideo quos in hoc mundo chariores habui amicos, quos ad altiorem promouere volui gradū ſanctitatis, & ſubinde ad maiorem gloriā, hos durioribus ac pluribus hic tribulationibus afflixi. Quippe, cui familiariſſimum eſt potiſſimis in hoc mundo amicis meis, amariores propinare potiones: quādoquidem crux ſeu tribulatio via eſt arcta, ſed eſt via nihilominus regia, quam omnes tranſierunt, omnes tranſire oportet, quicunq; ad me, quicunq; ad vitam peruenire beatam contendunt,

De triplici cruce.

Legiſti ſcio triplicem crucem eſſe ſanctorum, quarum vnam aut alteram nemo fuit amicorum meorum qui nō tulerit. Prima crux occurrit quando tyro meus à mundo & ab his quæ mundi ſunt, cœperit ſe ad me cōuertere: tunc enim varijs adhuc impugnatur, allicitur atq; trahitur deſiderijs noxijs, & peccatorū tum imagines, tum delectationes ſe ingerunt vel nolenti. Siquidem cogitationes voluptuoſæ occurrunt, qui-

quibus reſiſtere aut potius contemnẽdo fu gare, licet operæprecium ſit, animæ tamen infirmæ,pugna hæc crux videtur eſſe & labor. Veruntamen ſi mori vultis carni & mundo,mihiq́ꝫ viuere,non ſolum frequens aſſiduáve, ſed continua propemodum exigiturpugna, vbi nequaq̃ retrocedere licet, ſed penetrare oportet. Nec parum eſt moleſtum perſequi quod delectat.Eſt igitur crux in hoc cõflictu & labor:& hoc mea nõnunq̃ diſpenſatione agitur,vt non minor ſe continendi à vitijs inueniatur difficultas & amaritudo in homine incipiente, quàm fuit olim delinquendi voluptas. At nequaq̃ deſerendum eſt propoſitum vobis certamẽ,ſed occurrendum potius & aſpiciẽdum eſt in me, hoc eſt, in auctorem fidei & conſummatorem,qui propoſito mihi gaudio ſuſtinui crucem. Leuandum eſt ò filia cor,& orandum vt veniat auxiliũ tibi à domino, Certa eſt o, quia tametſi pugnam atq; agonem tuũ aſpiciens, aliquantiſper quaſi diſſimulauero, nõ deſeram te in tempore oportuno: ſed cum clamaueris ad me, exaudiam: & cum inuocaueris, dicam adſum. faciamq́ꝫ vt aſſiduitate

tate pugnandi, calcatis tandem vitijs, crux hæc tua reuertatur tibi in gaudiū. Alia eſt crux quæ à me imponitur, hanc intelligere debes aduerſitatem quamcunq; tam exter- nam quàm internam, quę moleſtius vos torquet, quo nō cognoſcitis, aut nō attenditis eum qui hanc vobis imponit. Nam in corde repugnātes, murmuratis aduerſus pro- ximos veſtros quicquid patimini illis imputando, cū reuera ipſa immortificata voluntas veſtra, amorq; veſtri proprius torqueāt vos, ad cuius extinctionē, ſimulq; vt ſuperbia & duritia cordis veſtri cōtuſa emolliatur, diuina mea diſpenſatiōe agitur vt humiliemini aduerſitatibus. Hoc autē bonitatis meę eſt immenſæ, q cæcutiētibus vobis, perditionis viā occludo, ſalutis aperio. O ſi videres anima, meā bonitatē erga te, abyſſalemq; dilectionē, quomodo profundiſſimo nec inueſtigabili ſapiētiæ meæ conſilio ſup te vigilo, quęrens & procurans felicitatem tuā, quia ad maiora & perfectiora te ſemper, licet neſcientē cupio prouehere, idq; ſemper paterno amantiſſimoq; corde, nihiloſecius mitto flagella, q̄ ſi gratiſſima tibi mitterem

mune

munera. Quare ſapiens ac beata fores, ſi tu quoq; ea dilectione de benigniſſima manu mea tribulationum munera ſuſceperis, qua ipſe ego tibi donaui. Quid miraris ſi caput dolet, ſi fames, ſitis, frigus aut æſtus corripit, ſi languet pectus aut ſtomachus, ſi homines derident, ſi fallũt amici, ſi damna & aduerſitates, egeſtas aut alia quæuis neceſſitas premat, quãdo ne minimũ quidem quod eſſe poteſt moleſtũ tibi citra diuinam diſpenſationẽ meã ac prouidentiam poteſt occurrere: quin potius ab æterno id prouiſum, ſicq; ordinatum eſt à me, vt hoc momento, hac menſura, ita, & non aliter haberes. Nemini mandaui impiè agere, nemini præcepi ſuam in te malitiam exercere: ſed hoc ab æterno volui, vt hoc tẽpore tu hæc patereris: quamobrem ex paterno amore (quippe cũ pati ſit tibi proficuũ) non impediui hanc aduerſitatẽ, quã impedire ſi vellẽ, potuiſſem. Vndecunq; igitur tibi patiendũ occurrat, etiã ſi tua id negligentia admiſſum ſit, vt tribulationẽ aut etiam in ſeruitio meo impedimentũ ſpirituale incideris, quatenus ex parte tua ibi fuerit delictum, dole

 ac pœ

ac pœnite: at incommodi doloris ac moleſtiæ quicquid comitatur aut inde naſcitur, tanq̃ de manu mea tibi impoſitum accipe:& nihiloſecius pro eo quid diuinum meũ conſilium (quo cuncta in bonũ tuũ conuertuntur) circa te impletur, gaude & gratias age. Quare em̃ ea quę creaui ita condidi putas, vt cõtrarietatibus ſingula permixta cõpugnarẽt, niſi vt aduerſa vobis occurrẽtia, vos ad me (in quo ſolo pax eſt & tranquillitas) compellerent vobiſq; patiẽtiæ fructũ atq; coronã fabricarent? Elemẽta, beſtias, aſtra, morbos & quicquid ſub ſole eſt inſpice, & inuenies aduerſantia, & ſine pace vniuerſa. Ibi ergo pacem, vbi vera pax eſt, hoc eſt, in me, perquire. Hic vero crucẽ amplectere, quã ſi vltra de manu patris amãtiſſimi ſuſceperis, etiam crux ipſa in pace te conſtituet. Nullus eſt enim artifex, qui ſuum opus tam accurate, tamq; graphice expolire ac venuſtare ſatagit, quantum ego elimare & exornare hominem contendo, idq; varijs tribulationum modis, dum ad perfectum perduxero decorem, quo mihi placeat maxime.

Obſeruandum tamen eſt ô filia, cum di-

cerem cuiuis crucem portandam, non ab re nec abſq; cōſilio fuiſſe vt adderem, ſuam. Neq; quamlibet crucem aſſumendam omnibus volui, ſed eam quam ipſe pono humeris cuiuſq; ferendam. Aliorū crux non eſt tua crux, nec tua aliorū. Proinde inconſulti faciunt nōnulli, cum aliorū legunt aut vident abſtinentias & afflictiones vltrò aſſumptas, aut à me data illis occaſione per meam prouidētiam toleratas, mox nec ſuæ fragilitatis menſuram, nec menſuræ terminum ac modū conſiderantes, volunt quælibet imitari, quaſi non ſufficiant, aut viliora ſint quæ ego longe maiori fœnore illis ferenda dederam. In quo quidem imbecillem naturam premunt ac opprimunt. Vnde fit vt tandem nec ad hanc, quam voluntas propria intemperato feruore, temereq; aſſumpſerat, nec ad illam quam prouidentiæ meæ gratia illis impoſuerat, eorum vires ſufficiant: ſed vtrobiq; cogantur cedere, neutri queant ſatiſfacere. Fit etiam quod ſummopere fuerat cauendū, vt bonis cœptis bonum non poſſunt dare finem; nec quò mea illos vocatio trahebat, vtpote ca

pitis aut virium infirmitate præpediti, poſſint ſequi. Nullum ergo opus, nullum exercitium, nullam deuotionem anteferas oportet obedientiæ, cui (ſiue per hominem, ſiue per prouidentiæ meæ curam ac diſpenſationem mea voluntas innoteſcat) ſemper auſcultare, ſemper obtemperare, ſemper te debes credere. Quicquid enim ex propria voluntate, proprio amore, propria electione, proprio conſilio, proprio iudicio propriaq; æſtimatione (quantalibet alioqui præeminentia emicet) naſcitur, ſemper minus ac vilius eſt illo, quod ex pura abnegatione atq; relictione ſuiipſius mihi ſiue agendo ſiue patiendo offertur. Eſto igitur prudens filia, & proſpice ſi tentatio aliquando grauis ſuper te venire permiſſa fuerit, ſi ad grande aliquid tolerandum te vocauero: vires habeas non inſipienter per te exinanitas, quibus meæ ſatiſfacere poſſis voluntati, vitia perſequi, & prauis deſyderijs non acquieſcere, te humiliare, & ad manſuetudinem cogere, pro auſtera duraq; facie, ſerenam ac tranquillam, pro contumelia benignitatem, pro malis ac perſecutionibus

nibus beneficia reddere. Hæc ſunt filia, quæ in mea & meorum ſanctorum vita ſecurè debes imitari. Quantum vero his iam dictis ſeruire adminiculariq; poſſunt caſtigationum & afflictionum exercitia, tantum & non vltra eadem debes admittere: quia hæc propter illa, non illa propter hæc mihi placent. Vnde & illa quæ ab Eccleſia, aut ſuperioribus inſtituta ſunt, magis propterea ne obedientia, quàm ne afflictione carcas, obſeruanda ſunt. Itaq; ſine vt perſequantur te, torqueant te, crucifigant te alij: & quomodocunq; tecũ volunt agãt: tu exuta omni proprietate per manſuetudinem ſuſtine. Hoc erit mihi ſacrificiũ acceptius omi propria volũtate, quãlibet ad placendũ mihi ſe exercente. Iuuenibus tamẽ, & quorum caro adhuc & ſenſualitas vigent, cõuenit & plerunq; neceſſaria eſt caſtigatio moderata, vt tractum gratiæ meæ ſequi poſſint. Porrò à ſenibus & debilibus abnegationem, mortificationem, ác ſuam relictionem expoſco. Tertia crux his tanto eſt amarior, quanto interior. Per hanc crucem intelligas filia tentationes horribi-

 les,

les, quæ intus præmunt & anguſtiant animam à mundo abſtractam, quæ tẽporali ac creaturarũ conſolationi penitus abrenũciauit, & iam à me quoqꝫ veluti derelictam, ſterilem atqꝫ obſcuram ſe ſentit hoſtiũ corruptionibus expoſitam. Nam cogitationes fœdæ, blaſphemiæ, deſperationes, perfidię, puſillanimitates, ſcrupuloſitates, timores, validiſſimiqꝫ terrores ipſam cõcutiẽtes, ſolam ac omni auxilio deſtitutam inueniẽtes, obruunt. Vnde quo ſe vertere, quo ſe extricare poſſit, imò & quomodo ſecum agatur nõ intelligit. Hæc preſſura ex multis cõfluens eius adeò intima vulnerat adeoqꝫ fatigat, vt conſumptis pene oſſium medullis, ſenſuumqꝫ ac vitæ ſe tandẽ fieri expertem formidet. Eapropter ſi nihilominus nuda ac ſola erga me fide conſtans perſtet, vtpote alijs omnibus ſpoliata, & ſeipſam relinquẽs ſub potẽti manu mea ſe humiliet, nullamqꝫ aliunde conſolationẽ quærẽs, ſuper incude proprię reſignationis tundi à me ac fabricari me ſinat, præſtolans me ſolũ, nullũqꝫ quęrens liberationis effugiũ. Si ita inquam ſeſe mihi credere & relinquere audeat anima in
ter

teroēs dubietates, ignorātias, obſcuritates, ariditates, preſſuras, tentationes, derelictiones, quæ cōtra ipſam ſpem quoq; militant, ac fiduciam oēm prorſus abrogare moliuntur, nec me deſerat, ſed beneplacitū meum expectet, naſcentur eidem, gratia mea clam in ea operante, bona ineffabilia. Propterea ô filia ſi didiceris tūc nō querulari, nō diſcurrere corde, ac pro releuatione extrauagari, ſed ſuſtinere ad finē, tacere atq; me prę ſtolari, tribulatio hæc ipſa pariet me (quod deſyderatiſſimū tibi eſſe debet) in anima tua. At ſi ad alia te cōuerteris, ea quæ requiris in te naſcentur. O ſi ſcires te exire, te deſerere, teq; in me proijcere, mihi relinquere ac credere. Filia, quicquid homo patitur, ſiue id ſponte aſſumptū fuerit, ſiue aliunde acciderit patiendū, modo voluntariū adeò ſit, vt illo mei cauſa nolit carere, vtpote neceſſitate in virtutē mutata, ſi illam aduerſitatē in me retulerit, ſeq; ad paſſionis meæ honorē & in gloriam meā cum profunda humilitate ad patiendū mihi obtulerit, magis mihi accepta eſt hoc modo deuotio patientis q̄ bene operantis. Adde præterea quòd bonę

menti

menti maior conſolatio eſt per ſui abnegationem aliquid pati, q̃ aliquid bene operari, ſi tamẽ cætera alioquin paria ſint: quia plus aduerſatur naturæ paſſio aut calamitas tolleranda, præſertim vltrò non aſſumpta, ſed aliunde aduenlens, quàm virtus operanda. Ibi premitur natura, ſpiritus vero erigitur. Quicquid autẽ naturæ plus aduerſatur, diutius premit. Hinc aduertis quantus ſit fructus patientiæ, quam multa ſecũ bona afferat calamitas æquanimiter tolerata. Hęc eſt calix benedictionis, quo ſanctos meos omnes potaui, & omnes inde auidè biberunt. Quapropter nõ dubites ſanctorũ fuiſſe neminem, qui non per viam tribulationis & abnegationis ad me venerit, hoc eſt, qui nõ crucẽ ſuam poſt me portauerit. Quotquot enim fuerunt, aut corporis aut cordis ſanguinem mei amore fuderũt, hoc eſt, aut externam aut internã crucẽ habuerũt. Quanta iam verecundia meritò tibi deberet oriri, quæ nõ vnum quidem verbũ durũ potes ſuſtinere, aduerſitates autẽ horres, & nimium formidas, cum tamen hæc omnia ex magno amore niſi a me tribuãtur, idq; ſolis

electis

electis meis, vt quæ mundi ſunt faſtidiant, & ad me cõuerſi, pacem & conſolationẽ ex me ſolo expectent. Quid iam timere habes ſub manu mea? Quis poterit tibi nocere, quàm diu me habueris patrẽ atq; patronũ? Noli igitur timere, ſed abiecta omni puſilla nimitate, gratias agendo quicquid tibi euenerit de manu mea accipe: & q̃diu libet mihi, ad patienter ſuſtinendũ te mihi præbe. Per aduerſitates em̃ ego ſeruis meis occulta mea dona prębeo. In aduerſitate me plures inueniunt q̃ in proſperitate. Propterea quicquid ab hominibus tibi fiat, aut quis te deſpiciat, quis ve moleſtia premat ſeu contumelia, noli penſare: ſed hoc prouide, ne remordeas, ne remurmures, ne vltionẽ cogites, ne deniq; iniuriã tibi fieri putes, imò ne homines quidem, ſed me cogites, me attende præſentem, qui hæc facio. Meditare quomodo omnia ac ſingula quæ tibi eueniũt ad laudem meã cõuertas, & quomodo ex quolibet boni aliquid exhaurias. Ea em̃ propter ego hæc tibi miſi. Filia, quemadmodum maleagere & proſperitate gaudere, damnationis futuræ eſt argumentũ, ita bo

na

na agere & mala pati ſalutis eſt indiciũ. Porrò perfectiſſimũ eſt omni conſolatione, hoc eſt tam humana q̃ diuina eſſe deſtitutũ, & interim patiẽtia, longanimitate, atq; plena ſui relictiõe ſeipſum mihi ſubijcere. Qui eiuſmodi ſunt, & mihi fideles adhærent, quãuis nullam deuotionẽ, nullum amorẽ habeant ſenſibilem, quãuis arido, ſicco, cõpreſſo, obſcuroq; corde oĩa faciant, tamẽ ſi nolunt à me recedere, & me etiã verberantẽ & quaſi non amantẽ, aut quaſi repellentẽ (qui tamẽ eos maximè tunc amo) ſuſtinẽt, hi ſunt amici mei, quorũ laus (licet ex corde prodeat anguſtiato) me oblectat. Porro quando ſuper huiuſmodi qui nec intus nec foris habent quò ſe ſuſtentẽt, excepta ſola nuda fide & charitate (quam tamẽ nec ipſi in ſe ſentiunt) exterior deſpectio, cõtumelia, correptio, humiliatio ve acciderit, & hanc humiliter ſuſcipiunt, nec verbo aut ſigno redarguunt, nec excuſant aut defendũt, quin potius quaſi nulla fieret ſibi iniuria, non ſentiunt, hi veram adepti ſunt patientiæ virtutem, hi iam ſoli non patiuntur, ſed ego patior in illis: & quicquid eiuſmodi fit, grauiter

ter vlciſcor. Nam qui tangunt eos, tangũt pupillam oculi mei. Nam licet in mundo quaſi deſpectiſſimi, viles & ab omnibus derelicti habeantur, ſunt tamen (quamuis & ipſi neſciant) amici mei ſecretiſſimi. Ad horum filia perſpectionẽ aſpira, & crucem tuã vndecunq; tibi eueniat, humiliter atq; deſyderanter amplectere, patienter & æquanimiter porta. Filia, ſi his qui à me poſt hanc vitam ſunt ſeparandi, adeo ad votum cuncta hic accurrerent, ſi adeo eos nil contriſtaret aut læderet, vt etiam ambulantes lanã pedibus calcarent, & ſi his qui mecum regnabũt feliciſſimi gaudijsq; pleni, modo occurrerẽt tantæ perſequutiones, vt quos calcant lapides, reſiliẽtes ipſos in hora retunderẽt, neutri digna his quæ ſequũtur hic reciperẽt. Pati namq; hic aduerſa, regia eſt via, quę à me arcta nominatur, perducẽs in regnũ cœlorum. Ambula igitur in hac via & gaude, gratiasq; age mihi q; te digner hoc honore, cui ad patiendũ tribuã. Itaq; eis qui tibi moleſti ſunt, tu ecõtrario nõ ſis moleſta. Quid enim aliud virga poteſt quã cædere? & quid homines tibi faciẽt ſi ego voluero? A me igi-

tur om̃ia accipe, homines verò à me iuſſos, vt tibi ſint graues, arbitrare. Mihi igitur, ſi te ignominia, contumelia ve afficiũt, obtemperant. Diſce tu mori tibiipſi, vt perinde tibi ſit & laudari, & cõuitia pati: imò præſtat conuitia patienter audire, quàm laudes. Illa enim humiliant, hæ extollunt. Proinde perfectior æſtimandus eſt, qui ad verba dura benignus mitisq́ molliter reſpondet, quàm qui (licet in cœlũ quotidie rapiatur) neſcit ad increpationes niſi impatiẽter reſpondere. Porrò perfectiſſimus eſt ille, qui cum omnẽ fert iniuriam, cum ab omnibus male audiat, cum deſpicitur, à deo nõ vlciſci deſyderat aut retaliari, vt etiã de ſuo gaudeat opprobrio, exultetq́ ſe ab om̃ibus quæ mundi ſunt, id eſt, ab amicis, à fauoribus, à rebus, ab honoribus eſſe alienum, quem nemo defendat, nemo excuſet, nec ipſe excuſabilem ſe exiſtimet, totus pauper & mihi derelictus. Itaq; filia, quantiſcunq; te ſenſeris tribulationibus, aduerſitatibus ve obrui, tanto magis in mente debes gaudere, quod meam in te habeo & perficio voluntatem, quòd te mihi conformo, quòd

deniq; quo apta ſis mihi coniungi, te dignam facio.

Exercitiū animę deuotū ac pium.

QVotidie igitur hoc in oratione tibi ſit exercitium. Primo, vt pro omni aduerſitate, preſſura & tribulatione quam vllo in tēpore habuiſti vnquam, me laudes, mihiq; gratias agas. Deinde pro charitate, immenſoq; amore, quo ex paterno corde tui miſertus, & te mihi attrahere cupiens, aduerſitates tibi miſi atq; prouidi. Tertio ora me pro omnibus qui tibi vnq̃ moleſtiam iniuriámve aliquam irrogarunt, vt illis propter infinitam miſericordiā meā ignoſcam: & nō ſolum ignoſcam, ſed etiam æterna bona, propterea quòd vel ignorantes meæ prouidentię ſeruierūt, eis retribuā. Quarto pete veniā tu ꝙ prouidētiam meā tu tam cæca, tam tarda, tamq; ingrata, aduerſitates non hilari receperis animo, nec patienter æquanimiterq; toleraſti, ſpolians temetipſam gratiæ meæ fructu, quem in his tibi dare ſtatueram. Quinto vt offeras te atq; reſignes in omne beneplacitū meū,

ad quæcunq; moleſta ſentienda in tempore & æternitate, quãdiu mihi placet, nec per ea intendas quaſi pro peccatis tuis velis aut poſſis ſatiſfacere (nam pro his meam mihi ſatiſfactionem, hoc eſt, paſſionem meam offeras) ſed ideo te mihi reſignes, vt iuſticię meę & beneplacito meo in te ſatiſfiat ad gloriam meam ſempiternam, orans vt te dignam faciam, feruẽtem atq; ſatis fortem, quæ poſſis iuxta omne beneplacitũ meũ quæcunq; voluero, & quamdiu voluero pati, vt non ad quærendas conſolationes aut remedia cõfugias, ſed ad brachia mea nuda & crucifixa te reſignes, mihi charitate nuda ac ſola ardentiſſima atq; perpetua inhęreas. Hoc exercitiũ applicare poſſes in quinq; vulnera mea: & ſi deuotio per hoc iuuatur, venias ſeu genuflexiões quinq; addere. Cui ſi aſſueta fueris, ſenties in interiori homine quod gratia mea nõ fruſtra inaniter ve te fecerit laborare. Vale interim filia ac ſponſa, & donec rediero (qui tamen nunq̃ tibi deſum) confortare, meq; ſemper in ſilentio cordis & oris præſtolare. Iterum vale.

Ad

Ad animam peccatricem, ſed reuerti cupientem, interna Chriſti allocutio, ſeu inſpiratio, erudiens ad confeſſionem & puritatem cordis.

EGo diligentes me diligo, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Sic dilexi mundũ, vt in mortẽ darem animã meam, ne pereat, ſed habeat vitam æternam quicunq; in me crediderit. Ego ò anima pro te laboraui, eſuriui, ſitiui, contemptũ & perſecutionem paſſus ſum. Vulneratus ſum propter iniquitates tuas, attritus propter ſcelera tua, mortuus propter delicta tua, reſurrexi propter iuſtificationẽ tuam. Ad hæc omnia me impulit amor, quo te diligo, & in filiam adoptionis aſciſco. Itaq; tu reſipiſcẽs ad amantem reuertere, in vulnerũ meorũ ſanguine lauare, virtutibus & vitæ meæ meritis veſtire: Omnia hęc libẽs tribuo, imò vt amãtiſſimus pater hæc offerens tibi occurro in amplexum, ad oſculum te recipio, & ad redamandũ te inuito. Reuertere filia & mundare. Præbe cor tuũ mihi, quia præter hoc

aliud abs te non deſydero. Porrò quomodo tota ad me reuertaris, quomodo in corde tuo mihi delicias præpares, quomodo amorem meum reficias, quo deniq; modo tu quoq; reficiaris, aduerte.

Quòd ad vitā emendatiorē incipienti neceſſaria ſit generalis confeſſio.

EI qui ad vitam correctiorē aſpirat, qui ſe conuertere mihiq; ſe totū nititur dedicare, neceſſariū eſt vt vitæ malæ retroactæ primū verè pœniteat. Conſultiſſimum eſt etiam in principio cōuerſionis ſuę, dum vitæ nouitatē meditātur, quāta poteſt diligentia de omni vita ſua peccatorū ſuorum faciat calculū confeſſionemq; generalem: idq; cōtra futuros ſcrupulos conſcientiæq; inquietudines, quibus timorata mens poſt conuerſionē vel ex ſeipſa, vel diaboli machinatione ſolet fatigari, & per hoc à ſtudijs interim melioribus præpediri. Conuerſionis initiū voco tempus illud, quo à vanis ad me ſuum creatorē reuerti contendit, tametſi annis multis ſtatum religionis ante profeſſus ſit. Debet autē hæc confeſſio eſſe

integra, de omnibus videlicet, quorũ conſcientia illum accuſat aut reprehendit, & de quibus opinatur quod fuerint peccata, præſertim mortalia. Debet etiam fieri cum dolore cordis & deteſtatione peccatorũ: quam ſi non poſſit habere ſenſibiliter atq; cordialiter, habeat rationaliter, hoc eſt, habeat ſecundum rationẽ quia iudicet ſe malè egiſſe, doleatq; q nõ cordialiter dolet, & optet habere cordis dolorẽ. Sit itaq; ad minus dolor in iudicio rationis, vt peccãdo ſe malefeciſſe iudicet, optetq; ex toto corde ſe nõ peccaſſe, nolitq; deinceps peccare, nulla re magis carere velit q̃ peccato, nihil minus optet, aut magis execretur q̃ peccatũ. Doleat igitur quia peccauit, quia me offendit: aut ſaltim doleat quia non ſentit ſe dolere. Sæpenumero etenim fit, vt mihi magis placeat deſyderiũ habendi, id eſt, velle eſſe contritũ aut deuotũ, q̃ ſentire contritionẽ aut deuotionẽ, quia velle habere & non habere facit afflictionem cordi. Itaq; doleat & iraſcatur ſibi, atq; damnabilem ſe iudicet quòd peccauerit, & quòd non dolet quantum deberet. Hæc contritio tametſi ſenſibilis non

 ſit,

ſit, id eſt, licet cor patiaris durū, aridum & ſiccum) ſufficit ad ſalutē. Ego em̄ veſtram attendo miſeriam, veſtram imbecillitatem, veſtram paupertatē, nec vllo modo bonæ voluntati deſperandū eſt, quātamlibet cordis ſentiat ariditatem ſeu frigiditatē, quādo vellet ſe nō peccaſſe, ſtatuitq; propter me poſt hac nolle peccare. Sed dicis: Ego innumerabilia peccata admiſi, quomodo de ſingulis debeo ſingulatim conteri? Conſolatione eges ò anima, at ſola veritas conſolatur. Si multa habes peccata, de multis ac omnibus ſimul generalem habeas cōtritionem, in qua generali cōtritione om̄ia ac ſingula peccata velis includi, hoc eſt, vt nullū peccatū etiam ſi ſingulatim occurreret, excipi velis de quo non doleas, aut quod nolis nō feciſſe, & quod nō velis cauere. Hæc nanq; contritio generalis virtualiter extendit ſe ad omnia ac ſingula peccata, etiā oblita, & de quibus nō cogitas. Neq; em̄ hoc exigo, vt de ſingulis peccatis neceſſario habeas ſingulas contritiones iuxta numerum aut ſpeciem peccatorum. Ita enim Magdalenæ dixi: Dimiſi ei peccata multa, quoniā

dilexit multū. Non dixi, quoniam dilexit multoties. Nec ipſa Magdalena aliter q̄ ſimul de om̄ibus dolere potuit in tam ſubita cōpunctione. Ita tu quoq; de omnibus doleas, vt nullū ſit peccatū quod tibi placeat, ſiue in genere, ſiue ſingulare memoriæ occurrat. Non ergo triſteris, ſi fortaſſe imaginationes patiaris ac phantaſias, quaſi iratus ſim adeò vt nolim placari, nolim indulgere, nolim te ad gratiam recipere. Hæc ſuſurria ſunt diaboli, quibus ad deſperationē te nititur pertrahere: Huius eſt enim conſuetudo primo dum tentat ad peccandū, mei memoriam à cordibus euellere, miſericordiā meā peccantibus promittere, ſecuritatem, audaciam, obſtinationē voluntatis impiæ confirmare. At poſtq̄ delinquētes à ſe velle ſentit auertere, ſi tentationibus nullis poteſt retrahere ad facinus, tētatione deſperationis animas formidoloſas aggreditur. Suadet non confitendum, ſuadet non poſſe continere, non poſſe vinci conſuetudinē malam, terret à magnitudine peccati commiſſi, mentiens quòd nolim dimittere peccatū. Tu ò anima noli credere, quicquid ſentias, non conſen-

tias deſperationi. Sufficit hæc contritio, ati-
do licet corde doleas, me offenſum optes te
non offendiſſe, ſtatuas nolle peccare. Quod
ſi iterũ deliqueris, iterum quoq; ſurge, & de
nuo propoſitum nõ delinquendi ſtatue. Si
tertio deliqueris, tertio reſurge. Deniq; quar
to, quinto, & ſi poſtremo ſeptuagies ſepties
quotidie cecideris, toties ad me reuertere,
ego ſuſcipiã te. Nonne melius eſt vt ſuſci-
piam te q̃ amittam, ſimulq; omnes labores
meos & pœnas pro tui redemptione tolera
tas perdã? Nihil igitur ò anima, nihil ò filia
ſanguine meo redẽpta, te à me auocet, nihil
detineat, nihil remoretur. Et ſi diabolo te
tradideris, ſi me centies negaueris, ſi me &
mei imaginem pedibus cõculcaueris, ſi cõ-
ſpueris, ſi ſacramento meo cõtumeliam fece
ris, dole quia feciſti, & ego dimitto tibi pec-
catum. Non ſit in oculis tuis adeo magnũ
peccatum, quod ſpem veniæ adimat. Non
ſit adeo prauum, non adeo multum, quod
meam miſericordiam poſſet ſuperare. Nihil
refert apud me, à multis an à paucis pecca
tis te redimam. Et magnus & paruus pecca-
tor æque egent miſericordia mea, quæ in
exhau-

exhauribilis omnibus fluit & abũdat. Non poteſt miſericordiam meam vincere malitia tua. Quanto plura tu habes peccata, tanto ego libentius ignoſco pœnitenti. Inde enim elucet maior gloria mea, quanto maiori peccatori maiorem erogo miſericordiam. Non ſum durus, non ſum maleuolus, non ſum parcus, ſed totus in te ò filia liberalis, profuſus & prodigus. Nihil minus habeo, ſi omnia mundi peccata tu ſola feciſſes, & tibi omnia dimitterem. Eſt tamen fortaſſe aliud quod te terret, quia peccata te premunt: & quæ olim vltro admiſeras, iam inuita cogeris tolerare. Perſequitur te aduerſarius, & ſuas fœditates tecum habet. Quicquid inuita ſuſtines filia non te damnabit: peccatum namq; adeo eſſe oportet voluntarium, vt ſi non ſit voluntarium, non ſit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuã à conſenſu, & ſine carnem & diabolum furere. De ſomnijs etiã nihil metuas, quicquid ibi actum, quicquid paſſum fuerit à dormiente: ſi ante & poſt ſomnum, vbi rationis cõpos fueris, tibi diſplicet, nequaq̃ venit tibi imputandũ. Et licet per vitã conuer-
ſatio

ſationis prioris antiquæ tibi occaſionē dederis, iam tamen non erit (poſt q̄ huius cōuerſationis pœnituiſti) occaſio aut cauſa peccatum generans: quia antiqua per confeſſionem & contritionē deleta nō cauſant peccatum, modo voluntas alioqui abſit.

De ſenſibili cōtritione atq; dolore.

Q Vanq̄ cōtritio ſenſibilis atq; cordialis, ſeu ſenſualis diſplicentia peccati non ſit ad veniā neceſſaria, valde tamen confert ad delenda cauendaq́; peccata: valet quoq; ad extirpanda vitia, ad obtinendam deniq; ſerenitatē tranquillitatemq́; cordis. Confortat em̄ ſpiritū vehemēter, ſenſibiliter, cordialiterq; dolere ac gemere: & hoc propterea q me deum tuū, (a quo es & habes bona omnia) vnq̄ offenderis. Qui hanc contritionē ſentit, mihi gratias agat, quia & vere donū eſt me[illegible] purificans animam a peccatis, modo p[illegible]rè doleatur: hoc eſt, propterea quòd ego off[illegible]ſus ſum, & dolor iſte oriatur ex radice charitatis. Neq; em̄ pœnitens propterea tantum dolere debet, tametſi etiam dolendū ſit, quòd peccando

incom

incõmoda multa obligationesq́ inciderit, quòd pœnis & debitis obnoxiũ ſe fecerit, quòd deniq; ignominiam, fœditatem, infirmitatemq; animæ ſuæ intulerit, aut ob alia huiuſmodi quæ reſpectũ tantummodo habent ſuiipſius ex amore proprio natũ: ſed potius quod me offenderit, quod me inhonorauerit, quem velle debet a ſe & ab omnibus maxime honoratũ, maxime amatũ: ita vt pœnitentis dolor non propter ſe præcipue ſit, ſed propter me. Huiuſmodi dolor mihi acceptiſſimus eſt, cito placãs, cito me reconcilians, adeò vt nonnunq̃ ſolus ſufficiat (vbi adeò intenſus fuerit) ſine alia ſatiſfactione aut opere pœnali ad abolendam omnem pœnam peccatis debitam. Oritur enim ex charitate, quæ operit multitudinẽ peccatorum, conſcientiam lætificans, & ad me accedendi fiduciam præſtans.

Quomodo dolor, amor, fiduciaq; ad deum ſimul creſcunt.

INde fit vt creſcant ſimul & dolor ſiue contritio de peccatis, & amor fiduciaq; erga me. Tanto eñ vnuſquiſq; hoc modo magis

magis dolet quòd offendit me, quãto plus amat me: & quanto plus dolet de peccatis, quantóve plus amat me, tãto etiã fiduciam ſpemq́ veniæ maiorẽ cõcipit de me. Porro hæc tria, quanto vigent amplius, tãto efficacius efficiunt ſimul & peccati macula & pœna peccatis debita deleãtur. Anima em̃ pœnitens poſtq̃ bonitatis meæ aliquam notitiam guſtumq́ ſuſceperit, conſiderans ꝙ adeo ſim bonus, adeo miſericors, quod deniq; adeo nõ impropero nec imputo peccata, vt nõ ſolum illa dimittã, ſed pœnitentẽ etiam perinde ac iuſtũ, hoc eſt, vt eum qui nunq̃ peccauit, in gratiã & amicitiã meam recipiam, conſoler & dona largiar. Hæc inquam anima pœnitens dum meditatur, ſuo ex lapſu quoq; occaſionẽ ſibi acquirit maioris feruoris & gratitudinis erga me, & odij diſplicentiæq́ contra ſeipſam, iraſcens ſibiipſi ac deteſtans ſe, ꝙ tam benignũ contẽpſerit deum, qui cũ iuſte poſſem & damnare & perdere, ecõtrario parco, conſolor & benefacio. Eam ob rem quãto me ſentit erga ſe magis miſericordẽ, tãto maiori zelo mouetur iuſtitiæ contra ſeipſam, quaſi pro me

vindicare cupiens in ſe contemptum mei.
Atq; ideo nō ſolum veniam de peccatis pe-
tit & reconciliationē, ſed ad honorē iuſtitiæ
meæ deſyderat etiam pati, humiliari ac puni
ri, quod ſe cōtra me impiè erexerit. inde cōtin
git ei vt quāto plus à me ſentit ſe cōſolari,
tanto magis indignitatē ſuā horreat ac de-
teſtetur, doleatq; ſuorū enormitatē peccato
rum, & indignetur admirans quod tam in-
grata eſſe poſſit mihi. Huius animę (quę ad
hunc zelū venit, puta vt nō minus diligat
meam in ſe iuſtitiam quàm miſericordiam)
peccata abſorbentur, vt in camino ardenti
aquæ gutta ſolet abſorberi. Igitur inter om
nia pœnitendi genera nō poteſt eſſe melius
quàm cōtinuè conſiderare meam charitatē
ac fidelitatem immenſam erga ſe, ſimulq;
ſuam ę diuerſo infidelitatem, ingratitudinē
& peruerſitatem erga me.

De ſcrupulis iterandę cōfeſſionis.

SOlet autem diabolus circa pœnitentiæ
luctū, & circa alia oīa, pœnitētibus ſer-
uis meis inſidias ponere, vt pleriq; effi
ciantur ſcrupuloſi, iterum atq; iterū ęadem
conti

confitentes, nec ad tranquillitatem aliquam poſſint aliquando venire, ſed de confeſſionibus ſuis omnibus diffidunt, dum circũſtantia ſemper aliquam vel peccatum inueniunt neglectum, cuius in priori confeſſione non fecerint mentionem, vnde ad confitendũm denuo cõpellantur. Hi ſemel vna generali confeſſione facta, debent hanc inquietudinem irrationabilẽ omnino poſthabere. Neq; enim hoc deſydero, neq; placet mihi vt tu verſeris ſemper & inquineris in reuoluẽdis peccatis tuis. Quin potius proijce te in me, & ego liberabo te. Nam ſi mille annis teipſam ſcrutari volueris & cõfiteri, haud quaq̃ mundaberis. Quãdo enim exhauries abyſſum? Mihi ergo te committe, poſtquã ſemel omni diligentia conatum expenderis tuum ad confitenda ſingula peccata tua. Dimitte mihi vt habeam quo tibi propicier. Cognoſce quod teipſam mundare nequeas. Dicq; egeas miſericordia mea. Confitere ꝙ vnum pro mille mihi non ſufficis reſpondere: ſed in omni opere inſufficiens es, & eges miſericordia mea. Non ergo fidas in confeſſionibus tuis, ſed in miſerationibus meis: hæ

enim ſuntquibus iuſtificari te oportet. Interim vero quod ſic occuparis circa peccata tua, conuerti deberes ad me & mea gratioſa præſentia frui. An fraudem non aduertis inimici? Ideo enim circa peccatorũ tuorum numerandos atq; recogitãdos fœtores tuos detineris, vt alia interim multo ſalubriora, quibus deuotio tua accendi deberet, negligas. Scito igitur hoc mihi præcipue placere, vt de me ſentias in bonitate, & in ſimplicitate me quæras. Sentias me benignum, pium, compaſſiuũ, miſericordem, optimum. Confide mihi, ſpera in me. Quære potius gratiam, amicitiam ac familiaritatem meam, & pro ijs habendis exercitia deuotionis tuæ dirigas. Senties proculdubio longe vberiorem fructum animæ tuæ, ſi quomodo ames, quomodo mihi placeas, quomodo me imiteris, ſtudium tuũ ſit, q̃ q; confeſſa denuo confitearis, aut quod ſcrupulos inquiras, & exhauriens eoſdem, nouos ſemper tibi generes. Non potes me nimis pium aut miſericordẽ æſtimare, modo ſuper miſericordia mea ne deliqueris, nõ potes nimis mihi confidere. Exercitium tuum igitur ſit bene de

me ſentire, ꝙ nolim te damnare: quia & re•uera quemlibet ſaluari volentē, quēlibet nō deſperantē damnare nolo. Sufficit mihi ò filia, ꝙ peccaſſe doleas, ꝙ peccare etiā dein•ceps nolis. Iam in ſtatu es ſalutis, quid tre•pidas? diues ego ſum & clemēs in miſeratio nibus infinitis. Sic me cogita. Inde em̄ ma iori me afficis honore, q̄ quòd quaſi crude lem aut durū me imagineris, aut ita formi•des, quaſi ad hoc ſolū vigilē, quomodo ca piam & inuoluam hoies, ſi fortaſſe hūc vel illū ſcrupulū, ſi hanc vel illā circūſtantiam neglexerint in confeſſione. Porro ſi morta•le certū ad memoriā redierit, ante nō confeſ ſum, illud cū omni tranquillitate cōfitearis. Habita ſemel vna bona examinatione con ſcietię ante confeſſionē generalem, deinceps poſt confeſſionē ſcrupulos abijce, noli de•nuo inueſtigare conſcientiā, ne inquietudi•nem tibi parias ſemper cōfitendi: per alia bo na exercitia ad amorē conducētia, ſcrupulo ſam illam inueſtigationē exclude. Cæterū ſi obſeruaueris ſcrupulos, ſi ſcrutari, ſi ru•minari, ſi inueſtigare ſingulas formidines atq; timores volueris, mille tibi parabūtur

inſi

inſidiæ: Propterea (ꝙ dixi) ſemel diligēti fa
cta confeſſione omniū peccatorū tuorum,
ſemel habito propoſito nihil tacendi in con
feſſione quod noueris confitendum, dein-
ceps ſta in pace, reijce in os diaboli ſcrupu-
los oēs. Ego te deſydero, ego tua amicitia
potiri cupio, ego abs te amari peto: cura
igitur meæ vt reſpondeas voluntati.

Quomodo recolenda ſint peccata.

INtellige, ſcito & iudica te peccatricem
animam eſſe. Cognoſce te multis offen
diſſe, ingratiſſimā atq; rebellem, contu-
melioſam atq; blaſphemā, meis pręceptis ac
votis te cōtraiſſe: & inde humiliare adeo, vt
ne oculos quidē ante me leuare audeas ſor-
dibus & abominationibus plena. Porro ad
peccata tua ſingulariter enumerāda (ſi quā-
do vel ſine ſcrupulo ad contritionē aut hu
miliationē tui id cupias) nō exeas: Nā ſunt
qui peccata ſua recolūt ita, vt vel ad riſum,
vel ad delectationē, vel ediuerſo ad deſpe-
rationē, vel alia eiuſmodi incōuenientia mo
ueantur, quod idcirco fit maximè, quia pro
obiecto cogitationis ipſa peccata ſua aſſu-

munt, illa inſpiciendo, & ad illa ſe conuertendo, loquuntur atq; diſputant cum illis extra me. Atq; ideo dum ſua peccata ſecū ipſi tractant quamlibet bona intentione, magis tamen obtenebreſcunt quàm illumināt. Tu vero cum peccatricem te cogitare, cum te humiliare vis, relictis peccatis, ad me conuertere: mecū de peccatis, de infirmitatibus, de defectibus tuis tracta: mihi querimonias tuas aduerſum te expone, mihi loquere, mihi q̃ inique egeris, te accuſa. Inde fiet vt peccatorum tuorum accuſatio in orationē conuertatur. Quapropter ad me cōuerſa orando, peccata tua mecū tracta: hoc modo conſcientia tua ſerena efficitur & tranquilla. affectio quoque tua ad me conuerſa, ex me inflammatur.

Quomodo ſatisfaciendum ſit pro peccatis.

IAm vero de ſatiſfactione pro peccatis hoc conſiliū tu amplectere, vt quicqd manus tua poteſt, inſtanter operceris: nō tamen eo animo aut eo fine, quaſi tu peccata tua redimere velis aut ſatiſfacere queas. Ad hoc

Ad hoc enim opera tua nimis indigna nimisq́ imparia debes æſtimare. Sed age omnia vt mihi placeas, quę offendiſti. Me roga potius, & mihi ita cõfide, vt meritis paſſionis ac vitę meę ſanctiſſimę tua velim abolere delicta, atq; pro illis patri meo ſatiſfacere. Hæc humilitas, hæcq́ fiducia ad me tua, quibus teipſum operaq́ tua vilificas, me verò ac merita mea extollis, omnia ſatiſfactionis tuæ opera excellit (quandoquidem vna gutta ſanguinis mei excellit, & valoris ac ſatiſfactionis plus habet omnibus meritis humanis, ideo pro peccatis totius mundi ſatiſfacit) & me inclinat ad te, vt meritorum meorũ theſaurũ tibi faciam cõmunem. Quapropter hoc præcipuũ ſit ſtudiũ tuum, vt beneplacitũ meum non negligas, vt me cõtinuè cogites, deſyderes. ames: & quæ iuſſi ſiue per me, ſiue p vicarios meos, imò quęcunq; volo diligenter perficias. Et ſi mille milliũ peccatorũ haberes aceruos, omnia tibi ſicut vnũ peccatũ dimitto. Neq; enim diſtat apud me ſaluare ex paucis vel ex multis peccatis. Vnde mille peccata ſicut vnũ ignoſco. Mirũ eſt q̃ dicturus ſum,

certiſſima tamē indubitataq́ꝫ fide tenendū: Si totus mundus eſſet globus igneus,& in medio eius de ſtipula lini pugillus vnus, hic ex ſua naturali inclinatione nō tam cito flammarum reciperet incendium, q̄ recipit abyſſus miſerationū mearū peccatorem poenitentem,& cōuerti volentem: quia in illa actione naturali quātulacunq́ꝫ peteretur morula, licet minima ac fortaſſe imperceptibilis, hic vero nulla penitus mora inter poenitentem & remittentē, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

Certis horis diei debet exanimari conſcientia.

CONgruit autē homini vt certa habeat exercitia,quibus peccata vel quotidiana exhauriat,& ſeipſum gemitibus ac cordis doloribus lauet, flectendo genua, ſuſpirando veniā,in terram aſpiciendo,pectusq́ꝫ tundendo. Nam omni momēto inquinatis vos,quare nō rurſus & lauetis vos? Siquidem quicquid agitis,vultis,deſyderatis,cogitatis & tractatis, quicq̄d intra vos retinetis,circa quęcunq́ꝫ deniq́ꝫ occupamini,quorum

rum ego nō ſum intētio ac finis, hęc omnia ſunt vt pelles aut ſtercora, quibus oblinun tur oculi veſtri, ne omnino videatis aut mi nus videatis & me & voſipſos. Igitur tu ter quatérve, aut quoties volueris, conſuetudi nem tibi facias quotidie ad conſcientiæ exa men eundi pro venia petenda peccatorum, vtq́ ſimul videas quid interea in corde tuo verſatū ſit. Hac occaſione multa reperies deflenda, multa delenda, quę alioqui in ob liuionem ſine dolore abijſſent.

De cōtinua reprehēſione ſuiipſius.

Nihilominus oculū debes habere vi gilantiſſimū ad teipſam, vt ilico ſen tias quid tibi deſit, q̄d aſſit, quid ſo licitet, quid incidat, quid deniq́ moretur in te vitioſum, illudq́ mox vt naſci cœperit, mox vt ſenſeris elimines, teq́ reprehēdas ac doleas, mihiq́ cōquereris tuā infirmitatē inſtabilitatē, malitiam & turpitudinē. Quapropter teipſam indeſinenter conſidera, ac ſine ſimulatione dijudica. In omni actu, in omni verbo, in opibus quoq́ ac ſtudijs pijs debes teipſam diſcutere, quia nihil purum,

nihil ſanctũ, nihil ex omni parte integrum in te inuenies. Quicquid optimũ apparet, ſi rectè conſideras, inuenies ꝙ ſummopere in eo ſit lugendũ. Dic mihi, ſi oĩa quæ in vita egiſti tua, vnq̃ appenderentur in ſtatera, an aliq̃d, de quo pronũciare poſſes quod bonum foret, inuenies? Minimè. Debes igitur teipſam in omnibus reprehẽdere, & ſanctæ tranquillæq; cõpunctionis materiam in teipſa quærere, gemendo ꝙ bona (quæ ſi facis) etiam nõ ſunt ea integritate, nõ ea ſynceritate, non ea intentionis puritate, nec eo deuotionis feruore, quo fieri deberẽt, facta. Plange ꝙ multæ negligentiæ, multa vitia, multi defectus ſe interſpergunt, & te quotidie inquinant, vt meritò omnis etiã iuſtitia tua panno menſtruatę debeat cõparari. Semper ergo teipſam arguas, nec ſine increpationis zelo, ſine dolore gemitúve cõpunctionis tranſire permittas, quoties in te deprehenderis quamcunq; inutilem cogitationẽ aut ocioſum ſermonẽ, aut temporis breuiſſimi omiſſionẽ, aut inordinatam affectionẽ, aut ſenſus alicuius delectationem in qua requieuiſti: adeo vt vita tua ſit iugis cõpun-

ctio

ctio. Hæc verò omnia facias per cõuerſio-nem cordis tui ad me accedens, vt mecum omnia tractes, mihi neceſſitatẽ tuam expo-nas, me contra te inuoces: remediũ, conſi-lium, auxilium à me poſtules: teq; ad extre mum relinquens, totum mihi offeras.

In quibus debet ſeipſum homo reprehendere.

SVnt autẽ quotidiana quædam, in qui-bus ferè oẽs delinquitis, quæ meritò tibi cõpunctionis prębent occaſionẽ, & con tinue erubeſcendi, teipſam reprehendendi, humiliandiq; miniſtrare debent materiam. De his ſeruus meus Bonauẽtura acerrimus vitiorũ perſecutor, ſic inquit: Signũ ſuper-biæ videtur eſſe, nimis erubeſcere de illis defectibus quos natura indidit, vt de defor mitate corporis, vel ruditate vocis, & ſimi libus, de vilitate verò veſtis & humilibus obſequijs erubeſcere, præſertim in homine religioſo, grauis ſuperbia eſt. Vitiũ vel ſcan dalum erubeſcere, vnde vel deus offendi-tur, vel aliquis ſcãdalizatur. Apud teipſum erubeſce de peccatis tuis, de torpore in ſer-

uitio dei,de negligentia bonorũ,quę poſſes facere & deberes:quod tẽpus defluit,& profectus virtutum non creſcit: de hypocriſi, quod foris melius vis putari, quã intus te inueneris,quod vitia tua abſcõdis,nõ timore quod alijs noceant,ſed metu diſplicendi, & ne vilipẽdaris: quod per bona quæ oſtendis, vis videri & placere hominibus, vt ex his ſuſpicentur te habere multo plura & maiora in occulto: quandoquidem hæc foras prodeant quaſi te dolẽte, quod vix adeo habes familiarem aut vnanimem,à quo velles in omĩbus agnoſci, ſicut teipſum agnoſcis quod etiã fit in confeſſione quandoq;, dum licet nõ audeas peccata tua ſupprimere quin accuſes, tamẽ in illis quibus te magis diſplicere times,ita ordinas verba,præmittendo, ſubiungendo ac colorãdo,quo minus appareant verecunda: vel ſi fortaſſe plus nudeq; profers, gloriaris & vis apud confeſſorem ſanctus æſtimari,quod tam humilis ſis,qui te magis q̃ neceſſe ſit ſtudeas confundere confitendo. Quod cũ tẽtationibus vitiorũ maxime carnalium ita pugnas deſidioſe,vt ſolo timore,periculo vel confeſſionis pudo

re eas repellas,& quantum audes in affectu carnis arrideas, ſolo conſenſu operis & moroſę delectatiõis excluſo. Et in hoc maior apparet peruerſitas, quod cũ facile quandoq; poſſes huiuſmodi tentationes quaſi muſcas immundas abigere, ex negligentia eas permittas creſcere & caleſcere & conualeſcere, donec ſic confortatæ plus habeant periculi & difficilius vincantur, atq; conſcientiam ſæpius pulſando confundant. Quòd ita deſidioſus ad ea quę deſſunt, & ad virtutes, vel quę ad deuotionis ſtudium pertinent, vt pudor humanus plura ex te vel à te magis extorqueat, q̃ amor diuinus. Quòd ita es ingratus dei beneficijs, vt nõ ſolũ debitas nõ agas gratias de perceptis, ſed gratiam oblatam paratamq; in vacuũ recipias, & vlteriora negligas, atq; ſentis tibi arridere gratiam, occupãs te interim ſtudijs vanioribus, quaſi qui texat aranearũ telas, quæ nihil ad ſalutis veſtem conferant. Quod illa ad quæ teneris facienda, vt ſunt horę canonicæ & huiuſmodi, tam negligenter tamq; deſidioſe perſoluis, vt non tam meritũ, q̃ ſuppliciũ inde expectes: quia etſi verba ore vtcunq; profe-

ras, corde tamen tam es vagus ac frigidus vt neq; ſenſum orationis percipias, neq; deuotionis affectū. De verbis quoq; ipſis plurima defluunt acceleranti. Atq; vtinam nō pauciora tranſilias omittendo, dum non attendis ſi dixeris nec ne, niſi fortè ex coniectura alicuius verbi, quaſi ex caudæ apprehenſione æſtimes te dixiſſe. Has autē negligentias etſi patiēter quaſi nō aduertat diſſimulet deus, nihilominus tamen odit, numerat, ſeuere iudicat & grauiter punit, niſi pręueniatur facies eius in confeſſione humili, in ſatiſfactione & emendatione. Quod ad omnia quæ ad corporis aut curam aut cōmodum pertinet, ſtudioſiſſimus es: quæ vero ad ſpiritus profectū, vel ad supernę charitatis exhibitionē, vel ad prælati obedientiam, vel ad carnis caſtigationē, maxime deſes. Quod etiā hos alioſq; huiuſmodi defectus in te aduertis, nō tamē propterea terreris, nō cōpungeris, non diſcutis, nō corrigis: quaſi aliter tecum q̃ cum om̃ibus alijs deus acturus ſit, videlicet vt mala tua quæ non corrigis, impunita maneant. Hæc ſunt filia, quæ (vt ſeruus meus recenſuit) te debent

bent humiliare, & cōpunctionis materiam adminiſtrare. Sunt tamen nihilominus alia ſingularia ac propria, ſagaciter ab vnoquoq; veſtrum exploranda, fortiterq; aut mortificanda, aut abijcienda. Sunt præterea quædam alia etiam generalia, quę impediūt aut retrahunt à profectu, quæ ſuo loco manifeſtabuntur.

Quòd actionum, exercitiorum ac ſtudiorum omnium certus aliquis ſit ſcopus ac finis.

NIhil autem tam ſtudioſe quærendū, pro nulla re adeo certandū ò filia, quàm vt habeas puritatē cordis. Nam cū nulla ſit actio, nullum ſtudiū, quod ſuū nō habeat ſcopum, finē atq; deſtinationē, quin potius ars om̄is per certa aliqua media exercitiáve ad finē aliquē (qui finis primū quidem eſt quod animæ proponitur, licet vltimū ſit quod obtineatur) ſuos conatus mittit, quanto magis ſtudiorum veſtrorū, puta exercitiorum, tum corporaliū, tum mentalium, lectionum, meditationū, mortificationum, (vt corporalia externaq; opera taceam)

ceam) finis eſſe debet aliquis, propter quē fiunt? Cogita ipſa, niſi ſcias aut animo ante conceperis quo currendum ſit, nónne fruſtrà arripis curſum? Sic cuilibet actioni dare eſt finem ſuum: quo adepto, iam nō eſt adniſus ad finem, ſed quies.

Quòd puritas cordis & charitas ſit finis vitæ ſpiritualis.

AD hunc modū in vita vere Chriſtiana, in vita ſpirituali (cuius innumera ſunt ſtudia, actiones, conatus & fatigationes, donec vitia mortificentur, acquirātur virtutes, ac tandē vni deo inhęreatur) finis eſt puritas cordis, finis inquam nō omnino vltimus, qui quidem ego ſum ſeu charitas, ſed finis (vt vocāt) inſtrumētalis, finis quo referenda ſunt omnia ſtudia & exercitia veſtra tanq̄ ad nobiliſſimū inſtrumentū, quo obtineatur finis vltimus, videlicet charitas, quę eſt vt diligatis me purè propter me, & in om̄ibus quę facitis aut omittitis, in omnibus quæ eligitis aut reſpuitis, meus honor ac beneplacitū meum ſolummodo ac purè quærantur, adeò vt propter me ô filia & te-

ipſam

ipſam & omnia alia contemnas, me cunctis præferēdo. Atq; ideo om̃i conatu quicquid agis, quocunq; te vertis, quicqud intendis, quicquid incipis, tantū debet tibi illud placere, tantū admitti, quantū conduxerit cordis puritati. Ea igitur, quæ alioqui virtuoſa laudeq; ac merito digna vidētur, ſi aduerſentur puritati aut charitati, iam admittēda nō ſunt, ſed poſthabenda. Nihil enim quod pro ſola puritate cordis aut charitate quærendum eſt, cōtra charitatē aſſumi aut foueri debet. Inde error eorū arguendus eſt, qui ſiue codicem ſiue rem aliam quamlibet tāta ſibi aſſeruant pertinacia, vt vel roganti illā non accōmodare dignentur, ſed pro habenda retinendàve iraſcantur, verbis contendant, atq; puritatē cordis, pro qua obtinenda codicē aut rem aliā ſimilē poſſident, amittunt. Neq; enim aduertunt, quòd longè maius diſpendiū animæ ſuæ inferunt, ſuam ac fratris charitatem lædendo, cōtra quam librum aliud'ue retinent: q̃ ſi illud contemnerent, accōmodarentq; vt charitatē ac puritatem cordis ſeruarent. Siue itaq; ieiunium, ſiue vigiliæ, ſiue lectio, ſiue alia quæcunq;

exerci

exercitatio corporalis fuerit, puritati cordis ſemper poſthabēda eſt. Hæc nanq; nō propter illa, ſed illa propter hanc frequētantur. Omnia igitur potius alia ſuſtineas, q̄ vt charitatis puritatis ve patiaris diſpendium. Et hoc intelligi debet circa ea, quæ proprio arbitratu aut ſumi aut poni poſſunt. Nam præcepta mea & obedientiæ opera nō ſunt pro quiete ac puritate cordis omittenda, videlicet ne turberis actione, aut inter homines conuerſando. Vbi em̄ maius aliud præceptum vrget, ibi parendum eſt: nec inde læditur (tametſi ſpecietenus ita videatur) puritas, ſed iuuatur. Poſtremo hanc puritatem non propter ſeipſam, aut vt vltimū finem quærere debes, ne philoſophorū quoſdam gentilium videaris imitari, qui diuitijs voluptatibusq; abdicabant propterea, vt ab omni cura liberi, & à cogitationū diſtractione quieti, philoſopharētur. Tu vero mihi cor purū offeras, quia hoc deſydero, videlicet vt ſublato omni inter nos medio, & tu mihi & ego tibi coniungar.

Quomodo obtinenda ſit puritas cordis.

Ad puri

AD puritatem itaq; cordis obtinēdam ſi aſpiras, ſummopere tanq̄ primum ac præcipuum tibi neceſſariū eſt, peccata omnia deteſtari, eaq; & quicquid mihi diſplicere cognoueris, tibiipſi intercicere, ſtatuendo voluntate firmiſſima, nunq̄ vllo conſentire peccato vſq; ad mortem. A quo propoſito licet deuies, nunq̄ tamen excidas: hoc eſt nunq̄ hanc voluntatem ſeponas, ſed quotieſcunq; fuerit labefacta, renoues ac reſtaures. Ea propter peccādi occaſiones, concupiſcentię quoq; incitamenta quæq; abſcindas fugiasq;: & breuiter quicquid noueris infirmitati tuæ ſcandalum, hoc eſt ruinæ occaſionē præbuiſſe aut præbere poſſe, euites neceſſe eſt. Deinde vt ad radicem tuæ infirmitatis pertingas, bellū eſt infatigabile indicendum cunctis vitijs, vt ſunt elatio, ſuperbia, iactantia, inanis gloria, ira, rancor, amaritudo, inuidia, diſplicentia, contentio, inclementia, cupiditas, libido, luxus, propria voluntas, ſenſuū oblectatio, ſuperfluitas circa vſum creaturarum, cōcupiſcentia ſenſualis, inquietus amor, affectio inordinata, delectatio in creaturis quieſcens, morū ac verborū

T leuitas

leuitas, incõtinẽtia ſenſuũ, cordis euagatio, acedia, & reliqua id genus multa, quibuſcunq; teipſam inuenis aliqd extra me quærere, aut in aliqua re quieſcere aut delectari: quibus omibus oportet te manere abſtractã & deſyderijs eorũ mori. Quod q̃ diu nõ perfeciſti, nullã debes ijs requiẽ aut pacẽ admittere. Operępreciũ eſt præterea vt abſtrahas te à rebus alienis, & ab his quę nõ ędificant, aut abs te nõ requirũtur: item à curis & ſollicitudinibus, ab amore ſenſuali ac diſtractiuo circa homines & quaſcunq; creaturas, à nimia familiaritate aut cõuerſatione nimiũ ſociali, ab animi occupatione circa quaſcunq; res inutili aut ſuperflua, & (vt in ſum ma dicam) ab omibus quę nimiũ diſtrahũt, illaqueant, aut formis ſimilitudinibus q; animum depingunt, potiſſime in quibus neq; mei honor, neq; mei cultus, neq; meũ bene placitum, neq; animarũ ſalus intenditur aut queritur. Conſultiſſimũ eſt igitur eò ſemper niti, vt inter triſtia & læta, inter proſpera & aduerſa animũ ſemper habeas pacatiſſimũ, liberum, nulli creaturæ inhærentem, nullis deſiderijs noxijs fatigatũ, ſed per omia tran

quillum,

quillum, quo imaginationes rerumq́ formas ac ſimilitudines, aut omnino non recipias, aut ilico vt ſenſeris, ante eijcias q̃ ſibi in memoria tua vendicent locũ. Sitq́ tibi mecũ interna conuerſatio, caſta ac ſimplex, ſabbatumq́ ſanctum, quo ſuper nulla creatura, ſed in me ſolo requieſcas.

Quæ adminiculantur ad cordis puritatem.

AD cordis puritatẽ adminiculãtur iuuantq́ humiliatio caſtigatioq́ carnis qua corpus ſubdatur ſpiritui. Ideo quantũ corpus ſuſtinere poteſt, delectabilia ſenſibus ſubtrahãtur, habendi ac delectandi deſyderia mortificentur, & frequẽtentur vigiliæ, afflictio corporis, ieiunia: diligatur à te tui cõtemptus, aſſumatur altiſſima paupertas, ſola neceſſaria admittens, quo inter iuges vitiorũ mortificationes, & ex impoſſibilitate viriũ tuarũ humiliata, oratione vero & gratia mea cõfortata, aliquãdo ad cordis puritatem peruenias, dum inſurgentes motus continuo reprimis, dum deſyderijs prauis nõ ſolũ aſſenſum negas, verũetiam

reniteris, impugnas, perſequeris, videlicet te humiliãdo atq; ad oppoſitas virtutes cogendo. Dum enim fruſtra tentãt ſe vitia erigere, ſæpius'q; repulſa non audiuntur, in ſeipſis deficiunt: & quæ ante nimium ſua improbitate moleſtabant, tandem aut omnino non ſurgunt, aut velut muſcæ volantes paruo negocio abiguntur. Seruanda eſt tamen nihilominus diſcretio circa vſum creaturarum, vt prudenter aduertas naturæ tuæ neceſſitatẽ. Ita enim profligenda eſt voluptas, vt fouẽda ſit etiam naturæ infirmitas & iuuanda neceſſitas. Quam nõ debes ex alijs, quorum naturalibus conſuetudinibus, gratijs'q; ac donis valde diſpar eſſe potes, ſed ex te ipſa metiri, pẽſando labores, infirmitates, tentationes, aſſuefactiones, aliaq; onera & grauamina tua: aut etiam ediuerſo conſolationes, ſubſidia, remiſſiones'q; circa officiũ, ſtatum & perſonã tuã occurrentia, vt ſuperflua queq; ac ſolum oblectantia tibi ſubtrahas, neceſſaria vero etiã ingeras. Sunt enim qui nihil faciunt ad conſeruationem ſanitatis, nec iuuant, ſed magis lædunt naturam, expetuntur tamen delectationis cauſa: hæc

ſibi

ſibi interdicere perutile ac religioſum eſt. Porro ſi quę ſunt neceſſaria, quorū vſus ſine delectatione eſſe nō poteſt, vt eſt fere omnis cibus, potusq́; ac ſomnus, ita vtaris illis, vt delectationem ipſam nō quæras nec intendas, ſed tui ſuſtentationem, quæ eſt in tali vſu. Inde fiet vt omnibus vti queas licitis ac neceſſarijs, dum nō hæres nec quieſcis in ipſa delectatiōe) quæ ſubduci nō poteſt, propterea quod comitatur neceſſitatē) ſed contendis etiam interiorē hominem ab ipſa delectationis impuritate ſuſpendere, prorſus liberum ſeruare, videlicet hunc auertendo vt oblectamenti imaginationem non recipiat, aut quaſi alibi occupatus non aduertat, aut ilico (ſi aduerterit) à memoria abigat. Hoc modo ego benignisſimus creator veſter, q nihil vobis inuideo, nullo creaturarum vſu offendor: quandoquidem non in creatura, tametſi naturalis non poſſit non ſentiri delectatio, ſed in me creatore veſtro quieſcitur. Diſtant enī interuallo longiſſimo, re quę delectat, hoc eſt cuius ſentitur delectatio, propter neceſſitatem vti, & propter delectationem vti. Obſeruāda eſt etiā, maxime cuſto-

dia humilitatis, ne quicq̃ tuis viribus præſumas, nihil tuo labori aut induſtriæ aut vigilantiæ aſſcribas, nihil volũtati quamlibet bonæ tribuas, ſed totũ gratię meæ. Quocirca niſi docta cognoueris cunctis viribus ſudoribus atq; conatib⁹ tuis diffidere, niſi ſenſeris ne vnum quidem vitiũ poſſe extirpare, & ne minimum quid virtutis ex te poſſe adipiſci ſine gratia mea & auxilio ſingulari, fruſtra expendis omnes conatus tuos.

Quod ratione debemus regi ac præueniri.

EX his liquet omĩbus, quomodo actus, ſermones, cogitationes, affectus, motus, intẽtiones ac ſimul om̃ia quæ in te verſantur, quę te ingrediuntur aut egrediũtur, debes vigilanter perſpicere, obſeruare, examinare, frenareq; ac regere, vt omnia ſingulaq; ratio pręueniat dirigatq;, nõ ipſa ſenſualitas. Vbicunq; em̃ te præuenerit ſenſualitas, vbicunq; (vt ſemper dominari geſtit) cœperit iubere, gubernareve, neceſſe eſt multa confeſtim ſequi & mala & incõmoda. Quamobrem ratione (vt dixi) debes vigilare,

lare, ratione debes tibiipſi imperare, vt velis vbi volendū, nolis vbi eſt nolendum. Ratione debes quoſcunq; motus tuos inſurgentes vitioſos reprimere. Ratione debes naturalia tua regere, ſenſusq; tuos frenare, ne ſine diſciplina, praua libertate corrumpantur. Ratione deniq; debes linguæ tuæ vim inferre, atq; à verbis quæ nō ædificant proximū, aut quæ non ad meam gloriam proferūtur, te cohibere. Memor eſto quòd dixerim de omni verbo ocioſo rationem reddendam. & deſine nugari, deſine iocari, deſine fabulas referre atq; rumores, deſine alijs cachinnos excitare, deſine & te in cachinnos ſoluere, aut in riſum multum ac immodeſtū effundere. Vbi ratio aut neceſſitas dictauerit, loquendū eſt: verū id parcè & modeſtis verbis, quantū attinet ad neceſſitatem: idq; benignè, leniter, humiliter, atq; cum dulcedine quadam cordis & ſerenitate vultus, abſcindendo diu loquēdi aut in ſermone euagandi occaſionē. Cum nemine litem moueas aut rixam, cū nemine diſputes aut cōtendas. Cum quæ veritatis ſunt dixeris, in aliorū ſit optione credere, recipere

aut reſpuere. Tuum nõ ſit propugnare, præſertim vbi nihil (ſi nõ creditur) eſt periculi. Sine vt homines quæcunq; velint ſentiant, maxime de te. Tu mecũ pacẽ habe, & quantum in te fuerit cum omnibus hominibus. Cura vt nulli ſis ſcandalo, nulli turbationis efficiaris occaſio. Si ex officio, vel conſcientia aliũ cogeris docere aut corripere, id facito nõ cum iracũdia, non cũ ſupercilio, nõ animo turbato, ſed in animi tranquillitate, prudenter aduertẽdo tẽporis & loci opportunitatem, atq; alias conditiones in te & in illo, vt tunc quãdo maxime ſperatur ei erudi io profutura aut correptio, loquaris ei. Correptionẽ præcedere debet frequens aſſiduaq; ad me pro errante fratre oratio, præmeditataq; circumſpectio dicendorũ. Hoc modo debes oculis, auribus, ac ſingulis ſenſibus tuis legẽ indicare, atq; eos vi coërcere; ne videndi, audiendi, ſentiendiq; curioſitate illecta, ruas in cordis inquietudines atq; diſtractiones. Valde etenim cor cuſtodiendum eſt ab euagatione, ab inſtabilitate, à multiplicitate, à ſolicitudine, atq; id multo maximè in diuinis. Tempus q; omne ſumma

ma vigilantia atq́ ſtudio in mei honorē, & vt animæ lucrū aliquod creſcat, expendendum, nec vllo pacto inaniter tranſigēdum eſt. Cæterum, vt omniū ceu caput ac ſummam recipias, quæ pro obtinenda puritate atq́ perfectione cordis debeas obſeruare, breuiter & paucis multa dicam: Abſtractam ab omni homine vitam, & quantū potes, quantūve ſtatus id tuus admittit, ſolitariā elige. Deinde vt ab hominibus, ita ab occupationibus quoq́ ac implicationibus animi, à curis, à locutionibus non neceſſarijs, atq́ prorſus à cunctis mundi negocijs totā te ſerues alienam, vt mihi ſola in humilitate & ſilētio cordis ac oris vacare queas. Senſuum oblectamenta præter neceſſitatis & infirmitatis caſum omnia execrare. Annitere ad puritatē habendam cordis, pro qua obtinenda ſenſus tuos om̄es ſub diſciplina clauſos, & cordis oſtiū habeas omni vigilantia cuſtoditū, ne intret quod afficiat, quod perturbet, quod inquinet aut fatiget. Propterea conari debes ad hoc maximè, vt intellectū à formis imaginibusq́ nudo, affectuq́ ab omni vitioſo prorſus inclinatione purgato,

gato, ab omniq́ꝫ creatura libero, & ſpiritu
collecto & adunato, ad me totam te conuer
tas, tota mihi inhæreas, tota in me requieſ-
cas, ſupergrediens omnē creaturam, & me
ſolum cōtinue præſentem, indeſinēter aman
tem & vbiq́ꝫ te videntē intuens, teipſum ob
liuiſcens, neſciens: & me ſolū, hoc eſt, glo-
riam meam, beneplacitū meū ſitiens atq́ꝫ in
omnibus quærens, illudq́ꝫ de manu mea in
cunctis quæ tibi occurrunt, cum pleniſſima
ac abyſſali tuiipſius abnegatione ac relictio
ne, cum perfectiſſima humilitate, mititate,
patientia & gratiarū actione recipiens. Hic
ſit ſcopus tuus ò filia, in quem & propter
quem externa quæuis corporis exercitia,
puta vigiliarū, ieiuniorum, & id genus mul
ta, quatenus ad hunc finem accedunt, qua-
tenus cordis puritatem iuuāt ac promouēt,
adſumas. Quia vero in eodem ſtatu diu ne
mo permanet, quandocunq́ꝫ & quotieſcunq́ꝫ
ab hoc ſtatu te ſenſeris excidiſſe, non aliter
ut reuertaris debes ſatagere, ac ſi animę tuę
s foret adempta. Sicut enim nauta amiſ-
.uo, aut cum remos fluminis abſtulerit
impetus, nō quieſcit donęc recuperet quo

diri

dirigat nauem: ſic tu quoq;, tametſi centies ab hac propoſiti tui integritate excideris quotidie, nihiloſecius vires reſumendo atq; propoſitum reſtaurando, toties reuertaris. Atq; ideo omni in loco omniq; tēpore, auribus tuis hæc vox inſonet: Filia, intro ad me redeas. Hæc eſt myſtica theologia, quā pater meus à mundi abſcondit ſapientibus, & reuelat eam paruulis. Hāc ego ſupremus omnium doctor cordibus à mūdo, à ſeipſo ab omni deniq; creatura euacuatis, ſolus in ſcribo. Pro hac gemitibus inceſſabilibus filia ad me clama, hanc profundiſſima humilitate deſydera, hanc in ſilentio & tranquillitate, hanc cum plena fiducia & ſpiritus fortitudine longanimiter expecta.

Quomodo ſeruetur puritas cordis.

PRo ſeruanda itaq; puritate cordis filia, non hoc ſolū eſt neceſſariū, vt (quod audiſti) ab occupationibus, cogitationibus, curis, ſolicitudinibus, affectionibus tum inordinatis, tū inutilibus exuta ſis, ſed vt exercitiū habeas quo erga me ſancte occuperis: & quicqd cor tuū intrare aut poſſi

dere molitur, excludas. Habeas igitur meditationes, aſpirationes, orationes ſanctas, quibus poſt lectionẽ cor tuũ mihi cuſtodias, quibus feruenter & ſæpius illud mihi coniungas. Placet mihi ſuper omnia paſſionis meæ meditatio, in vulnera mea deuotio, & matris meę veneratio. Ibi meditare quoq; quid tibi deſit, ora longanimiter vt tibi detur, expecta cõfidenter donec recipias. Quapropter exercitiũ hoc quod in vulnera mea offeras, quo pro peccatis tuis & omnibus ſupplices, virtutes petas, mihiq; gratias agendo atq; amando inhæreas, aſſume. Gratia mea & pax tecum.

INSTITVTIO SVCcincta, cũ exercitio pro felici morte.

SIcut nihil eſt quod amorẽ mundi tibi magis reddere poſſit inſipidum ô anima, quodq; adeo ſui & omniũ creaturarũ tibi contemptum inducat felicem, quomodo breuiſſimæ vitæ tuæ, mortisq; certiſſimæ (quæ omnes conatus, omnes honores, omnes vo-

lupta

luptates, cogitatus, deſyderia, ac gaudia tua vniuerſa peribunt)conſideratio:ita nihil eſt quod amantem animam maiori afficiat gaudio, q̃ quod credat ſperetq́ꝫ ſe mihi ſociari, mihiq́ꝫ coniungi & in me abſorberi: vbi nulla poſt hac ſit offenſa, nullū delictū, nulla ſeparatio, nullum periculum, nihil timoris, nihil doloris: vbi charitate plena ſemper me laudet, ſemper magnificet, perfectiſſime mihi obediens, perfectiſſime placens, ſitq́ꝫ mecum vbi nihil deſyderet, nihil amet, nihil ſentiat aliud præterq̃ me, vbi tota me poſſideat & à me tota poſſideatur. Hæc quia tibi contingere nō poſſunt ſtabiliter in hac vita: ſed tunc ſolum quando fueris mecum in regno meo, quando videlicet omnia deſyderia tua ſatiabuntur & laudandi & amandi me & quando ego ero omnia in omnibus, idcirco iuſte petis, iuſteq́ꝫ ex toto corde deſyderas in oratione quam tibi tradidi, Adueniat regnum tuum. Itaq́ꝫ ſi me recte amares filia, ſi fortiter, ſi æſtuanter: toto corde hoc regnum, hoc eſt hunc ſtatū deſyderabis, ad hunc ſuſpirās orabis; videlicet vt adueniat regnū meū, in quo mihi amore ſuauiſſimo

vniaris

vniaris, tota in me liquefacta & abſorpta. Et quia, vt dixi, hoc non fiet niſi poſt mortem, ideo ſanctis meis mors (quæ eſt ianua atque introitus ad vitam) eſt in deſyderio, & vita in patientia. Hinc vides quod nihil timeat mortē anima me perfectè amans. Quid enim habet amittere cum hac miſera infelici vita huiuſmodi anima, niſi peccandi ſtatū, delictorum laqueos, ruinarū occaſiones, inimicorum fraudes, propriā fragilitatē, timores aliaque innumera quæ animam vel ignorantem vel infirmā, vel tepidam (vt corporis pericula hic taceam) & propterea ſemper nutantem atque inſtabilem coanguſtant? Multa hic vult anima quæ nō deberet, aut quę etiā neſcit ſe velle. Multa vult quæ nō poteſt. In multis anima eſt ignara, cæca, & ambulans inter laqueos aut in tenebris, vnde ſe neſcit extricare. Quomodo nō meritò optaret, quomodo nō iam gauderet, ſe ab his triſtitijs atque periculis liberari? Quid itaque ò anima iam times, quid nō deſyderas mortē? Quid enim mali tibi adfert mors? Si nihil in hoc mundo amas, nihil tibi mors tollere poteſt. Si aliquid mundi amas, cū periculo

imò

imò ipſum tuum periculũ amas. Ante igi-
tur mortẽ, amare deſine, ne timere habeas
mortem. Porrò ſi me ſolũ in hac vita amas,
gaude quia morieris, & nõ niſi moriens aſſe
queris quod amas. Verũ ſcio quid times:
nihil quidem in hoc mundo diligis, nihil
quod amittere aut nolis, aut doleas, poſſi-
des: anguſtat tamen te formido & pauor, qa
neſcis amore an odio digna ſis, neſcis quo-
modo à me ſis excipienda, ad requiem an
ad pœnam. Nihil horum filia debes ſcire,
imò ne expedit quidem. Sta, licet timeas, in
ſpe & fiducia & viuens & moriens erga me.
Non potes ex te bene viuere, & non potes
ex te bene mori. Vtrunq; habes ex me.
Quomodo ſi tibi dedero bene viuere, nõ
dabo etiam bene ac feliciter mori? Cum
igitur omnia habeas ex me, cum omnia ex
me expectes, quomodo vnum ſperas aliud
deſperas? Ex te neque bene viuere neque
bene mori potes. Confide igitur in me, ia-
cta cogitatum tuum in me, proijce omnem
timorem & ſolicitudinem tuam in me. Si-
cut nulli potes tentationi reſiſtere, nullum
euadere peccatum viuens, ita nec moriens.
Si vi

Si viuentem te non derelinquo, ſi tentatio‑
nem fideliter prçuenio ac moderor in vita
vt poſſis ſuſtinere, ita idipſum facio in mor
te. Nunq̃ tuis armis vadis in prælium, ſed
innitendo ſuper me. Si innixa fueris ſuper
me, ego pugnabo pro te. Porrò me pugnan
te ac propugnante, quid habes timere, quæ
nihil es ex te? Cæterum de cōditione ac ge
nere mortis nihil hæreas. Nullū eſt genus
moriendi quod nocere poſſit iuſto. Iuſtus
enim quacunq; fuerit præoccupatus morte,
in refrigerio erit. Nihil itaq; apud te referat
domi an foris, in lecto an in agro moriaris:
nihil itē formidandū eſt, naturalis ſit mors
an violenta quæ te extinguit. Nam ſi mor
tis genus aliud alio felicius eſſet, infeliciſſi‑
mi fuiſſent plane omnes ſancti mei, quorū
maxima olim pars iuxta mundi iudicium,
atq; in oculis carnis, infeliciſſime hac vita
eſſent defuncti. Quis enim ſanctorum mar
tyrum naturali atq; matura morte conſum‑
ptus eſt? Quem violentia crucis, eculei,
ignis, gladii ve non extinxit? Nihil igitur
tibi oberit ſiue peſte, ſiue apoplexia, ſiue alio
genere mortis, in lecto, in campóve moria

ris. Vigila tantũ in fide,ſpe ac charitate inueniaris, & nulla tibi mors nocebit aut ſepultura. Verum enimuero quia tibi loquẽs ad eos quoq; loquor qui adhuc in meo ſunt amore imperfecti,hoc vobis omnibus conſulo vt innocentiam diligatis,malũ odiatis. Si peccaſti,quæcunq; es anima,quieſce. Dole & pœnite ꝙ peccaueris quamdiu viuis. Verũ ita pœnite (ſi fructuoſam tibi optas pœnitẽtiam) vt ad peccata peccandi ve ſtatum nõ denuo reuertaris. Semper mortem expecta, & ad hanc quaſi iam morituram te para. Verum ne ſpiritu adhuc infirmis deſit inſtitutio aliqua pia, qua fulciti diſcãt aliquando mori, plura ijs adijciam. Principio igitur meminiſſe debes ꝙ Apoſtolus meus dicat, & res ipſa loquatur, vos hic manentẽ non habere ciuitatẽ, ſed futuram inquirere, ad quam hic in mundo haud aliter atque in itinere peregrini ambulatis. Finitur autem peregrinatio veſtra, dum conſumitur vita veſtra. Itaq; mors ipſa vltima linea rerũ, mediat inter exiliũ in quo eſtis, & patriam ad quam pergitis, adeo vt nõ ſit alia porta, per quam de hac valle peregrinationis egrediamini

mini, & patriam intretis, niſi per mortē. Certiſſima igitur vos manet mors, quemadmō dum certiſſimus vobis conſtitutus eſt vitę veſtrę finis. Sed hoc intereſt inter bonos & malos, ꝙ hic in peregrinatiōe mixti, oēs peregrinamini, omnes, quamuis nō recto itinere, ad patriā anhelatis beatam: oēs q̄ diu in itinere eſtis, etiā ſi hallucinamini, redire ad viam veram poteſtis. Cum verò ad itineris finē perueneritis, in porta ipſa (id eſt, in morte) diſcernimini, vt alij de exilio ad vitā, alij ad miſeriā & mortē eatis ſempiternam. Non igitur parū aduertendū eſt, non negligenti animo obſeruandū, quomodo ad mortē quis veniat. Ibi enim omnia poſt vos relinquitis, in quibus cōfidebatis. Sint diuitiæ, honores, amici, & vana alia quæcunq́: in morte nihil conducent vobis, ſed poſt vos illis relictis, ſoli ibitis ad dei tribunal, accepturi ſecundū opera veſtra. Quocirca quanta cęcitas, quāta eſt demētia, gaudere hic in itinere, amare caduca, quæ nihil proſunt, tēpus & bene viuendi occaſiones negligere, quaſi ſine deo in ſtupore & ariditate mentis, ſola quæ carnis ſunt ſapere, ad

exter

externa tantũ effluere, & ſtatũ interioris hominis, periculaq; nõ aduertere, ſicq; ad mortem venire? Heu q̃ innumeri hic fallũtur, q̃ illaqueantur mundi amore tot miſeri, q̃ inteliciter diaboli iugũ trahũt captiui. Et ſic inſperatè ad mortẽ veniũt, corde duri & obcęcati. Heu q̃ infelix eſt eorũ vitæ finis, apud quos nulla fuit meditatio mortis, nulla pręparatio ſalutis. Abijcienda igitur ſunt quæ ſpiritũ impediunt, carnem oblectant, relinquenda quæcunq; nõ expediunt, & ita vnicuiq; viuendũ omni hora, quaſi etiã eadem ſit vltima qua moriturus ad dei iudiciũ vadat. Conſilium igitur vtiliſſimum, vt eo viuas modo filia, quo non timeas mori. Nunc etiam, & ſi non continue, ſæpenumero tamen quaſi ante oculos præſto tibi debet eſſe hora illa, qua anima tua de corpore exitura, pro ſingulis operibus, verbis & cogitationibus iudicabitur. Idq; tibi nunc debes imperare, vt ita agas modo, ita parata inueniaris, quomodo paratam te optares inueniri, cũ mors adfuerit indubitata. Stultiſſimi & inſani cordis eſt, vitæ correctionẽ ad tempus illud differre, quando temporis

tibi finis inſtat, quando vltra viuendū non eſt, quando iam nō emendare, ſed emendata deo occurrere debes. Egredientem certe ex hac vita, non ſolū peccata, ſed cuncta etiam relinquunt. Non igitur peccata deſeruiſſe diceris, quando iam peccare vltra nō vales: ſed ſi dum peccare potes, à peccatis deſinis, vera pœnitēs iudicaberis. Et licet vera pœnitentia nunquā ſera dicenda ſit, hæc tamen quæ ad extrema vitę differtur, raro vera eſſe timetur. Nam ſi timore tantū damnationis iam iamq; moritura doles, pro periculi euaſiōe parata facere quicquid remedij cōſequi poſſes, non ex charitate doles, quia deū offendiſti, ſed ex priuato amore, quia tibi bene & non male optas. Doles enim quia tuis peccatis æternā damnationem tibi conſtituiſti. Quæ ſi recte doleres, ob hoc duntaxat doleres, quia mihi inobediens, mihi ingrata, mihi cōtumelioſa, mihi honorem & reuerentiam dignā nō exhibuiſti: quem te velle coluiſſe deberes, quomodocunq; etiam tibi euenerit. Iam vero quia propter te tantū doles: ſi tibi periculum abeſſet, aut vltio pro peccatis nulla foret, nihil lugeres, tametſi mille

mille annis me offendiſſes. Vera pœnitentia, quę animam mihi recōciliat, naſcitur ex charitate, & plangit hoc præcipue, ꝙ adeò ſæpe me optimum, maximū, pijſſimum, fidelisſimumq́ dominum deū, creatorem & redemptorem ſuum contempſit atq; offendit. Inde (inquam) cor eius vulneratur, ꝙ tam ingrata, tam inobediēs, tamq́ ſuperba (cum ſit puluis & nihil) cōtra me ſe erexit. Quiſquis igitur bene ac feliciter deſyderat mori, ſobrie, iuſte ac piè (vt Apoſtolus meus monet) viuat. Bonā ac iuſtam vitā nō ſequitur mala mors, ſed pręcioſa eſt in cōſpectu meo mors ſanctorū meorū, quocunq; etiā genere moriēdi (hoc eſt, ſiue in aquis, ſiue in ignibus ſiue in lecto) hac luce defungātur. Ad pręparationē autē mortis (cuius meditatio tota eſt vita ſapientis) ſume hic exercitiū quoddam breue, quo ſe quiſq; admoneat, vt in ſtatu tali quo nō timeat mori, ſatagat inueniri.

Monita ſalubria ad bene moriendum.

QVicquid moriens optares te egiſſe hoc age modo. Quicquid factum

eſſe volueris, hoc alijs non committe poſt mortẽ tuam faciendũ, ſed tuipſe fac. Si em̃ in tua ſalute tuipſe negligẽs fueris tibi atq; infidelis, quomodo alieni tuam felicitatem curabunt? Noli ſuper incertis ſperare & vanis promiſſis, nec dubijs euẽtibus te cõmittas: viue & ſic age, vt ſis in conſcientia tua tranquilla, & quaſi hodie moritura. Nunq̃ eas dormitum quin huius diei curſum, vitæq; tuæ conditionem actusq; expenderis. Diſcute & in iudiciũ voca cor tuum, & omnes ſenſus tuos, & meliórne deteriórve facta ſis hoc die, perquire. Nunquam ea conſcientia eas dormitum, qua nõ auderes mori. Si inuenis te in eo ſtatu quo timeas, perquire huius timoris cauſam. Nam fortaſſe peccata in te ſunt, quorũ necdum pœnituiſti, aut renuis confiteri, aut à peccatis & peccatorũ occaſionibus abſtinere recuſas, aut in officio ſeu conditiõe aliqua viuis, quam auerſor, aut in odio, aut iniuſta rerũ poſſeſſione perſeueras, aut temporaliũ cupiditati, ſiue voluptati nimium innexa, aut creaturę cuiuſpiam amore illicito capta, aut terrenorum atq; viſibilium (puta honoris & diuitiarum)

rum) oblectatiõe merſa, te cõuertere nõ vales ad me, nihil eorũ quæ ſpũs ſunt ſapiens, ſed ad exteriora tantum effuſa & diuina nauſeans, mortẽ ideo formidas, quia mala ſibi conſcia mens tua poſt mortẽ ſibi prænũciat futura tormẽta. Quicquid horum in te fuerit, execrari, perſequi, & quanto potes niſu liberam te facere debes. Ad hoc iuuat mea veſtigia & crucem amplecti, atq; rigore animi ſanctoq; odio cõtra te aſſumpto bellum vitijs omnibus indicere, voluntatẽ nõ peccandi ſtatuere, ſæpenumeroq; ac infatigabiliter eandem renouare, nulla infirmitate aut puſillanimitate deijci, mea & ſanctorũ exempla contẽplari, orationibus & exhortationibus bonorũ ſe cõmendare, inſpirationibus internis ac bonis acquieſcere, orationi ac lectioni ſacræ incũbere, ocia nunq̃ admittere, & ſilentiũ atq; ſolitudinẽ amare. Hæc & huiuſmodi immutãt animi prauitatẽ, & depellunt moriendi formidinem. Ad cuiuslibet diei finem cum perueneris dic tibiipſi: Iam ad vnum diem breuior facta eſt vita mea. Mane cum ſurgis, dic: O pie deus, iam ad noctem vnam morti ſum vicinior.

Exercitium quo mane, aut quandocunq; volueris, deo effundas cor tuū pro bona morte.

OMnipotēs ęterne deus, creator & amator deus, laudo, adoro & benedico te, quòd in peccatis & ingratitudinibus meis adeo miſericorditer ac longanimiter me toleraſti vſq; ad hāc horā, ad quam beneficijs tuis me perduxiſti, vitam & vitæ neceſſaria, angelicamq; cuſtodiā mihi conferens indigno & contumelioſo. Ah pie deus, quis ſcit ſi ad veſperam mihi viuendi terminus prorogabitur? O quam mortē ego ſortiar? Miſericordiſſime domine deus & pater, da mihi cōtritionem qua ex toto corde meo peccata mea & quòd te offenderim, defleam. Et non ſinas animam meam de corpore egredi, niſi per miſericordiam tuam ſit tibi reconciliata, per gratiam tuā adoptata, tuis meritis atq; virtutibus ornata, charitate perfectiſſima inflammata, & ſecundū omne beneplacitum tuum tibi accepta. Clementiſſime domine Ieſu Chriſte, ſi tibi quod deſiderio placet, da mihi, licet indigniſſimus ſim exaudiri, da

mihi

mihi(quæſo)in hac vita à peccatis meis omnibus per miſerationes tuas infinitas,& per tuæ paſſionis merita purgari, vt moriẽs ex vehementi & vera contritiõe cõpunctus,& ardẽtiſſima charitate tibi vnitus,emigrẽ ad te dulciſſimũ redemptorẽ meũ, ab omni damnatione ac purgatiõe alia immediate liber atq; ſecurus. Nihilominus offero atq; reſigno me tibi, amantiſſime Ieſu, ſecundum omne beneplacitũ tuum ad agendum & patiendũ pro gloria tua: hoc vnũ orãs, vt memor ſis fragilitatis, vilitatis, inſtabilitatis atq; miſeriæ meæ,ſimulq; bonitatis & charitatis tuæ, vt nunq̃ derelinquas me neq; recedas à me ſed totũ ſemperq; tu regas & poſſideas me ſecundũ beneplacitũ tuũ. Amen.

Oblatio Chriſti & meritorum eius ad patrem.

OMnipotens clementiſſime pater, oẽs pœnas & dolores, opprobria, verbera & conuitia, omnes aduerſitates, incõmoda & labores vnigeniti tui Ieſu Chriſti, agni immaculati quę in corpore ſuo ſuſtinuit propter me, omnes etiam actus & ſingula mem

bra eius propter me afflicta, ſanguinem eius propter me fuſum & pedibus conculcatum, animam quoq; eius nobiliſſimam & pijſſimã propter me à dilecto corpore ſeparatã, vir tutes etiam & merita eius infinita. Item vires animæ & corporis eius, & omnia in eo vitalia propter me in mortem tradita, & nihilominus inſeparabiliter diuinitati vnita: imò Chriſtum totũ, benedictum filiũ tuum, deum & hominem, omnipotentem & infirmum, deſpectũ & glorioſum, miracula faciẽtem & in cruce pẽdentem, tibi offero in expiationem & ſatiſfactionem omniũ peccatorum meorum atq; totius mundi, & in mortificationem atq; extinctionẽ malarũ omniũ paſſionũ, affectionũ ac vitiorũ meorũ, in ſuppletionẽ omniũ negligẽtiarum mearũ, & in laudem & gratiarũ actionem omniũ beneficiorũ tuorũ. Deus propicius eſto mihi miſerrimo peccatori propter illum. Miſerere mei ob amorẽ Ieſu Chriſti dilecti filij tui.

SVnt qui velut prçſentem mortẽ quotannis ſibi exercitio quodã præfigunt, ſeq; nõ aliter atq; ſi iam forẽt morituri, ad mortem parãt, idq; ad quinq; dies continuos.

nuos. Prima die meditantur pœnas atq; infirmitates mortē præcedētes, atq; horrorem mortis, ad quæ omnia ſe reſignant. Altera die de peccatis ſuis cogitant, illa tanta diligentia atq; ſedulitate confitendo, ac ſi poſt confeſſionē ſtatim forent morituri. Itaq; illā diem gemitibus & fletibus tranſigūt. Tertia die ad ſacrā euchariſtiā, quaſi viaticum pro exitu huius exilij ſumētes, quanto poſſunt feruore accedūt. Quarta die pro vnctione ſancti ſpiritus, qua illuminētur atq; emolliatur cordis ſui duritia, deū rogāt aſſidue. Et hoc faciunt quaſi pro extrema vnctione. Quinta die deo feruētiſſime ſupplicāt pro morte ſpirituali, qua mūdo & ſibiipſis perfectè moriātur, viuāt autē deo. Singulis autē his diebus poſſunt applicari pſalmi & orationes cōgruè, necnō inuocationes ſanctorum, & tandem gratiarū actio pro omnibus beneficijs à deo per totam vitam collatis.

Conſiliū tēpore mortis inſtantis.

Filia in infirmitate conſtituta, præpara animam tuā deo, de bonis tuis tēporalibus in vita tua ſic ordina atq; ſtatue,

vt poſt

vt poſt mortẽ tuam nec lis nec querimonia naſcatur. Vtiliſſimũ eſt bona in vita agere, & miſericordiæ operibus, dum viuis, peccata redimere. Quæcunq; alijs pro te faciẽda cõmittere vis, per teipſum perficere ſtude. Nam ſi moriens in æternũ iueris ſupplicium, teſtamenti tui apparatus, põpa funeralis, atq; eleemoſynæ ac ſacrificia poſt mortem, quid conferẽt dãnato? Hæc mihi dum viuis ſacrifica, vt non ſolũ à peccatis libereris, ſed etiam in gratia mea creſcendo, ad damnationẽ non peruenias, ſed à peccatis me præſeruante, in bonis operibus ad finẽ vſq; perſeueres. Morte accedente, fac vt à curis & occupationibus alijs tunc prorſus libera, mihi ſtudeas immaculata, deſyderabunda, & fiducia plena occurrere, nihil de tuis operibus, ſed de mea miſericordia infallibili ſalutẽ tibi promittens: atq; in hac fide & teipſam & vniuerſa quæ in mundo ſunt, prouidentię ac beneplacito meo cõmittens. Sacramẽta humiliter atq; deuotè ſuſcipias. Indulgentias quoq; quę ex meis meritis habent virtutẽ, & Eccleſiæ pro theſauro à me datæ ſunt, tametſi multi illis ſæpe, ſicut & ſan

ſanctiſſimis quibuſq; alijs, abuſi ſint, ſi habe re potes, tibi facias applicari. Hoc enim & valde ſancti vtriuſq; ſexus homines, ijq; mi raculis celebres, fecerunt.

Exercitiū quo infirmus ſuſpirijs at gemitibus (quia aliud vix poteſt) deo ſe reſignet, atq; vt eidem coniungi mereatur, feruenter deſyderet.

O Amator fideliſſime, miſericordiſſime dñe Ieſu Chriſte, da mihi vt ex corde & animo ſentiam q̄ dico: Quēadmo dum deſyderat ceruus ad fontes aquarū, ita deſyderat anima mea ad te deus. Elegi abie ctus eſſe in domo dei magis, q̄ habitare in tabernaculis peccatorū. Beati qui habitāt in domo tua dñe, in ſecula ſeculorum lauda bunt te. Sitiuit anima mea ad te deus, quan do veniā & apparebo ante faciē tuam? Qua re triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in deo, quoniā adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & deus meus. Illu ſtra faciē tuam ſuper ſeruū tuū, ſaluū me fac in miſericordia tua dñe, non confundar in æternū, quoniā inuocaui te. Deus ne elon-

geris

getis à me,deus meus in auxiliũ meũ reſpi ce. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Tu es refugiũ meũ à tribulatione quę circũdedit me:exultatio mea,erue me à circũdantibus me. Intende in adiutorium meũ dñe deus ſalutis meæ. Quoniam fortitudo mea & refugiũ meũ es tu, adiutor meus & protector meus. Ne igitur derelinquas me,neque deſpicias me deus ſalutaris meus. Ecce venio ad te,quẽ deſpexi & offendi deus meus,quia miſericordia tua plena eſt omnis terra. Ad miſericordiſſimũ igitur te patrẽ confugio. Suſcipe me ſecundũ eloquium tuũ(quo dicis: Nolo mortẽ peccatoris)& viuam,& nõ cõfundas me ab expectatione mea. Pro vita tẽporali nõ rogo deus meus,ſed te qui es vita æterna,in animam meã inuoco. Heu dulcis amator,heu dñe deus meus,ꝙ vnq̃ te offendi, ꝙ tuas inſpirationes & monita neglexi,ꝙ vnquam aliud præter te, aut extra te amaui,pro hoc doleo domine deus:atq; vtinã des mihi vt ex toto corde meo doleam,& lugeã per omnia momẽta vitæ meæ. Vtinam omnes ſanguinis mei guttas cum lachrymis prę dolore &

re & amore in ſuauiſſimũ cor tuũ tibi funde re & offerre poſſem. Dulcis Ieſu neq; vitã neq; mortẽ, ſed tuum beneplacitũ deſydero & expecto, fiat mihi ſecundum voluntatem tuam. Si vis vt moriar dulcis Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum: & licet ad veſperam vene rim omnium nouiſſimus, da mihi vt tecum & in te requiem accipiam ſempiternã. Si ve ro vis vt diutius viuam, dulcis Ieſu, hoc propono & pro hoc gratiæ tuæ ſuffragium rogo, reliquum vitæ meæ corrigere, atq; in holocauſtum tibi totum offerre in gloriam tuam, & ſecundum beneplacitum tuum. O deſyderabiliſſime Ieſu, quia vitam meam in peccatis conſumpſi ad contumeliam tui no minis glorioſi, nec tibi hactenus ſeruire cœ pi, da mihi vt vel nunc perfectè incipiam, & omnes vires animæ & corporis mei, om neq; reſiduum tempus mihi abs te conce dendum, in gloriam & ſecundum optimam ac perfectiſſimam voluntatem tuam expen dam. Miſericordiſſime Ieſu, adeſto mihi propitius in his pœnis ac miſerijs, quibus teneor: & ſi quæ grauiores ſuper me vene rint, quia & grauiora & grauiſſima com

merui

meruí peccatis meis, fac vt patientiſſime to lerem. Dulcis Ieſu, ſi nihil vnquã deliquiſſem, aut nihil mali apud te cõmeruiſſem, nihilonimus ad gloriã tuam & in tui amorem ac beneplacitum, in has & in quas libet alias pœnas me tibi pro tua volũtate offero atq; reſigno, non in mea virtute, ſed in miſericordiarum tuarum multitudine quibus innitor, & quas inuoco, vt fragilitatem carnis meæ, puſillanimitatemq; ac inſtabilitatem ſpiritus mei tua virtute erigas, longanimitate conſortes, ac patientia robores, vt nulla aduerſitate aut tentatione victus ſuccumbam, nulla puſillanimitate deficiam: ſed amoris tui æſtuantiſſimo incendio abſorptus, ad te ſolum ſuſpirem, ad te ſitiẽti corde anhelem, te ſolum cogitem, te ſolũ deſiderem, & mundum cũ vniuerſis quæ in eo ſunt relinquã, faſtidiam & contemnam: tibi vero pro omnibus & lætis & triſtibus ex toto corde gratias agam. Amabiliſſime Ieſu, te eligo, te opto, te deſydero, tibi occurro, atq; omni quod tu non es abrenũcio: quicquid vis, volo, quicquid nõ vis, nolo: quicquid execraris, aduerſor. Et ſi aliud huic voluntati contrarium

mihi

mihi vnq̃ inciderit,rogo te deus meus,non imputes mihi:neq; ſecundū illam, ſed ſecundum hanc animi mei electionē iudices me. Quia & omnibus quæ nolle debeo,cõtradico: & ſi etiam (quod miſericordia tua auertat) poſt hac victus conſentirem, nūc tamē execror. Amabiliſſime Ieſu, ſi tibi placet & ad gloriam tuam fuerit,da mihi in hac vita à peccatis & pœnis omnibus (in quæ poſt mortē alioqui venire deberem, aut quibus obnoxius eſſem) præſeruari, vt animā meā per manus miſericordiæ tuæ immediatè de hac vita ad gaudia recipias ſempiterna.

Dn̄e Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritū meū, &c.

Proteſtatio,ſeu teſtamentū quoddam,Chriſtiano cuilibet, iamiam morituro, vel dictu, vel cogitatu non inutile.

IN nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ego N. infelix peccator,redemptus precioſiſſimo ſanguine domini noſtri Ieſu Chriſti, idq; per magnā ipſius erga me dilectionem,non meum meritū, fateor & agnoſco

publice vel chirographo hoc vel verbis his,coram omnipotente deo,corā omnium qui in cœlo ſunt exercitu, coramq́ꝫ vobis quotquot hic vt teſtes (ſi res exegerit) circunſtatis, ꝙ ego ſum ac mori volo vere obediens ſanctæ eccleſiæ catholicæ filius, quemadmodum ſyncere Chriſtianū decet. Credoq́ꝫ & fateor generatim om̃es & ſingulas partes ſeu articulos fidei Chriſtianæ,qui bus credendis vnuſquiſq́ꝫ Chriſti fidelis ob noxius eſt:præcipue vniuerſas particulas in duodecim articulis fidei Chriſtianæ vel aperte expreſſas, vel rationabiliter incluſas, ſecundum quod à ſpiritu ſancto per duodecim apoſtolos veritate euangelica nobis tra diti ſunt. Hæc credo & adhęreo illorum interpretationibus,ſiue declarationibus,non quorumuis aut quibuſuis, ſed ijs quæ per ſanctos patres editæ, à ſanctiſſimis Concilijs receptæ, admiſſæ, approbatæ confirmatæq́ꝫ ſunt. Et vt breuiter dicam,credo quicquid vere Chriſtianus credere debet. In hac tam immobili tamq́ꝫ firma fide gaudeo ego ex toto corde mori, tenens ac offerens hanc aſcripturam in manibus meis tanq̃ mu

nitiſſimum

nitiſſimum & inuictiſſimum, aduerſus om̃es inſultus, inſidias ac fraudes diaboli, ſcutum. Et ſi (quod deus auertat) fieret vt ego impugnatione diaboli aut violentia ægritudinis quidq̃ aduerſus prædicta cogitarem, loquerer, facerem, aut in aliquid perfidiæ diffidentiæ ſeu deſperatiõis caderẽ, hoc qualecunq; futurum eſſet, reuoco hic nũc in veſtra omnium præſentia, tamq; irritum facio, q̃ facerem ſi cõpos mentis eſſem. Propter hoc appello vos oẽs quicunq; hic præſentes eſtis, teq; ſancte Angele, cuius cuſtodiæ ego traditus ſum, vt huius proteſtationis corã omnipotente iudice teſtimoniũ feratis. Quod vero in me eſt, ignoſco & remitto om̃es iniurias mihi quomodocunq; irrogatas, idipſum petẽs mihi fieri ab his quos vel verbis vel factis vnq̃ offendi. Petoq; & ex toto corde deſydero particeps fieri omniũ bonorũ operũ, quę à ſanctis hoibus per totã eccleſiã vel facta ſunt hactenus, vel adhuc fiẽt: pręcipue autẽ amariſſimę paſſiõis & innocẽtiſſimę mortis dñi nr̃i Ieſu Chriſti. Et mea naturalis ac volũtaria mors, ſit pro omnibus peccatis meis. Adq; vtinã neq; cõtra deum,

neq; contra leges eius, neq; contra ſuperiores, neq; cõtra proximũ aut meipſum vnq̃ peccaſſem. Poſtremo gratias ago omnipotenti deo pro omnibus beneficijs ipſius mihi exhibitis, cõmendoq́; corpus & animam in manus eius, & in amaritudinem paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, cui laus & honor & dignitas in perpetuum. Amen.

D. Dionyſij Carthuſiani, de iudicio mortis, & varijs eiuſdẽ caſibus, Elegia.

ORtum quæq; ſuum repetũt, terramq́; ſequuntur, (cadunt.
Flos fluit, vmbra fugit, omnia nata
Nil reputo longũ dubius q̃d termin⁹ augit,
Craſtina fortè dies eſt mihi ſola dies.
Eſt breuis illa dies hodie, quia forte dierũ
Eſt mihi meta dies, heu metuenda dies.
Atq; horrẽda dies, q̃ tũc mihi meta merẽdi
Clauditur, illa dies læta'ne dira dies.
Proh, quicũq; dies ſibi lõgos ęſtimat, errat:
Nulli eſt tota dies viuere tuta dies.
Fruſtrà dico dies fit, mentio nulla dierum,
Cum ſtet nulla dies vna nec hora quies.
Vt placet in longũ vitæ ſpem tẽporis auge,

Ex ni

Ex nihilo nihilum mox erit atq; nihil.
Mille fuere viri, milleni, millia mille,
Corpus humo putruit, ncic fama caret.
Sed ſupeſt meritis mercedē ſumere dignā,
Optima pro meritis & vitioſa pati.
Aſpice iudiciū metuendum, iudice tanto,
Qui notat & veniet illa tremenda dies.
Ergo time, metue, te cōſtrue, dirige mentē,
Viue mori præſto, debita ferre para.

Venerabili in Chriſto matri ac dominę, cunctisq; virginibus ordinis Pręmōſtratenſis in Hensberch deo dicatis, Ioannes Lanſpergius, Carthuſianorū circa Iuliacum Prior, gratiam optat & pacem.

NEminem adeò deſipere exiſtimo virgines deo deuotę, vt alloquiū hoc pijſſimi Ieſu nomine inſcriptum, ore Ieſu, vel dum mortalē hic in terris nobiſcū ageret vitam, habitū putet: ſed tam glorioſo propterea titulo inſignitum libellū, q̄ eruditionē eam quæ reuera ſit Ieſu (vt inſpiratio eius diuina nobis quotidie teſtatur) cōtineat: quæ non modo

cordibus inſtincta ſentitur, verũetiam literis hic ſcripta legitur, quaſi ore aut per epiſtolam nobis loqui deus videtur. Excitatur autem ad auſcultandum obtemperandumq́ mẽs humana eo vehementius, quo iam non quaſi ab homine, ſed à deo (cuius eſt) hanc recipit ſentitq́ eruditionẽ. Quis enim dubitet eruditionem vel quãlibet tanto plus conferre lectori, tantoq́ ſuadere efficatius, quanto maiori in prętio habetur is qui docet? Cum igitur optatiſſimũ nobis ſit Chriſti ſpiritu ſingulorũ qui hęc lecturi ſunt corda illuſtrari, ſuademus omnibus (quo ſe ſpiritu hoc dignum quiſq; efficiat) hęc nõ noſtro, ſed Chriſti nomine legi. Habet enĩ ſpiritus noſtri tarditas q̃ diu ſacco hoc corporeo circundamur, vt per ſenſibilia & affectui humano magis familiaria ſuadeatur, excitetur, promoueaturq́; in deũ. Eam obrem puto varia in diuino cultu ceremonias, organa, miniſteria, ornatumq́ in tẽplis multiplicẽ, eccleſia receperit: cui pręterea non deſunt imagines (eadẽ ratione) Chriſti & ſanctorum, corã quibus ſuã in deũ plebs deuota exerceat pietatẽ, quas tranſiens dũ aliud

cogitat, admoneatur aut beneficia Chriſti accepta recolere,aut quę intuetur ſanctitatis exemplaria imitari,aut certe ad deum ſe con uertendo ſuæ deuotionis cultum nō ligno aut lapidi,ſed ei cuius eſt imago,impēdere. Licet namq; non ignoretur,quā videmus, Chriſti tantū imaginem non Chriſtū eſſe, orantis tamen deuotio nō aliter imaginem veneratur atq; eū cuius eſt imago: quādoquidem animus eius nō in ipſam tūc fertur imaginem, ſed in eū cui locata eſt imago. Ad hūc modū ſub nomine hic Ieſu epiſtola ſiue alloquia hæc legātur: non quę à Ieſu ſcripta dicta've ſunt, ſed tanq̄ à Ieſu ſcripta ſint: cum reuera quicquid hic docetur,quotidie interna loquutione ſua, animæ piæ ceu ſponſæ ſuæ etiā Chriſtus inſpiret. Vos ergo Chriſto dicatæ virgines, vos animæ quæcunq; deo deuotæ,poſthabitis ſeculi rumuſculis, ſpretis etiā vanis prophaniſq; tum literis tum ſermonibus, tanquam ſponſæ Chriſti veſtri, alloquia hæc, quæ ſecreto inſtinctu ſi aduertitis, in cor veſtrum omni tempore loquitur, legite. Hic nanq; legitis, quorum admonemini intus, ſi modo in-

trouertere vos & auſcultare velletis. eſt enĩ in his recte, pie, abſtracteq́; in deo viuendi canon, ad vitam internã, ſpiritualemq́; erudiens. Hæc enim ſanctæ congregationi veſtrę & ſcribere & dedicare volui, imitatus B. patris noſtri Dionyſij Rudemundeñ. viri non minus ſanctitate q̃ eruditione clari, pietatem: qui ſuo etiam æuo multa ad virgines deo dicatas, præcipue autem ad veſtrum ſacrum conuentum, ſcripſit. Cuiuſmodi ſunt: De profeſſione monialium, De mortificatione viuifica & reformatione interna, De profectu ſpirituali, & cuſtodia cordis: tametſi ipſe quoq; ſępenumero expertus ſim veſtrã in me humanitatem. Itaq; cum nihil magis ametis q̃ caſtæ piæq; eruditionis vobis aliquid inferri (propterea enim deo deuotos omnes, qui habent eruditionis aliquid, ſtudioſius colitis) huic deſyderio veſtro vt ſatiſfiat, ſatius puto ſuadeoq́; vt ab hominibus cogitatio veſtra trãsferatur ad deum: illius igitur eruditionem flagitate, & in his alloquijs tanq̃ in epiſtola putate Chriſtum vobis loqui. Valete.

Ieſu Chriſti ad animam ſibi deuotam epiſtola ſiue alloqa, quę nõ aliud atquè diuinæ ſunt inſpirationes, quæ homini ſui cognitionem infundunt, atq; ad veræ pietatis perfectionem inſtituunt.

IEſus Chriſtus omnium ſaluator, rex cœli & terræ, paratus inter amplexus ſuſcipere pater nos, omes qui ad gratiã ſuam anhelãt in veritate, ſponſæ ſuæ animæ videlicet amanti (pro qua ſibi cõiungenda vltro ſe obtulit in mortem) felicitatem veram. Prædilecta filia, per ſecretã inſpirationẽ tibi ad cor loqui ſæpenumero ſoleo, ſed meos tu audire diſſimulas inſtinctus. Proinde cum alloquutioni meæ minus reſpondere minus q̃ hanc videris obſeruare, ad ſcribendum tibi iugẽs me tui compellit amor, vt vel legendo meã recipias admonitionem, quam negligis auſcultando. Neq; enim aliud omittere pro ſalute tua charitas ipſa me ſinit, quæ me ſemel coëgit, vt pro te me totum exponerem. Et q̃uis amori meo tu nequaquã reſpondeas, quippe cuius cor

ad externa,caduca,tranſitoriaq; inclinatum, creaturis nimium afficitur, nimiumq; adhæret: ego tamē charitatem qua te complector (quæ profecto omnium parentū dilectione eſt maior) non poſſum diſſimulare, qui non ſolum gratiā & amicitiā meā tibi offero,ſed etiam ſponſam te habere cupiēs, potioribus bonis indies, ſi tu modo volueris, te ditabo. Quod autem viſitationes meas minus obſeruas, minus auſcultas inſtinctus, inde tibi vſu venit, quia nimiū à teipſa quoq; digreſſa, neq; damna tua ſentis, neq; teipſam vides. Quare etiam quāto teipſam nō plangis, tanto es vehementius plangenda. Quid dicā filia? Magiſtra deberes eſſe animarum, & vita tua correctio errantiū, odor famæ tuæ lāguentiū eſſe deberet medicina: verba tua quaſi edax ignis audientiū deberent inflāmare corda: at modo ipſa tu circa infantilia & inania languens,rerum multitudine occupata, paſſiōibus quoq; noxijs non dum exuta, diſtractum habes cor,imaginibus alienis tam fœdatū q̄ pictū. Amor proprius, cui niſi mortua fueris thalamū meū non ingredieris,adhuc in te viget. Quamobrem

obrem quæ alios docere debueras, ipſa tu eges vt docearis. Non hæc ſcribẽs te à me repello, ſed quo digreſſa ſis cõmonefacio, te quoque ipſam vt pericula damnaq́ tua animaduertas, cupio: & inde vt reuertaris nõ ſolum inuito, ſed ſtimulũ etiam adijcio. Vbicunq; fueris qcquid egeris, quocunq; te receperis non auertetur à te oculus meus ſcrutans & intelligens oẽs conatus, oẽs motus, omnes deniq; intẽtiones cordis tui. In qbus ſi quãdo infidelitatis quippiã erga me cõperio fideliſſimũ, offendor iuſteq́ iraſcor: quippe qui pro ſalute tua adeo multa improperia, cõuitia, moleſtias pœnasq́, tam deſyderanter q̃ patienter, pertuli. Quis enim filia chariſſima tot tantaq́ opprobria (vt pœnas taccã & dolores) pro, amico ſuſtineret? Ego vero cum tu adhuc inimica eſſes, cũ boni aliquid necdũ feciſſes, quãdo adhuc me neque diligebas neq; cognoſcebas, imò quæ nondũ eras, te amabã, & pro te grauia innumera patiebar. Quid à me auerteris? Quid extra me pacẽ quęris? Infirma es & vaga. Si ego te deſero, quis te requiret? quis tui medebitur? Heu filia, quid fruſtra deciperis?

Quo-

Quocunq; te verteris, vbicunq; fixeris animum non inuenies pacem, non gaudium, non requiem, præterq̃ in me. Decipiunt te ſenſus tui, fallunt amatores tui, & te ipſam tu quoque fallis, quæ antidotum reſpuis, & amas venenũ. Heu filia, heu ſponſa mea, noui pulchra, phalerata, vana, male ſuauia (quæ erga te tum amorẽ, tum fidelitatẽ mentiuntur) quã ſæpe ſenſus tuos illiciant, affectum trahant, quã ſæpe etiam tibi imponant & te mihi ſubducant. O dilecta filia memẽto te ſponſam, & aliud cordi tuo nihil amãdum quã ſponſum tuũ: nihil deſyderãdum quàm vt in oculis ſponſi pulchra ſis, placeasq; & ameris. Ego ſto te deſyderans & expectans. Vtinã redeas ad cor, & ab his vanis aduerſa inſudes deuotioni, operã des humilitati, vt ego familiarioribus te digner alloquijs & potioribus caſtioribusq; delitijs te viſitẽ. Ego nõ operũ requiro multitudinem, ſed caſtũ, fidele & purum cor, quod me & nõ ſeipſum quærat. ego deſydero ſyncerum amorẽ, feruentem deuotionẽ. i. promptam ac vltro currentem voluntatẽ in mei cultũ & obſequiũ, & ſyncerã puramq; in omnibus

nibus mihi placendi intentionem. Ego cor tuum purũ & ab omni amore alieno liberũ opto, quod ſi mihi dares, ego conſolationibus ac donis longe maioribus te dotarem quanta'ne petere quidẽ tu auderes, vel capere poſſes. Spõſus ſum equidẽ verecundus: quare alienis nihilq́; proficuis rebus occupatam, accedere nõ præſumo. Solã igitur te inueniã neceſſe eſt. Quid quod infirmus ad oſtium tuũ ſto pulſans & algore tremoreq́; concutior, vtpote à colũna paulo ante ſolutus, in qua pro tui amore ligatus cedebar & vulnerabar, vt me cordi tuo imprimã vulneratum, vt brachijs amoris tui amplexus, te mihi aſtringam, vt deniq; vulneribus meis adhuc amore æſtuantibus te calefaciam? O ſi me ſponſum agnoſceres, ſi me amares: nõne in cor tuum non ſolum cito, verũetiam expectabunda introduceres, nudũ veſtires, frigidum calefaceres, vt caſtiſſimos mei iterum amoris amplexus, vt ſynceriſſimũ ſpiritus mei guſtum experiri digna fieres? Quàm delectaret me quod certã firmamq́; in me haberes fiduciã, eſſe mecũ tam deſyderares tu, q̃ ego cupio eſſe tecum, quandoquidem

quidem delitiæ meæ ſunt, eſſe cum filijs ho minum. Inde namq; fortitudo tibi accreſce ret ſpiritus, & vera dulcedo mentis. Verum hæc confidentia non ſtat niſi cum tua ipſius diffidentia, quam vtranq; parit monile præcioſiſſimũ paupertas ſpũs. Verũ ſcio quid ab hoc bono te remoratur: Stomachus tuus mundi amore infectus, tanto corripitur frigore, vt cibum animæ tuæ verbum dei, faſtidias ac nauſeas: quod tamẽ, ſi virtutis cupias incrementum, ad ſpiritũ roborandum auide eſſet ſumendũ, dirigendum & in te retinendum. At cibo frigido mũdanæ cõuerſationis & vanitatis repleta, meam iuſtitiam eſurire non potes. Propterea neq; deuotionem neq; pietatem ſpirãtia te afficiunt. Simplicitas tibi faſtidio eſt, meditatio ſancta temporis æſtimatur perditio. Terrenis grauata affectio ad me non poteſt aſcendere. Mox enim, & ſi ſtimulum adhibueris, in terrena relabitur. Ita fit vt corde diſperſo, ſpiritu inſtabili, mente vaga, affectu terrenis inuiſcato, & vigiliæ amaræ & ſomnus ducatur inquietus. Inter hęc inſipiens ò filia, cõquereris quod ſine conſolatione mea

arida

arida ſis & ſterilis. Si id mea prouidentia,& citra tuam negligentiam tibi (vt alijs multis amicis meis) eueniret,non eſſet profecto cur huiuſmodi ſenſibilis gratiæ meæ derelictio te perturbare deberet. Cum vero nunc tua acedia ſit tuaq; negligentia,vt ariditate ſterili elangueas: neceſſe eſt ſi meam conſolationem expetis, ſi meam cupis viſitationem,ſi mihi deſyderas cõiungi,vt omnibus ijs quæ extra me delectant poſthabitis,mihi ſoli vaces,ſtudioſa quærens quæ ſit voluntas mea beneplacens & perfecta: & hanc zelando ne in vlla creatura non perficiatur,omnem operam,omnesq́; vires tuas debes expendere. Porrò in hoc tu mihi ſoli placere, mihi ſoli ſatagas inhærere. Inde meam ſenties præſentiam frequẽtiorem, ex qua ſpiritus nonnunq̃ experieris ebrietatem, conſcientiæ lætitiam, pacem cordis, & contemplationis dulciſſimæ ſoporem. O ſi in eam ſemel fores introducta cellam vinariam, proculdubio ſitibũda hanc ſæpius ferventiusq́; requireres. Verum hanc intrare nemo valet niſi cui ego deſyderatiſſimus, chariſſimus ac pręcioſiſſimus ſum, cui omnia

omnia in omnibus ſum, qui extra me nullam conſolationē noſcit, & conſolatiōe mea indignum ſe iudicat, imò qui iniuriam putat ſibi fieri quando à me conſolationem ſentit, nec aduerſitatem minus æquanimiter à me quā conſolationem recipit, cui extra me omne gaudium eſt tormentū, qui totum animum ſuū in me repoſuit, & in me ſolo quieſcit. Qui huiuſmodi ſunt, amici mei electi ſunt, ad quos libere pulſo, libēter ingredior, quibus me hilariter offero, & ſecreta mea reuelo. Hos multifarie viſitare ſoleo, quomodo deuotioni ac amori eorum cōgruit excitando. Nonnunquam totum vulneratum, nudum ac omnibus dilaceratum membris, me illorū infero cordibus, & quo maiorem amoris ſui ſentiant conſolationem, vulnera mea illis tangenda, lauanda, tergenda, oſculanda fouēdaq; præbeo: quorum in hoc deuotio (licet mundi amicis, quia incognita eſt, ridicula videatur) mihi eſt acceptiſſima & ſibi proficua, adeo vt dolorum meorum quæ pertuli, ſimulq; delictorum eiuſmodi ſponſæ tunc immemor, illi conſolandæ ac illuminandæ duntaxat animum intendam.

Inter

Inter hæc autem pro lucro computo, tametſi nullius egeam, vbi tantã comperio in ſponſa mea fidelitatẽ, vt omnibus, ſeq; habeat me chariorem. Verũ quantũ fidelitas mihi accepta, tantùm ingratitudo eſt mihi odioſa, omniũq; longe moleſtiſſima, vtpote, paſſionis meæ dolores & animi anguſtias, quantũ in ſe eſt renouans, cũ fruſtra impenſum ſentio, quicquid immenſa charitate laboraui. Propterea ſiue exterior ſiue interior tibi ſuperuenerit tribulatio, nõ ad externas conſolatiũculas recurras, ſed in omniũ preſſura confugias ad me, nec hominibus, ſed mihi conquærendo, dolorem tuũ inſinues. Quid enim homines tibi conferũt niſi verba? Si patrẽ habes ſpiritualẽ, aut confeſſorẽ, non prohibeo, ſed moneo, vt cordis tui ſecreta illi expandas, & ſecundũ conſiliũ eius te dirigas, non vt paſſioni impatiẽtiæ ſatiſfaciens, leuamẽ externũ quæras, aut quæ pateris corã alijs iactes. Mihi ergo quod hominibus cõqueri velles in ſilẽtio dicas, te & omĩa tua mihi cõmittas, eſto tu libera & ſine ſolicitudine, & tu mihi crede, & pacẽ bonã, non tamen ſemper quemadmodũ tu quæris aut

putas,conſolationemq́ in me inuenies,hãc videlicet quæ conformet te maxime voluntati meæ. O ſi per experientiam docta aſſue factaq́ eſſes in ſingulis quæ in hoc te mundo anguſtant ad me ſolum reſpicere,ad me confugere, in me longanimiter ſperare,ſuper me inniti, ſimulq́ intelligere quam paterno,quamq́ amanti corde aduerſitates tibi vtiliter mitto,nulla fieret tribulatio quam non obuijs manibus deſyderantiſſime exciperes,&omni gaudio conſolationi've etiam ſpirituali præterres. Et ſi nihil emolumenti aliud inde emanaret ſpiritui, hoc tamen ad eius recreationẽ & gaudium ſufficeret,quod in ſe meam ſentit impleri voluntatem. Semper fidelem animam magis conſolatur mea voluntas,ſi illa fiat, quàm ſua vtilitas, licet nunquàm ſine maxima animæ vtilitate ſit mea voluntas. Confert autem inter aduerſa non mediocriter ſeruandę cordis tranquillitatem, ante oculos tuos vitæ meæ actus & paſſiones conſtituere, eorundemq́ imaginem viuam vbiq́ præſentem intra te ferre. Hæc enim ſi tibi fuerit impreſſa, dulcia faciet quæcunq́ amara. Itaq́ omni tempore pa-

re pa-

re paſſionem meam recole,& hoc à mecon tinue magnis gemitibus pete, vt vulnera mea & paſſionis meæ memoriam adeo potenter efficaciterq; cordi tuo imprimam, vt in loco & tempore compatientiſſimo corde me videas crucifixũ: & hæc imago omnes alias à corde tuo imagines excludat. Si hoc modo ab externis ad interiora rediens tecũ habitaueris, ſi me crucifixum intra te & dolores meos intuita fueris, ſi me omni pœna & amaritudine repletum, nulla etiam à patre conſolatione adiutũ audieris clamare: Hęli, Hæli &c. concipies meæ paſſionis virtute inflammata deſyderiũ imitandi me, patiendi pro me, & extra omnem conſolationẽ in contemptu & derelictione mihi ſeruiendi. Qui hoc animo mihi ſeruiunt, & ſola nuda charitate mihi cõiuncti ſunt, nullaq; alia intentione mihi perſeueranter inhærent fideles q̃ vt placeant mihi, habeamq; in eis plenam voluntatem meam: hi fideliſſimi & electiſſimi amici mei ſunt. In quacunq; etiam ariditate aut deſolatione videantur conſtituti, quibuſcunque tentationibus videantur obruti, etiam à me quaſi proiecti ac derelicti,

tamen reuera ſunt mei, quia militāt mihi ſti-pendijs ſuis propter me, & nō recedunt etiā percuſſi à me. Verū non ſemper ita relinquo eos: quia enim ſe nudauerūt affectibus, & de ſyderijs omnibus abrenūciauerunt propter me, & ſeipſos omnimodis reliquerūt, mihiq́; tradiderunt, ſubiecti omni beneplacito meo: non poſſum me continere, quin illis quoq; meipſum infundam impleamq́; eos, foueā, ac poſſideam conſolatione mea, quæ mūdana, quā contempſerunt, centuplo eſt melior, purior ac ſuauior. Hoc (vt ſæpe dixi & inculcare nō deſino) nō poteſt percipi ab his qui extra me peregrinas, quærunt aut recipiunt conſolatiões. Siquidē delicata valde eſt conſolatio mea, nec datur admittentibus alienā. Puriſſima eſt etiā, vnde conſolationi quæ ex creaturis tantū venit, non poteſt admiſceri. Sed cur hęc eadem penè toties cōmemoro? Nempe vt prudētior, vigilātior circunſpectiorq́; fias, & nō patiaris te irretiri fœdis terrenisq́; delectationibus, nec in mei obliuionem adduci: quandoquidē ego tui obliuiſci nequeo, tametſi, tua ſalus ex me, nō mea ex te pendeat. Ego te mecū eſſe cupio, & plena

mecum

mecum felicitate frui. Sed cur hoc (cū id cõtinuo poſſem) non facio? Profecto propter bonum tuum, vt creſcas virtutibus ac meritis ad maiorem animę tuæ profectū & ad maiorem gloriam: Omni namq; momento creſcere ditiorq; meritis fieri ex gratia mea potes. Quod cū ita ſit, q̃ inſipientes putas hi ſunt, quamq; plangendi, qui tempus nobiliſſimum gratię, non ſolum nõ ad honorē meum & ſuū profectū, ſed ad amorem etiam damnationis ſuę cumulū male viuēdo inſumunt? O vtinā ſcires quantum ſpiritu creſcere, quantumq; poſſes ex gratia mea q̃libet hora mereri: itemq; quam præcioſum ſit tempus, quā deniq; huius iactura damnabilis, maiori proculdubio id diligētia obſeruares ne tranſiret inaniter, ne'ue ſine fructu laberetur. Oriente ſole mane, noua etiam tibi oriretur exultatio, pro huius diei commodo & ſpacio mei colendi tibi donato. Cogita igitur omni hora & dic tibijpſi: hanc horam, hoc momentum, dominus amator mei mihi largitus eſt, & viuendi ſpacium hactenus prorogauit, vt vel nunc incipiam me ad illum conuertere, eiq; ſtudeam placere.

Filia omnino tibi ita ſemper videatur vt iam primo incipias,& quicquid ante feceris, quaſi nihil fuerit,cõtemne. Quæcunq; occaſio,quæcunq; aut occupatio, aut feria, aut aliud quodcunq; tibi euenerit, tracta quomodo id ad gloriã meam queas cõuertere, quomodoq; inde aliquid poſſis lucrari animæ tuæ. Verũ hæc ſatis. Hactenus em̃ excitaui te vt ab ijs vanis auerſa, clauſis portis ſenſuũ,& reuocato animo ad me redeas. Reliquũ eſt nũc etiã quaſi regulã pie viuẽdi(q̃ ſæpenumero me inſpirante deſyderare te didici)adijciã. Manet namq; hucuſq; in te verecũdia,quã probo,qua infirmitates,lapſus, errores negligentiasq; tuas audiẽs pudore contraheris,dolẽs quod tanto tẽpore,& etiã iam mihi ſpõſæ nomẽ indigne vſurpaueris. Verũ quia deſyderas mecũ redire in gratiã, nihil eſt quod magis ipſe quoq; deſyderẽ. Quod enim gaudiũ meũ aliud vobiſcũ,quã peccatores etiam quoslibet ad gratiam meã recipere? Quanto magis ſponſam meam, licet in vepribus oberrantem reuocare cupio. Adeo tui ſum deſyderãs, vt etiam iter quo me deinceps ſequi debeas,digner præſcribe

re,

re, Veni igitur ad me, & nouum mihi gaudium tuo reditu para.

Regula ſecundũ ſpiritũ viuẽdi.

ECce filia, quoniam aures incipis præbere & animum, pergam dicere quæ in te deſyderantur. Perſeuera igitur auſcultans, & tota iam ad me reuertere, parata mihi ad omnia obtẽperare. Nouum indue animum & quid abs te velim accipe, vbi virtus tua non ſufficit, ſuccurrat oratio: impetra quicquid tibi neceſſarium eſt orando, dic: Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuã, quia deus meus es tu. Ne derelinquas me dñe deus meus, ne diſceſſeris à me, neq; deſpicias me deus ſalutaris meus. Intende in adiutorium meum domine deus ſalutis meæ. Ecce redire cupio ad te. Trahe me poſt te, & ne permittas me vltra ſeparari aut auerti à te. Filia audi nunc quod cuidam ſeruorum meorum iam olim mandaueram: & idipſum tu quoq; ſeruandum amplectere. Dicebam illi: Compũctus ſileas humilis, mitisq́; ſerenus. Sic tibi (licet tunc minus valeat metrum:

at ego non metri menſurã, ſed animę tuę cupio adferre medelã)dicor: Compũcta ſileas, humilis,mitisq́;,ſerena. Hoc verſu ſummatim ſtrinxi quę tibi ſunt neceſſaria,vt & memoria faciliùs teneas,& ſæpiùs eadẽ recolas. Volo autẽ compunctioni ſanctæ,aſſiduæ, ac internæ conuerſationi vacare ſtudeas,& ab om̃ibus abſtracta,intra teipſam te cõtineas, maneasq́; tecum. Sileas igitur ore & corde mũdo.Humilis eſto ac mitis,& in omni conuerſatione tua erga quoſcunq; homines benigna atq; ſerena. Principio igitur teipſam diſcute,penitiſſimeq́; intuere, vt cognoſcas, quid in te ſit,quod gratiã meã impediat,hoc eſt,quid in te ſit, quod mihi diſpliceat, vt illud corrigas & auertas.Vide ad quæ & vnde tẽteris, vbi autẽ acriùs ſępiúsve tentaris, ibi maiori ſtudio ac vehemẽtiori conatu repugna:vbi infirmiorẽ te comperis,ibi remedia adhibeas validiora. Vnde delinquendi aut minus proficiẽdi ſentis occaſiones ſcandalum à te proſcinde.Annitere vt cor mundũm,liberũ,ac nullo ad creaturas amore inordinato infectũ, nihil cũ mundo occupatũ mihi offeras,mihiq́; ſoli ſemper inhęrere ſtudeas.

deas.Propterea enim ad compunctionis iuge ſtudiū te hortor, vt intra temetipſam te ſerues, quam tamen haud quaq̄ aſſequi potes, niſi collectum habeas animum, ſed ne hoc quidem obtinere vales, ſi non abſtractam internamq́ vitā duxeris. Quapropter obſerua in te vitia, concupiſcentias, inclinationesq́ malas, vt infatigabili ſtudio illa perſequaris, & deſyderijs, affectionibus inordinatis omnibus moriaris. Multi ad vitam ſpiritualem & contemplationē conqueruntur ſe ineptos, ſed in eorum negligentia atq; accdia agitur, quia volunt veteri homini vim inferre, vt moriantur concupiſcentijs ſuis, ſed fouent & palpant, diſſimulantesq́ in ſe perſequi deberent, ideo ſemper circunferunt onus laborum ac moleſtiarum plenum. Tu vero ſi me deſyderas, nullā pacem cum vitijs habeas. Abſcinde in te diſcurſus, curas, occupationesq́ inutiles omnes, atq; prorſus quicquid ad animæ tuæ profectum non ædificat, vt mecum ſolo, ſola occuperis, nusq̄ animum tuum intendas, nusq̄ implices niſi ad mei honorem & animæ tuæ, aut proximi vtilitatem.

Quomodo moriendum eſt deſyderijs & prauis inclinationibus.

RVmores nouitates, hiſtorias iocoſas, & quæcunq; compunctioni non ſeruiunt, ſed curioſum animum oblectant, & varijs imaginibus cor depictũ, infectumq; deſiderijs relinquunt: neq; legere neq; audire conſentias. Hominum ſeculariũ, id eſt, quæ mundi ſunt amantiũ, imò & cuiuſcunq; hominis familiaritatem, amorem ac conuerſationem ſingularem (cuius verba & actus te non ędificãt) fuge, & amori ſenſuali ad quãcunq; creaturam morere. Ventris tui ita ſis magiſtra vt ſola neceſſaria adminiſtres, idq; non pro guſtus oblectatione, ſed pro naturæ ſuſtẽtatione & propter me, hoc eſt, ne in ſeruitio meo viribus deficias. Porrò quę neceſſaria aut vtilia corpori non ſunt oblectamenta guſtus, præſertim vbi id ſine fraterna charitatis potes offenſione, nõ admittas. Hoc modo quæcunq; mollia, quæcunq; voluptuoſa, quæcunq; carni ſuauia (quantum diſcretio ipſa, quæ charitatem, infirmitates, oneraq; naturæ, & ſingula quæque proſpiciens

ciens moderatur, admittit) à te præſcindas, fugias, horreas, vbiq; in te perſequēdo concupiſcentiā, nō deſtruendo naturam. Nam quæ neceſſaria ſunt, & ſine delectatione tamē ſumi non poſſunt, in his ſatis eſt non quærere voluptatē, ſed propter me.i. vt obediatur mihi (qui corporis tui curam tibi cōmendaui) refocillare carnis infirmitatem, videlicet vt delectatio tanq̃ id quod non optatur quidem, ab eo tamē quod eſt humano vſui neceſſariū non poteſt ſeparari, propter ipſam neceſſitatem admittatur, non diligatur. Itaq; breuiter, ſenſus tuos omnes ita contineas vt ne moueant quidē ſe ad inutilia & ocioſa. Nihil velis videre, nihil tangere, nihil quæras ſentire, niſi vtilia animæ tuæ ad gloriam meam. In quibuſcunq; homo ſuū ſequitur appetitum, illi ſatiſfaciens ex proprietate, videlicet quia ita vult, ita deſyderat, ſiue id in cibi, potus, alteriúſve commodi naturalis, ſiue etiam in ſpiritualis conſolationis oblectatione contingat, non poteſt eſſe ſine delicto aut vitio, quia eſt ibi propria quæſitio, quæ facit mediū inter ipſum & me. Nihil igitur in te naſcatur, nihil foueatur ex priuato

ſolo

ſolo amore aut volũtate propria, quamlibet boni ſpeciem videatur habere: ſed moriaris oportet omni proprietati, vt nuda, ſola, puraq́ charitas caſtiſſimaq́ intentio mihi placendi ad om̃ia te excitet, moueat & impellat.

De cuſtodia linguæ.

LInguam tuam vigillantiſſime reſtringas, vt nihil niſi neceſſarium ac præmeditatum loquaris, idq́ pauciſſimis quam potes verbis, modeſte, benigne & ſine clamore, fugiens & abſcindens loquendi occaſiones quantum vales. Ab omni verbo pernicioſo, detractorio, murmuratorio, impudico, cõtentioſo, tanq̃ à mortali peccato abſtineas. Ab omni ioco, leuitate, cachinno, ab omni verbo ocioſo te vigilantiſſima cuſtodia cohibeas, ne videlicet ea loquaris, neq́ quantum in te eſt audias. Vt detractiõis vitium euadere queas, ſtatue de abſentibus nunq̃ loqui niſi quæ certa ſunt vt in animarũ ædificationem dicantur. Semper ideo ad manũ tibi ſit quo ſermonem interrũpens (ſi de abſentibus fiat loquutio) aliam materiã inferas loquendi, anteq̃ ad detractionis aut vituperationis

perationis verba laxentur linguæ. Obſeruа maxima diligentia, ne de ijs qui te offenderūnt, aut cōtra quos in corde nō perfectā ſentis dilectionē, loquaris aut patiaris quempiam loqui quia detractio ibi cito illabitur, dum alij ad conſolationem tuam loquūtur, tibi adulantes & offenſoribus obloquentes. Nullā itaq; prorſus accuſationē recipias aduerſus eos qui tibi inimicātur, aut quos tu aduerſaris. Stude igitur quātopere potes in ſilentio ſemper manere (ſilentiū dico, non ſolum oris, ſed & maxime cordis) vt concupiſcentiarū ſtrepitus, paſſionū clamor, malarum affectionū & inclinationū inordinatarū inquietudo in te non audiātur, nec tu cū fantaſijs, imaginibus rerumq; ſimilitudinibus intus loquaris, ſed in quiete & ſilentio quaſi in omniū rerū obliuiōe, aut extra mundum conſtituta, mihi ſoliloquere, me ſolū auſculta. Noli verbis vnquā contendere, nec ſenſum aut opinionem tuā defendere. Sine vnicuiq; iudiciū ſuum, vbi exhortatione trāquilla nihil profeceris. Non ergo diſceptes verbis, nec cogitationibus diſputes, ſed mihi omnia committe, & tu in ſilentio viue.

De

De vita abſtractiua.

FVge conſortia familiaritates q; hominum: & vbi aliter neceſſitas propter honorem meũ aut proximi ſalutem non vrget, eſto ſola. In ſolitudine me tibi reuelabo. Solitudo, ſilentiũ, nuditas & ſimplicitas cordis, præparant mihi locum. Serua igitur te abſtractam ab omnibus in ſilentio & ſolitudine cordis, inclinationibus proprijs, vagis cogitationibus ac deſyderijs aſſenſum atq; auditũ negans. Natura enim veſtra ſemper vult gaudere conſolatione, & nũc extra nũc intra occupatur, quærens ſolatia in creaturis, vnde multipliciter diſtrahitur. Tu igitur om̃ibus inclinatiõibus ſenſualibus vim inferas, & ſerua te ſolã, abſtractã ab om̃ibus creaturis, quantũ diſcretio, quantumq; obedientia & ad proximũ charitas admittit, ſemper in externa & interna ſolitudine manens. Cura quantum vales vt ad familiaritatum occaſionem etiam alijs nõ præbeas, quia nimis vitã impediunt ſpiritualem, quæ nunquam eſt liberior aptiorq; ad proficiẽdum, quàm ab hominibus occupationibusq; abſtracta

ſtracta. Vbicunq; tamen fueris, ſiue inter homines, ſiue ab hominibus ſequeſtrata, ſemper intus maneas mecū ſola, & ab omnibus creaturis, etiam à teipſa, id eſt, ab amore, cura, ſolicitudineq; priuata abſtracta. In mundo te ſolā puta relictā, nec ſupereſſe de quo habeas cogitare. De nulla creatura cogita aut tracta niſi mecum. Aliena ne diſcutias, nec animum tuum rebus implices alienis. Si bonum vides, maneat bonum & ædificet te: ſi malum, non iudices. Hominū loquutiones, actus & mores (quorum ſanctitas te non ædificat) non inueſtiges, non obſerues, non diſcutias, non iudices, imò neq; audire neq; cognoſcere cupias, ſed potius ſtudeas neſcire. Quæ ſi audieris (potiſſimū ſi charitatem in te lædi, aut bonam eorum famam in tua æſtimatione minui formides) mox à corde & memoria repellas.

De nemine iudicando.

DE nemine male ſentias, & ſi malun videres, cogitare tamen debes mali authorem occulta mea diſpenſatione ad maiorem ſibi conquirendā humilitatem & profe

ctum

ctum, permiſſum cadere. Et nō debes illum iudicare neq; ſpernere, ſed geme potius propter tuam ingratitudinem, quia ſola gratia te conſeruat quaſi violenta, ſine qua profundius quàm quiſpiam alius in mundo, caderes. Dic: Si iſte quantam ego recepiſſet gratiam, in maiori feruore ſtetiſſet deo ſeruiēs, & magis eſſet deo gratus q̃ ego. Cogita etiā quòd à me reſpectus, & mox pœnitēs emendabit, aut iam correctus eſt, & his qui illum ſpernunt ſanctior factus. Quapropter temeritati tuæ aſſcribe, ſeuere arguens te ipſam, quæ minus bene de proximo ſenſeris. Sub ſpecie zeli ſæpenúmero rancor, odium, amaritudo & inuidia ſe palliāt, vnde proximorū tunc nō ſolum defectus & negligentiæ grauiter accuſantur, ſed virtutes etiam vitia iudicantur, oculo liuore turbato. Summopere igitur caue cum iratus fueris proximū corripere, accuſare, aut de eius negligentijs loqui ſiue audire. Caue præterea tūc ipſum verbo aut ſigno pungere, confutare, contriſtare, aut ad humiliationem verecundiamq; illi ingerendā aliquid expoſtulare, ſeu quod reprehenſibilem notabilem've illum deprehenderis

henderis monſtrare. Et hoc maxime q̃ diu in corde tuo diſplicentia, amaritudo, aut turbatus inquietusq́ꝫ zelus aduerſus illum perſeuerat, & quam diu illũ negligentiæ apud alios cupis notari, quia illic nõ eſt charitatis zelus, neqꝫ intentionis ſynceritas. Quæ ſi forent, tunc triſtis & condolens fratris aut ſororis culpã apud alios excuſares ac tegeres. Quem etiam ſi tantũ haberet delictũ, clam non ſine cordis dolore corriperes, & ad me orationem amantiſſimo compatientiſſimoqꝫ corde pro eo funderes. O filia cogita potius quid tibi deſit, & quid ſponſam meã deceat, & circa aliena peccata eſto ſurda, muta ac cæca. Dic mihi filia, quomodo ſtaret puella pudica ante regem cuius & cognoſceret oculos in ſe cõtinue dirigi? Hoc modo cogita tu me vbiqꝫ præſentem & te ſtare ſemper in oculis meis. Animaduerte q̃ magna in te ſemper debeat eſſe verecundia, quanta vitæ innocentia, quanta deniqꝫ ad me reuerentia, qui omnes actus, cogitationes, affectus, verba, motus, intentiones, archanaq́ꝫ cordis tui ſemper intueor ac penetro. Nihil igitur audeas in oculis meis, quod in oculis magnæ

opinionis aut ſanctitatis viri nõ auderes. Semper enim prçſentiam omnipotentiſſimç maieſtatis meæ debes in oculis tuis habere, revereri & ſentire, quæ ad amorẽ & reuerentiam erga me tè excitet, vnde ſolicita in conſpectu meo ſis, quomodo in omnibus mihi placeas. Pacem tuã quam vbiq; deſyderas, non in ore hominũ, hoc eſt, quando nemo tibi cõtradicit, ſed in bona conſcientia & in me ponere debes. Porro appetitũ illum nimium in te quo deſyderas aut gaudes diligi, debes mortificare. Sine homines, homines eſſe: ſtude vt diligens, à me digna ſis amari. Ad proximũ iuſte viue, & illum in me dilige: Vtrum autẽ ab eo diligaris nec ne, mihi committe: & familiaritatẽ (præſertim in diſpari ſexu) hominum fuge. Si cura tibi eſſet tanta, aut ſaltem non minor placendi mihi, quanta eſt ne diſpliceas hominibus, gaudiũ in conſciẽtia tua conſequereris maius q̃ ſi totus mundus tuam amicitiam ambiret.

De conflictu contra vitia

ESto fortis ac prudens ad vincendas exuẽdasq; animæ tuæ defectus, quan

tumuis

tumuis paruos. Nihil enim(ſi me amas per fecte) exiguum tibi videri debet, quicquid me offenderit. Recordare primæ charitatis tuæ, qua factũ eſt olim vt parentes, fratres, ſorores, amicos, diuitias, honores, & quicqd mirari ſolet mundus, deinde etiam te, id eſt floridam iuuentutem, mei amore contẽpſeris & reliqueris. Quomodo ergo nunc leuiſſima tentatione & concupiſcentia vili ſuperaris? Noſti enim ipſa ad expugnãda vitia, ad animæ tuæ pericula cauenda, ad occaſiones irritamentaq́ delictorũ fugienda, ad abnegationem proprij ſenſus & propriæ voluntatis, ad emanãdos deniq; animæ tuæ defectus, quàm ſis infirma, quàm negligens plerunque & dura. Innoua igitur vt propoſitum firmum, ſtatuens in te omnia velle vitia perſequi, quicquid volũtati meæ contrarium eſt pro nulla re mũdi admittere. Nihil etiam eorum quæ mihi placent negligere, ſummo ſtudio & conatu quæ pro ſtatu tuo abs te exigunt & quorum es debitrix, non intermittere vel differre, ſed q̃primũ oportet ſtrenue, vigilanter, fideliter atq; deuote perficere. Quando igitur iræ, cõcupiſcen-

tiæ,luxuriæ,ſuperbię& huiuſmodi vitiorum motus in te deprehenderis, caue ne verba ſigna've externa erumpas, ſed id age vt renitendo,cohibēdo, vim illis inferas & extinguas. Præſentiſſimum contra omnia vitia remedium eſt, humilitate profunda ſe ante meos pedes in ſuæ nihileitatis cognitionē proijcere, tota ſe fiducia ad me conuertere, indeſinenter ad me orādo clamare,& quod nullum aliū ſuperſit ſibi auxilium aut remedium,quam à me, verecognoſcere. Sic omni hora te conforta & propoſitum tuū renoua, ſemperq́ꝫ uidearis tibi iam primum incipere. Quando ſenſualitatem aut naturam tuam tæduerit laborū pugnæ certaminisq́ꝫ, ac reliquorum quæ in virtutum exercitijs contraria ac moleſta ſibi occurrunt,quanto etiam ad hæc acedia remurmurauerit, tanto vehementius tu ad illas paſſiones vincendas mortificandasq́ꝫ inſiſte. Noli fatigari, noli ceſſare: ne gratiæ meæ quoq́ꝫ influxus in te ceſſet. Time ne ſi te victam dederis acediaq́ꝫ laſſeris, gratia mea deſerat te, easq́ꝫ in adinuentionibus tuis, deſyderijs in pace trāquilla ſeruiens: propterea quod à me iam de

relicta,

relicta, nullum ſentias conſcientiæ vermem, nec timoris remorſum. Qui eiuſmodi ſunt, in periculoſiſſimo ſtatu ſunt, quibus repente, cum dixerim pax, ſuperueniet interitus. Quapropter pugna tu viriliter, vim ipſi tibi facies. Opta vel ipſa pugna, vel hoc quantulocunq; grauamine, quantum in te fuerit, meis pœnis ac amaritudinibus, quas cũ viuens tum moriens pro te pertuli, vicẽ reddere. Itaq; noli ex conflictu tentationũ multarũ fatigari, noli cedere, noli tepeſcere, nec etiam puſillanimitati aut deſperatiõe vinci, ſed cõtinuo odio in te vitia cuncta perſequere. Quotieſcunq; autem à tuo vigore aut propoſito lapſa fueris, toties reſurge & à nouo propone. Aduerto in te quod & tibi nocet, & mihi diſplicet: Pro lapſibus & negligentijs tuis adeo nonnunq̃ puſillanimis efficeris, vt à cœpto bono propoſito vacillare incipias, & pene deſperare. Hinc ſedens ſola, tecum es triſtis & tabeſcẽs, nec reuerteris ad me clamãs vt reſurgas, quaſi omnia iam tua priora ſint perdita. Quo ſubindicas ſuperba, quod dum ſtare videbaris, in tuis viribus & tua induſtria nimium confidebas.

Vnde quia te ſpes tua fefellit, & quàm puta bas aliter accidit, in te perturbaris. Ego vo lo vt induſtria tua & viribus quidẽ vtaris, at de illis atq; de teipſa penitus deſperes. Proinde quãdiu aliter ſentis, ſępius es ruitu ra, donec diſcas quod ſteteris ſuper te ſicut ſuper baculo arundineo atq; contracto. De me autẽ nõ deſperes, ſed fortiſſima ſpe & cõ fidentia indeficienti ſuper me nitaris. De te vero hoc modo deſperes, nõ vt conſiliũ, in duſtriã, laborem, & cætera id genus tua abij cias aut deſeras, ſed vt illis quam maxime vtens, non tamen in illis ſtes, confidas aut gaudeas, nec tibi aut vigilãtiæ tuæ aliquid tribuas, quia tu & hęc oñia tua nõ ſufficient tibi ad minimũ vitiũ arcendũ, niſi mea tibi aſſiſtat virtus & gratia. Neq; tamẽ putes ti bi gratias, virtutes, dona celeremq; profe ctum, atq; omnẽ ſanctitatem pro vno gemi tu & conflictu tibi mox infundendã. Ego la borem tuũ, humiliationẽ tui, pugnãdi item aſſiduã fidelitatẽ abs te requiro, ſpem quoq; & fiduciam erga me, & inſuperabilem infati gabilemq; conſtantiam. Quæ cum omnia in te fuerint, non deſit quoq; profundiſſima

humili-

humilitas,qua veriſſima tuiipſius cognitio-
ne tuam nihileitatē agnoſcas,tuis laboribus
ac tuo feruori nihil tribuas, nihil te feciſſe
exiſtimes, ſed eſuriem quoque tuam iuſti-
tiæ, & reliqua omnia quæ facis mihi ſoli aſ-
ſcribas. Hæc niſi cognoueris, ſæpius labe-
ris, donec quid ex te, quid ex me ſis diſcas.
Fac igitur q̃cquid potes, exerce te pro vir-
tute quantū vales. Et cū om̃ia feceris,in q-
buſuis tamē remedijs,in q̃buslibet induſtrijs
extra me nō confide, ſed hoc ſpera, hoc ora,
hoc crede me tuæ vigilātię nunq̃ defuturū,
idq; non propter tua merita,ſed ex mea be-
neuolētia & charitate, vt qui tibi pugnādi
dederim voluntatem, conatum & induſtri-
am, quandoq; etiam tibi pugnæ tribuam co
ronam, triūphum & glorioſum finem. Pro-
inde ſiue ſis in pugna ſiue in quiete, quic-
quid ſtatuis quicquid incipis, quicquid eni-
teris, per orationem indeſinenter ad me cla
ma, ante fores miſericordiæ meæ expecta.
Nunquam inanis, nunq̃ vacua à me tua re
dibit oratio, quamlibet tu nihil recepiſſe te
ſentias, quia ſæpe plus prodeſt tibi humili-
ter ac inſtanter orare, q̃ recipere aut habere:

plus conducit tibi in me confidere & expe-ctare, quam ſentire aut poſſidere. Quapropter & in hoc eſto longanimis, atque in omni bono ſtudio ac boni amore creſcens, inter lapſus & reſurrectionem meum expectãdo patrocinium meamq́ue gratiã: nec à pugna diſcedendo vſque pugnandi etiam iam tempus tranſierit, & recipias laborum tuorũ glorioſum fructum. Cæterum, in hac vita quoque minuentur hoſtes, deficiet virtus te impugnantium, confortaberis mea gratia & pugnandi aſſiduitate, vt quę primo vix lima eraſeris, poſtea vno abigas flatu. Porro quod lapſus tuos attinet, hoc pro regula tene: Quotieſcunque & in quantoſcunque lapſa fueris defectus, confeſtim nulla interueniente mora ad me gemens confuge, mecũ te ante pedes meos plange, & mecũ & ſuper me nitens reſurge, hoc eſt, animum emendandi & deinceps continendi ab huiuſmodi defectu reſumens in virtute mea confide. Noui imbecillitatem humanã generalem, noui etiam tuam ſingularem, quàmque humanę ſit fragilitatis ſuccumbere, quemadmodum diabolicæ eſt prauitatis nolle ſtare, aut nolle reſurgere,

ſurgere, quippe quod nõ modo nullam admittit excuſationẽ, ſed maiorẽ etiam abſq; venia recipit damnationẽ. Nihil deſydero quam bonam voluntatẽ, nihil ditius bona volũtate. Quapropter ſi vires, aut facultas, aut tempus deeſt boni operandi, noli puſilla nimis fieri. Nam voluntas ipſa tunc ſufficit mihi. Cuſtodi bonam voluntatem ſemper: hac enim omnia ſupplere, hac omnia potes reſtaurare cum aliud nequis. Cum te putas longe à me eſſe, tunc ego ſum tibi vicinior. Tu igitur filia mea mox vt ſenſeris lapſus tuos, damna: & ad me currẽs ream te clama, & mihi aduerſus te conquerere. Inter contritionem tuã & veniam meã nulla intercedat mora, nullũ interueniet mediũ. Quid enim ad me reuerti cunctaris ò ſponſa? Salus tua non à me, ſed ad me fugiẽdo paratur. In quocunq; igitur magis offendiſſe, vbi ſæpius cecidiſſe, vbi plus deniq; à virtute te deprehenderis defeciſſe, ibi crebrius ad me clama, ibi frequentiori gemitu pro venia iuxta ac patrocinio ad me ſuſpira. Tentationibus quoq; nõ laſſeris, ſed ſemper renitere quantum potes, nec captiuam aut victam te illis

præbe. Quam diu reſiſtis non es ſuperata. Quicquid etiã ſentis, aut tolerare cogeris (ſi modo inuita, & vt dixi, renitens toleres) nõ tibi imputatur, qa nõ à te exquiro quid ſenſeris, ſed cui cõſenſeris. Sentire eſt quaſi in carne, conſentire verò in voluntate. Carni ac ſenſui vis quædam poteſt inferri, voluntas autẽ vt conſentiat nõ poteſt cogi. In tentatione duo ſunt: Vnũ ad quod tẽtaris, videlicet peccata & defectus, ijs nequaq̃ eſt cõſentiendũ, nec vlla reſignatio ad hæc habet locũ, ſed reſiſtendũ totis viribus. Aliud eſt labor, preſſura & aduerſitas quã ſuſtines reſiſtendo, & ad hanc reſignare te debes ad patiendũ, videlicet quã diu mihi placet, vt tenteris. Neq; enim mihi reſiſtere, ſed ſubijcere debes te: his vero quæ tibi tentatio ingerit, reſiſtere debes. Verũ ſcio, quid dicas: quia quę pateris, & vnde cor tuum affligitur non ignoro. Dicam igitur: quia tu dicere erubeſcis, vt ſimul etiã ex me confidas remediũ & conſolationẽ, te recepturã. Tentatio te præmit carnis, non modo quotidiana, ſed penè etiam momentanea. Huic continuè reſiſtere eſt tibi quidem moleſtum, ac graue, ſine

pugna

pugna vero euadere eſt impoſſibile. Deniq; cum diu etiam pugnaueris, vt putas, in conflictu non vulnerari, non minus eſt difficile quàm mirabile. Familiaris plane hoſtis, quem in omni loco circunferens, perimere non ſineris, ſed cogeris etiam nutrire. Huius varia ſunt tela, impugnatio multiplex, & inſultus violenti. Libidinum ardores, motus, pruritus, cōmotiones, cōcuſſiones, voluptates, & velut furię quędā infernales in carne à quibuſdā ſentiuntur. Ad hæc fantaſmata, imaginationes, delectationesq́; propemodū violentæ, cunctos pene ſenſus obſident. Porro cordis inſtabilitas lubricitasq́; eſt quorundam tanta, vt ipſo pene momento quo ſe ad repugnandum parant, iterum extra ſe mox abripiuntur, & quaſi ſuijpſius immemores, cogitant quæ iam cogitare nolebant. Inter hæc inquis, quis tutus euadet? Quis à delicto fugiet immunis? Profecto voluntas bona & humilis. Huic enim nulla poteſt violentia inferri. Sentias quicquid ſentias, caſtitas non polluitur niſi de conſenſu animæ, id eſt, quicquid in carne ſenſeris, non tibi pro peccato imputabitur,

ſi

ſi de conſenſu non fuerit animę. Adeo enim oportet eſſe voluntarium quicquid eſt peccatum, vt ſit etiam peccatum. Itaq; quantiſlibet tentationibus ſis obruta, quantumuis carne immerſa, ſenſibusq́; captiua, quicquid ſenſeris carni voluptuoſum, animū (hoc eſt, rationalem volūtatem) à conſenſu tene liberum, & nihil tibi nocebit. Reclama cum deteſtatione ſpiritus & execratione vocis, phy, phy, ego nolo, ego nolo. Conuertere quantum potes ad me vigoroſe, & breuiter dic ſępius: Deus meus adiuua me. Pie Ieſu, ego nolo, adiuua me. Porro ſi iam turpia nephādaq́; inciderint, noli propterea eſſe conſternata. Sicut incidit fac tu vt iterum excidat, per portam qua intrauit exeat, & nō ſolum exeat, ſed & ſi quid mali impuri've in te offenderit, ſecū educat, domumq́; tuam purgatam relinquat. Hoc autē fiet ſi profundè teipſam in tui cognitionē depreſſeris, & me ſolū plena fiducia profundaq́; humilitate inuocaueris, non parcens tibiipſi, nec hoſtes tuos perſequi deſiſtens. Hoc em̄ præſentiſſimū aduerſus oēm tentationē eſt remediū, vt quandocunq; inclinationē malam ſenſeris,

ris, quantocius tuam nihileitatẽ & impoſſibilitatẽ inſpicere, atq; ad me toto corde confugere, atq; protectionẽ & auxiliũ ex vulneribus meis (quæ hoſtis antiquus tremit) petere. Crede mihi filia, verſetur in carne, in ſenſualitate, in violenta cogitatione ac imaginatiõe quicquld verſatur, ſentiatur, quicquid ſentitur, quamdiu ratio ſuperior contradicit, quãdiu rationalis voluntas deliberata idipſum non eligit, nõ amiſiſti charitatem & gratiã meam. Hæc preſſura & anguſtia cordis quam in conflictu ſuſtines, quod plene adhuc nõ cõſenſeris, tibi indicio eſſe poteſt & conſolationi. Nam ſi conſentires in ea, id eſt, ſi ſponte ſentires ea quæ ſentis, ſi ſponte teneres cogitanda quæ incidunt, iam nõ ſentires illam preſſuram, pugnam, pugnæq; anguſtiam, ſed tranquillitatẽ & pacem multã. Filia, pro cõſolatione accipe ſimilitudinẽ: Si quis in duello capitur, vincitur, ligatur, aut etiã cęditur, licet ita arctetur vt ſuorũ nõ habeat membrorũ copiam, nõ det ſe autẽ victum ac captiuũ, ſed qua poteſt virtute renitatur, nec in hanc ſuã captiuitatem conſentiat, nõ dicitur victus aut ſuperatus.

peratus. Hoc modo à me nunꝗ victa iudicaberis, ſiue à carne ſiue à demone tēteris, niſi ſpiritu conſentias & repugnare deſiſtas. Multa habes ſentire, quibus tamen non debes conſentire, id eſt, quę ſponte ac libenter non debes ſentire. At moleſtū eſt inquis in conflictu ſemper pugnare, moleſtū eſt cupita negare, moleſtū eſt quæ delectant non cogitare, moleſtum eſt amata perſequi. Filia è duobus conſtas, carne videlicet & ſpiritu, ideo diuerſa etiā appetis. Porro quæ carnē delectant, moleſta ſunt ſpiritui. Si carne moleſtum eſt ſibiipſi vim inferre, ſi non poteſt ſeipſam odiſſe, ſpiritus regnet, ſpiritus imperet, & huic nō ſit moleſtū hoſtem ſuā, id eſt, carnem ſuā ſub iugo ac freno habere ſubiectam. Aſſiduitate tamē pugnādi quod eſt in principio graue, fit leue ac tolerabile. Quanto enim ſæpius hoſti reſtiteris, tanto tu eris fortior, ille vero imbecillior. Nunquid neſcis quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Certa igitur viriliter, & quanto fortius ſæpiusꝗ conflixeris, tāto ſemper facilius pugnabis. Adde quod ſicut tentatio, ita hæc pugna non ſemper erit.

Corona

Corona autem quæ vincẽti dabitur, tibi ma nebit æterna. Pro conditione acrioris pugnæ dabitur tibi & glorioſior corona victoriæ. Vnde tentata ſi viceris, habebis præmium duplex, quæ alioqui, id eſt non tentata, habitura fueras præmiũ ſimplex. Quanto præterea alicuius peccati tentatione plus fatigaris, tãto ſi non conſenſeris â peccatis purgaberis. Et quamuis in cõflictu eiuſmodi, dum tentatio grauis præſertim in carne, ſæuit, plura ſoleãt venialia (quæ veluti vulnera leuia pugnantibus inferuntur) cõmitti, nihilominus tamen pœna illa quæ toleratur (in ſuſtinendo pugnam, & reſiſtendo lethalibus vitijs) ediuerſo pœnã illam venialibus debitam, tollit. Charitas quoq; ipſa ad ius qua propter me pugnans, lethalia vulnera propulſas, & pro virtutibus certando laboras, non ſolum ſanat ipſa minora vulnera tua, verũetiam ea vertit tibi, dum tãdem perfecte viceris, in gloriam & in præmium: quemadmodum militis quoque acriter pugnantis, cicatrices vulnerũ quæ in agone pugnę vehemẽtioris accepit, ad gloriã poſt victoriã oſtentantur. Non igitur formides

ô filia

ò filia ſi pugnare diutius habeas,& tentatio diu vigeat. Si nõ preuales ſenſualitatẽ adeo ſubigere,vt ſit omnimodis ſubiecta rationi, ſemper tamen ei reſiſte,nunq̃ cede,nunq̃ pacem illi dimitte. Hæc pugna, hæc rixa reputabitur tibi à me pro victoria. Siquidem nõ ſolum viciſſe malũ, ſed etiam malo pro viribus reſtitiſſe bonũ eſt, imò nonnunq̃ prę clarius eſt ſiue vtilius,pugnam exercendo, diutius ſuſtinuiſſe inſultus hoſtiũ atq; certaminis laborem, q̃ cito præualuiſſe, præſertim dum mea id diſpenſatione agitur (qui optima quæq; ſemper vobis prouideo) nõ negligentia ac acedia veſtra. Attendo enim qui æquiſſimus ſapientiſſimusq; ſum, omnium militũ meorũ & laborem & virtutem, plurisq; æſtimo illorũ velle q̃ poſſe. Poſſe enim vincere ex meo eſt munere,velle vincere eſt ex veſtro arbitrio, nõ tamẽ id quoq; ſine gratia mea. Proinde licet vtrobique vt gratia mea concurrat neceſſe ſit,in velle tamen bonũ plus eſt de arbitrio veſtro q̃ in poſſe: quod ego pẽſans,magis ò filia probo quantũ velis q̃ quantũ poſſis. Dignum verò eſt ac iuſtũ,vt quę longius & laborio

ſius

ſius certaueris,præmium etiã copioſius accipias,& non ſolum præmium in futura vita,ſed hic etiam gratia pro gratia.

De fugienda occaſione tẽtationis.

SOlicitè tamẽ cauere debes,ne ipſa tibi tentationis aut ruinæ ſis occaſio,hoſti præbens anſam & vires, ex temetipſa. Quòd ne fiat, tentationũ irritamenta fuge, ſenſuũ euagationẽ cohibe, familiaritates & ſingulares amicitias in vtroq; ſexu (quas ſub ſpecie deuotionis, aut ſpiritualis amoris ſępenumero diabolus cõciliat)euita. Relinquũt enim plerũq; poſt ſe tẽtationes graues ſuſpicionũ,inquietudinum,diſtractionũ, aut ſcandala impatiẽtis amoris. Si hoſtis præ foribus tuis ſtaret, qui vitã tibi moliretur abripere,nunquid illũ intromitteres? Quomodo clauderes & prohiberes ingreſſum? Iam imagines,cogitationes affectiones ꝗ; carnales aut vitioſè nituntur intrare cor tuum, & animæ tuæ vitam extinguere,num intromittes eas? Noli eas admittere. Noli me expellere, ſed vi & cum deteſtatione illas abijce. Conuerte cor tuũ ad me, & ſi quid in carne

etiam tua ſentis inde cor tuum auerte. Abſtinentia & ſobrietate cibi & potus carnem laſciuientem affige: perſonarum, locorum, & quarumcunq; occaſionum acceſſus vnde te ſentis tentari, abſcinde. Et maxime caue ne ipſa tu membra tua des arma iniquitatis ad iniquitatem Atq; adeo vniuerſum corpus tuum ſub arcta diſciplina, ſub tantaq; modeſtia ac verecundia cohibe, vt pudicitiæ & caſtitatis zelo, vix audeas vel ſola manuum pedum'ue tuorum nuditatem videre aut contingere. Cæterum cogitationes immundas ac importunas, meditatione ſancta & imagine vitæ ac paſſionis meæ, veluti clauo clauem, expelle. Singularem enim præſtant virtutem vulnera & paſſionis meę cogitata. Nam ſi herbis lapidibusq; ac radicibus indidi virtutem expellendi morbos, quantam putas me vulneribus & paſſionibus meis tribuiſſe efficatiam morbos ſpirituales expellendi, animamq; ſanandi & ſanctificandi.

Quomodo ſpirituales tentationes ſint vincendæ.

SI quandoq; vt fit, cogitationes impuræ & fœdæ cõtra me aut ſanctos, item blaſphemiæ perfidiæq; tibi inciderint, noli perturbata amodo (modo cõſenſum animo deliberato non præſtiteris eis) puſillanimis fieri neq; pro confeſſione faciẽda de talibus anxiari. Habent enim plus triſtitiæ q̃ delectationis, & magis tu ea pateris quam agis. Ideo bonę menti, neq; ſunt formidanda neq; confitenda: his enim pia mens conſpuitur, non conſpuit. Et ideo eiuſmodi, quæ dcuo to cordi & ſponſæ meæ magnã quandoq; pariunt triſtitiam (videlicet ꝙ cogitur ſentire in corde ſuo volutari imaginationes ac cogitationes contra me, cuiuſmodi vel magni peccatores horrent) ſunt potius ad afflictionem & purgationem tibi, quàm ad inquinationem. Diabolus enim dum à cunctis videt te abſtractam ad me aſpirare, pacẽ tuam huiuſmodi fantaſijs, quę horribiles vidẽtur, perturbare nititur, & tui ad me coniunctionem impedire. Quare tempus quo maius eſt ſacrum, & quanto diuinis actibus vehementius inſiſtis, quantoq; ad me mentẽ tuã eleuare & mihi vnire contendis perfectius,

tanto ille quoq; ſe ingerunt imaginationes improbius ac importunius, diabolo vel etiã timore formidoloſo eas excitãte: quia q̃ primum quos horret ac timet, ilico ſentit hoc propter quod aut quod timet. Timor enim ac puſillanimitas excitat ac parit imaginatiõnem eius quod timetur. Hęc tamen etiã excitat diabolus, vt dum his conaris reſiſtere, occupata à guſtu charitatis meę remoreris, aut conſternata his nimium, non audeas ad me accedere. Hæc facit diabolus: quia gaudet te ſcrupulis ac perturbationibus inuolui, ac ſabbatum tuũ impediri. Verum tu noli ad ea reſpicere, noli formidare, noli iis reſpondere, noli repugnare, noli aduertere, imò quaſi nihil ſenſeris, quaſi nihil in mentẽ venerit, immotus in tua deuotione ac exercitio perge, & fœdas has omnes incidentias velut canum latratus, aut anſerũ ſibulos, quibus neq; eſt reſpondendum, neq; concertandum, prętereundo ac deridendo relinque. Ita faciendo faciliter euadens, has obliuiſceris. Porro ſi reniti, diſputare, timere, reſpicere, auſcultare, diſcutereq; volueris, magis ſemper tuæ eas memorię imprimes, & magnę ſimul
te

te inuolues perturbationi. Nolunt enim pugnando ſed contemnendo vinci.

Obſerua etiam ne tentatio quæuis importunitate ac repugnandi tedio te vincat. Hoc enim machinatur diabolus, vt quem aſtutia nequit fallere, quem delectatiōe non poteſt illicere, tam longa tentandi moleſtia vexet, donec improbitate ac tedio vincat. Quocirca longanimitate, perſeuerantia ac patientia tibi opus eſt, vt ſicut ea ipſa mala quæ contra honorem meū tibi ingeruntur. teq́ȝ molliuntur ſeducere, deteſtari debes: ita afflictio ipſa quam ſuper te permitto, & prouidentia mea qua volo vt moleſta ſentias. labor quoq́ȝ repugnandi quā in conflictu portare habes, non debent diſplicere aut fugi, ſed propter me hæc debes patienter & ſine murmure portare. Nec ignorandum eſt, ſi tentata fueris carnalibus, vt ſunt gula & luxuria, hæc ipſa fugiendo magis q̈ conflictū cum illis ineundo poſſe ſuperari: quemadmodū e diuerſo vitia ſpiritualia inſiſtendo, & contraria his agendo vincuntur. Superbia enim inde nō fit infirmior, nec ſuperabitur, ſi occaſionē fugias te humiliandi videlicet

ne tentationem ſentias illius ſuperbiæ quæ humiliationem fugit. Sed ſi illā vis ſuperare, inſiſte & ingere te vt humilieris. Inuidiā quoq; ſuperabis, ſi velox importunaq; facias quod illa diſſuadet, hoc eſt, ſi fratri loquaris, ſi ſeruias, ſi te humilies. Sic acediam, non fugiēdo laborē diuinum q; cultū, nec ne iubearis operari te ſubtrahēdo: ſed ad opera te diuina aut virtuoſa cōpellēdo vinces.

De cauenda inuidia.

CAue quam maxime potes inuidiā, ne alicui non faueas, ne illum minuas, ne illi te præferas, ne contriſtes, & ne de eius bonis, honoribus, laudibus aut profectu ſpirituali (ſi tibi præferatur) contriſteris. Propter hanc tentationem vincendam filia, eſto illi magis affabilis ac ſeruilis, & de eo abſente nunq̄ loquaris, nunq̄ audias, nihilq; à te procedat vnquam in verbis, operibus, aut ſignis, quod inuidiā oleat, aut quod ex hac natum ſit radice.

De fugienda ſingularitate.

IN conuerſatione apud alios non proferas exteriorē vultū triſtem aut turbulen

tum

tum,ſed ſerenum,ne alijs ſit tua conuerſatio grauis. Singularitatē in cæremonijs,in operibus & ſignis deuotionis non neceſſarijs in aliorum oculis caue. Porro quæ animæ tuæ ſunt neceſſaria,quæ ſtatus tuus & Chriſtiana requirit profeſſio, quę pro virtutibus obtinendis,aut peccatis vitandis ſunt neceſſaria,ibi non timeas eſſe ſingularis,ibi cæteris te non conformabis, ſi ſuam negligant ipſi ſalutem,quin potius pro tua ſalute, pro virtutibus,pro meo deniq; beneplacito,deriſiones & perſequutiones humiliter ac patienter ſuſtinere te oportet.

De cultu & veneratiōe dei matris.

MAtrem meam deuotione præcipua venerare,ipſam piè crebroq; ſalutando, atq; vitam & virtutes eius ſtudioſè imitando. Ego enim hanc mūdo dedi in ſanctitatis innocentiæ ac puritatis exemplum, in ſingulare patrocinium, & in præſidium tutiſſimum, vt ſit tribulatis ac deſolatis omnibus immunitatis aſylum,quam nemo horreat, nemo formidet, nemo ad eam accedere trepidet. Propterea namq; adeò ſe-

ci eam mitem, adeo piam, adeo miſericordē adeo deniq; benignam & clementem, vt neminem aſpernetur, nulli ſe neget, omnibus pietatis ſinum apertum teneat, neminem à ſe redire triſtem aut non conſolatū ſinat. Feci etiam illā gratioſam, amabilem, ac mirum in modum, etiam peccatoribus alioqui deſperatis & obſtinatis, dulcem, ſuauemq;, vt ſit mihi quaſi in hamo eſcas capiendis (præſertim eiuſmodi) animabus, maxime idonea. Siquidem magnos peccatores, qui alia omnia retia dirumpūt, quosq; nulla alia via ad me trahēdi occaſionem aptam inuenio hac, id eſt per venerationem & deuotionē meæ capio matris, quam eorum cordibus vehementer facio dulcē, & ad pia opera erga illā, puta venerationis, deuotionis, confidentiæ, inuocationisq; excito eos qui erga me duro ſunt corde, quo aptos dignosq; tādem efficiam mea gratia & illuminatione maiori, donec ad correctiorē & plerunq; apprime ſanctam vitam perueniant. Tu ergo quotidie commenda te illi, vt per hāc à me gratiam & amicitiam meā recipias maiorem. Illi enī omnem gratię & miſericordię meę thezaurū

ero-

erogandum commiſi, quando filios meos omnes,potiſſime autem pro quibus tūc patiebar peccatores, in perſona Ioannis in filios commendaui. Hoc ipſa non ignorat. Propterea adeo eſt diligens, adeo ſedula, vt officio ſuo ſatiſfaciens,neminem eorū,quantum in ſe eſt, qui ſibi cōmiſſi ſunt, præcipue ſe inuocantium, perire ſinat,ſed quantū valet, omnes mihi reducat,omnes mihi reconciliandos efferat. Putas ne filia aptam atq; huic negotio idoneā elegi? Num aptiorem, aut magis huic officio congruā inueniri potui? An triſtes,deſolati,peccatis obruti,aliū putas ante me interuentorem deſyderabūt? qui pro eis fidelius loquatur: eosq; ad me adducendos benignius recipiat,quam mulierem hanc, virginem maxime humilem, miſericordiſſimā, manſuetiſſimam, amantiſſimam,pietate & dulcedine ſupereffluentem, eamq; potētiſſimam & mihi acceptiſſimam, vtpote meam,hoc eſt,eius qui placādus eſt matrem? Heu quātum errant, quantum ſibi obſtinationis ac perditionis machinam conſtruūt; qui huic thezaurariæ mearū gratiarū obganniunt, qui eam erga me (vt ego erga

patremſum)aduocatam cognoſcerenolũt? Putas, poſſint ne magis præcipites ſeſe in infernum detrudere, quàm vt illam (propter cuius preces mundo toties peperci, toties iram diſtuli) à ſe alienã faciant, vt cùm ſit nemo qui pro illis ſe interponat, nemo qui extentam manũ meã ad feriendũ, retineat, ego liberè eos percutiam? Quę autẽ pœna caſtigatio'ue eſt maior, q̃ vt nõ temporaliter hìc eos tanq̃ filios caſtigem, ſed vt hoſtes in reprobum ſenſum tradam, ne videant excæcati quo tendunt, donec perpetuis tenebris atq; doloribus ſe captos inuolutos cõſentiãt? Hæc tibi vt ſponſæ meę inſinuo, vt hîc & in re alia quacũq; ab eccleſię meę dogmatibus, ſpiritu meo traditis nõ recedas, neq; ab iis maligno ſpiritu ſeductis, (qui ſe Euangelicos vocant) falli te ſinas.

De deuotione ſenſibili.

SI deuotionem ſenſibilem non habueris noli triſtis & propterea animo eſſe deiecto, ſed animo forti & conſtanti, licet arido, fac quicquid cognoueris & potueris ad meũ honorẽ. Sunt multi qui lachrymãtes vidẽtur

habere

habere deuotionē aut dulcedinem ſpiritua-
lem quæ tamen vitā non facit ſanctiorē,& cū
mortalibus ſtat peccatis: vtpote naturalis
mollicies cordis,vt fit ſępe in mulieribus &
hominibus cōpaſſiuis.Non ergo cōfidas in
deuotione illa quę nō ſanctificat. Vidiſti ho
mines flentes & dolētes ſuper morte alicu-
ius pugilis magnanimi, cuius præclara ac
fortia geſta legerūt, licet Ethnicus is fuerit
aut paganus. Flēt quoq; ſi amantiū duorū tri
ſtē legerint ſeparationē aut mortē. Quid ni
ergo mirū ſi ad pijſſima quęq;(dū illa vidēt
in cultu meo, vel cōmiſerando his quę pro
eis paſſus ſum, vel gratulādo honori meo)
fleāt q tamē fletus ex cordis cōmotione na-
turali fiat,fitq; ſine virtute,puta dū interim
non faciant voluntatē meā? Si ergo corde
duro & ſterili te ſine huiuſmodi deuotione
inueneris,cura vt aliā verā habeas deuotio
nem,quæ eſt prōpta volūtas ſecundū ratio-
nem ſe tradendi in ea quę meo cultui hono-
ri ac beneplacito ſeruiunt. Porro, ob alte-
rius, id eſt ſenſibilis deuotionis defectum,
cauſam potius inueſtiga, ne fortaſſe ex diſ-
ſolutiōe, leuitate, inordinato amore vel gau
dio,

dio, aut ne propter occupationem nimiam circa terrena, aut propter ſuperbiæ,complacentię proprię,cuiuſpiam'ue alterius vitij fœditatem illam amiſeris dulcedinem: vbi ſane pro cauſa ſterilitatis,ideſt,pro delicto magis quàm pro amiſſa deuotiōe eſt lūgendū.Satage vt bona volūtate, & nudo intellectu mihi vnita adhęreas,& nihil eorū quod meum reſpicit honorē,nihil boni à te fieri ſolitū,intermittas, patiēterq; in tui derelictione agas; & te mihi reſignando me ſuſtineas. Et licet aliquando in ſenſualitate & in exteriore homine ſubito erumpat aliquid aut voluatur quod minus deceat, aut ſi turbatio in te ſit, aut preſſura,ſi deniq; grauitas, reniſus aut remurmuratio te occupauerit, cura ſaltem vt interior ac rationalis homo mihi ſubditus in tranquillitate maneat, meam voluntatem amando & ſuſcipiendo.

De acceſſu ad Euchariſtiæ ſacramentum.

CAeterum(vt hoc obiter dicam)ad Euchariſtię ſacramentū acceſſura,nō eſto puſillanimis,propterea quod nōſentis deuotionem

tionem ſenſibiliter, fortaſſè etiam horribilibus tẽtationibus & incidẽtijs turbata. Neq; enim eſt hæc deuotio ſenſibilis neceſſaria, ſed potius illa rationalis qua bene de ſacramento meo credas, qua (non obſtantibus quibuſcũq; blaſphemis cogitationibus ingruentibus, atq; te obruentibus) ſacramento meo reuerentiã, etiam cõtra cor tuũ, contra ſenſuũ atq; ſentimentũ cordis tui, exhibeas: qua deniq; promptam ac obedienter paratã inuenias hanc voluntatẽ tuam ad honorandum me, ad gratias agendũ, & ad ſubijciendum te mihi, iuxta omne beneplacitũ meũ. Hanc deuotionem filia ſi habueris, quã rationalis imperat voluntas, videlicet, vt doleas te vnquam offendiſſe me, ſtatuasq; pro nulla re te poſthac offendere, ſed conari vt omni obedias voluntati meę, ſecura ad hoc ſacramentũ, ſecura ad me accede: quia deuotio tam rationalis q̃ ſenſibilis, virtus quoq; ac gratia mea non à me fugiendo, ſed ad accedendo tibi cõparãtur. Quãto igitur triſtiorem ac magis deſolatã te inuenis, etiam eo tempore, quo ad confeſſionẽ aut Euchariſtiam itura es) tanto ſtudio vehementiori

teipſam

teipſam excites atq; cōpellas ad eundū(modo bonæ tibi quę ſuprà dixi nō deſint conſcientia & volūtas) vt robuſtior, cōſtātior feruentiorq́; fias. Nec moueat te ſi in ipſo acceſſu dum Euchariſtiā ſumis, horror ac terror in te veniat, aut ſi hoſtiam mox ſumere aut deglutire non valeas, aut ſi amaritudinē felleā ſentias, quia nō propterea hæc, quod indigna acceſſeris certa ſunt indicia, quin potius timor, puſillanimitas, trepidandiq; aſſiduitas hanc tibi pariunt imaginationē, quæ in fœminis validiſſima eſt, qua fit, vt reuera ſentias, quæ ſentire aut ſenſurā te formidas. Hæc tamen ſi abeſſet puſillanimitas trepidatioq́; imaginans, procul abeſſet etiā difficultas ac preſſura quā ſentis. Ego licet hęc omnia poſſem aduertere, tamen in te & in reliquis quibuſdā electis meis eiuſmodi preſſuras permitto, quia ſcio quomodo in humilitate vos à ſuperbia (quę fœminis potiſſime eſt admodum familiaris) aut cuſtodire aut eruere debeam. Eſto igitur forti & conſtanti animo, vt puſillanimitate omni fœminea relecta, atq; fœdis quibuſq; incidentijs per contemptū exibilatis, conſcientia tranquilla

la atque in me erecta,in ſacramento me deſide res, me quæras, me recipias benigniſſimũ, clementiſſimũ,miſericordiſſimum,amantiſſi mum, fideliſſimũq́ tui amatorẽ, protectorẽ, redemptorẽ,liberatorem ac ſaluatorẽ.Cæte-rum, vt maiori adhuc veneratione, amore, ac deſiderio accendaris,ſcito quia ſacramen taliter corpus meum tibi ſub ſpecie panis ſu mendum traditur. Hoc idem ipſum eſt cor-pus meum quod modo habeo glorificatum in cœlo, non aliud neque ſimile, ſed idipſum. Cumque nõ habeam corpus exangue neque in-animatum, neceſſe eſt etiam concomitanter in eodem corpore eſſe animam,ſanguinem, gratias & virtutes meas, quibus omnibus verbum,quũ ſit vnitũ, hoc eſt perſona vna trinitatis,à qua reliquæ duę perſonæ ſunt in-diuiſæ,ſequitur totam trinitatem ſacramen-to huic ineſſe, non minus verè quàm in cœ lo,licet aliena ſpecie,puta ſacramentali,v ela-tam.Simile eſt iudicium de calicis ſacramen to habendum. Iam igitur tu vide, quàm li-benter,quàm deſideranter accedere debeas ad hoc ſacramentũ, quandoquidem veram ſalutem,& perfectè hic habes me fœlicitatis

tuæ

tuæ autorē, qui tibi (ne reuerentia nimia aut metu formides) præcepi vt accedas, & in mei cōmemorationem me ſuſcipias: promittens etiā delitias meas eſſe cum filijs hominum, meq́ lætari cum vobis benefecero, ac pulſare ad cordis veſtri ianuā, vt ingreſſus vobiſcum cœnem, vosq́ meipſo reficiam. Quare autem hæc om̄ia facio, niſi vt ſpem fiduciamq́ habeatis ac amorē ad me accedendi: nec propter illa quæ vos coacte (atq́ propterea ſine peccato) ſentitis, à tam fructuoſo & neceſſario ſacramento vos ſubtrahatis, fructuq́ infinito vos ſpolietis.

De diſcretione.

EXercitia tua om̄ia vt humilitas, ita diſcretio regat ac temperet ne te lędas, ne te inutilem facias, ne potiora bona ſpiritus per externa aut corporalia, aut minus bona impedias, ne deniq́ virtutem vnā exercendo charitatem aliquā lędas. Attende etiam tui corporis debilitatem, virium exhauſtionem, ſi fuerint, & propterea iuxta directionē timentis me, aut ſuperioris tui dirige conſilia, ſtudia & exercitia tua, illa deferēs aut minuens

nuens aut augens aut temporans, ſecũdum illius voluntatem atq; conſiliũ. Et propterea ſi ſuperior tuus, qui tuæ gerit animæ curam, vtpote mea vice ac officio in hoc erga te fungẽs, prohibeat ieiunare, aut aliud quid quod ſuo ex genere non eſt peccatum, omnino obedias, credens illi q̃ te cognoſcens, illud iudicet tuæ ſaluti recte, aut noxium aut neceſſarium. Proinde filia, ſi octies iuſſa fuęris in die vna comedere, obediens non me offendes. Nihilominus tamen interea voluntatẽ habeas ieiunãdi, vbi propria liceret volũtatę vti. Et ſi ex obediẽtia comederis, habebis comedens præmiũ duplex, vbi ieiunans præmiũ à me duntaxat ſimplex. Bona enim voluntas ieiunãdi, fructusq; bonæ voluntatis, ſi propter obedientiam tantum comederis non amittitur, ſed propter obedientiæ obſeruãtiam ſimul cum obedientia coronatur. Sic pari modo eſt in om̃ibus quę bona voluntate cupiuntur, ſed propter obędientiam ſolam omittũtur. Gloriam ac beneplacitum meũ in te & in alijs, quantum & vbicunq; vales quęre, zelare, perfice & promoue. Bonorum operum nihil quod per te

fieri poſſet, neglige: ſed progredi ac ſemper creſcere, ſpiritumq́ꝫ proficere cõtende. Veruntamẽ inter om̃es conatus, ſtudia ac exercitia bonorũ operum noli in te gaudere, noli conſolationẽ quaſi aliq̃d habeas, aut ſis aut poſſis, ſed oculos tuos in tuã nihileitatem ſemper fixos tenẽs, mihi ſoli om̃ia bona aſſcribe. Sunt quibus nõ ſufficiũt ea quæ ego illis ferenda impono ſed abſtinentijs & afflictionibus ſeſe indiſcretis afficiũt, atq́ꝫ ad obediendum mihi, ad tractũ meũ ſequẽdum, ac ad certa miſericordia ſpiritualis pugnæ non ſolum ineptas infirmasq́ꝫ ſe efficiũt, verumetiam per indiſcretionem laſſatæ atq́ꝫ contritæ, ea quæ ſibi exercitia aſſumpſerant intermittere, atq́ꝫ carnis curam denuo agere coguntur. Proinde tu exercitia tũa ac labores iuxta vires tuas moderare, ne teipſam deſtruas, aut nimium graues. Eamobrem ad ſuſtentandam te, ne deficias, placet mihi vt naturam foueas, refocillesq́ꝫ infirmitatem tuam: non tamen ſtudio oblectandi, ſed, vt dixi, naturam confortãdi, mihiq́ꝫ in hoc ſeruiendi, dum inſtrumentum gratiæ meæ ad meum beneplacitum, ad meum ſeruitium,

& ad operationem meam aptū reddis: ſemper tamen ad voluntatem meam parata, & abundare & penuriam pati, eſſe vel ſana vel infirma. Cæterū vbi propter infirmitatem naturæ per diſcretionem non fueris coacta corpus tuum refocillare, vide ne ex impatientia, indeuotione, proprio've amore (in aduerſitatibus ac moleſtijs quas tibi mitto) ſubterfugias ad euadendū ac te liberandū quęras, ſed quas tibi mitto moleſtias hilariter amplectere, patiēter ſuſtine, nemini conquerens, ſed longanimiter tolerans & me expectans. Sine me tecum agere, vt per tribulationem quæ ſuper te cecidit, mea gratia in te boni aliquid operetur. Hæc enim longè eſt præſtantior, multoq; fructuoſior, quàm ea quę tibi ipſi à tua propria volūtate imponitur. Certam nanq; te eſſe volo ô filia quod nullam in te tribulationē vnq̄ venire ſino quæ nō pariat in te boni aliquid, renouetq; ſpiritū tuū, ſi modo tu mihi te crederes ac dimitteres, in ſilētio tolerādo ac longanimiter me præſtolādo, quia veniens, venio, q tibi nunq̄ abſens, ſed præſto vbiq; ac ſemper aſſiſto. Caue igitur ne abijcias quæ

tibi mitto ac impono. Ego regam te,tu vero meæ directioni ac prouidentiæ confidēs, mihi innitere,non tuæ proprię voluntati. Sine vt ego aliiq́ȝ homines te crucifigant. Tu interim non carnē,ſed vitia perſequere, & ſuſtine quæ tibi occurrunt patienter.

Quomodo conformari debeamus Chriſto.

DEbet ſponſa fidelis adeo amās ſui eſſe ſponſi,vt ſine illo nunq̄ eſſe,illi nunq̄ velit abeſſe. In omnibus cupiat ſe ſponſo conformare,gaudeatq́ȝ vbi ſe videat ſimilē fieri. Hoc modo tu facias quoq́ȝ oportet. Conſidera vitam meam, actus & virtutes, è quibus diſcas quid diligo,& quid mihi in te placeat. Iam ſi fidelis eſſe ſpōſa vis ò anima, nihil tibi tam eſſe debet deſyderatum,q̄ mihi placere & conformari. Quocunq́ȝ igitur iero, tu deſydera comitari,quicquid egero ſtude imitari,quicquid paſſus fuero,& ſi data fuerit occaſio, gaude mihi conformis fieri. Vide nunc & expende ſingulas virtutes meas, aut ſaltim præcipuas, quibus teipſam extimules ad imitandum. Erit tibi initio

tio labor ea quæ vitæ meæ contraria atq; diſformia ſunt, hoc eſt vitia tua, prauasq́ inclinationes & corruptiones tuas abſcindere, mortificare atq; eradere. Verum, vt ſupra dixi, ſtudioſa volũtate & aſſiduo conatu fiet, vt poſtea tanq̃ flatu leui abigas, quæ modo ferrea vix lima poſſis eradere.

De paupertate.

CONtemplare itaq; nunc primo meam paupertatem, quomodo propter te, cũ diues eſſem pauper factus ſum, quomodo in propria venerim, & mei me nõ receperũt, quomodo quaſi aduena, egenus & incola fui in terra aliena, quomodo matre in alieno loco peregre conſtituta in ſtabulo ſum natus, ante iumẽtorũ ora, quę à frigore me defenderent, ſuper fœno in præſepe poſitus, quomodo pauperum fui hoſtia redemptus, infans in exiliũ pulſus, laboribus educatus parentum, hinc ſtipe aliena paſtus, neq; domum, neq; proprium habens hoſpitium. In montibus ſæpe pernoctabã: veſtibus quoq; in paſſione ſpoliatus, & in cruce nudus moriebar, non habens in aridiſſima ſiti guttam

aquę, qua linguã arentem refocillarem, poſt mortem deniq; alieno ſum conditus ſepulchro. Præterea autẽ, quoties putas famem, frigus, ſitim, cæteraq; corporis incõmoda per omnẽ vitam meam ſum paſſus? Corporeas conſolationes (quas pleriq; etiam vehementer neceſſarias arbitrantur) ego reſpui, omniũ rerũ penuriam tolerãs. Tu verò cũ ad manũ tibi ſint omnia, de paupertate tibi blandiris, & pro pluribus adhuc habendis (quæ tamen curioſitati, aut ſuperfluitati magis ſeruiunt q̃ neceſſitati) ſi deſunt, etiã murmuras. Intuere igitur paupertatẽ meã, & deſine triſtis eſſe, deſine indignari ſi quẽpiam tibi præferri, aut abundantius cernis prouideri. Quare nõ bona emulatrix triſtaris potius ſi quẽpiam te vides (quod Franciſcus faciebat) pauperiorem, ſi quempiam ſentis quod de omnibus ſentire debes, vitæ ac paupertati meæ te conformiorẽ? Hæc bona foret ęmulatio, nõ de alterius bono, nec q̃a te melior eſt, ſed quia tu bona nõ es, & quia ex defectu tuo id accidit, triſtari. Gaude igitur, & pro gratiæ meæ magno indicio, pro magno beneficio, proq; ſingulari dono accipe

cipe ſi te grauo infirmitate, ſi paupertate, vi
litate ac abiectione prę cæteris te facio mihi
conformiorem. Quare ſi neceſſaria quoq;
tibi deſunt, ſi auferuntur, exulta, & nulli ho
minum cōquerere, ſed tranquillo ac ſilenti
corde paupertatis meæ crucem mecum am
plectere, teipſam abnegando & tacendo.
Quid iuuat filia mundum, diuitias & amico
rum gloriam reliquiſſe, ſi propter acum iraſceris, aut ſi ad viliſſimum quid aliud, amo
rem adhuc non exueris, ſi deniq; pro illis
habendis aut nō amittendis digladiaris, tri
ſtaris, contendis, & proximi charitatem pa
cemq; lædere nō metuis? Elige igitur nunc
fortiterq; ſtatue ex animo, omnia pro mei
amore contemnere, & præter valde neceſſa
ria nihil velle habere: paupertatem, vilita-
tem & penuriam amāter ſuſtine, vt me (qui
mille mūdis vt ſum melior vtiliorq;, ita de
beo eſſe charior) valeas poſſidere. Quid
moraris filia? Meo exemplo cōfortare, mei
amore accendere, & in omnibus quæ ad te
pertinent zelare te in paupertatem ac om-
nium rerum penuriam. Porrò alios homi-
nes omni conſolatioue dignos exiſtima,

vtpote ſeruos meos fideles, te meliores neq; adeo vt te ingratos. Et ideo ſtimulante charitate & compaſſione vrgente, quantum in te eſt, ne alicui quid deſit, opera, ſeruitio, fauore & quomodo potes oẽs iuua. Quicquid habes tu, id alienũ puta, vt neq; amãdo illud poſſideas, neq; cũ dolore amittas. Quicquid habes in aliorum vſum tibi datũ exiſtima.

De humilitate.

HOnores, gloriam, hominũ fauorem, & reliquas adulationes, ſeculiq; blanditias execrare, & toto corde fuge. De te nõ aliter ſentias q̃ de homine ſuperbo, mihi ingrato, erga me contumelioſo, & propterea, ſi digna tibi retribuerem, omĩbus creaturis odioſo, vtpote quæ neq; terra neq; aëre hoc digna es. Ideo ſemper pete à me miſericordiam & gratiam meã, ſuper nullo opere aut merito tuo requieſcẽs, ſed in ſolo opere confidens redẽptionis & miſericordiæ meæ. Poſtula à me lachrymis & gemitibus perfectã humilitatem, qua diligas neſciri, comtemni & vilis æſtimari. Stude propterea etiam q̃ maxime potes, viliora quæq; ac humiliora amplecti. item abiectiora & quæ cæteri contemnunt,

temnunt,tam agenda quàm habenda eligere, quibuſq; etiã viliſſimis viliorem te & indignam te iudicans. Nihil quod oſtentationis glorię'vc habet aliquid,nihil quod quaſi ſingulare in te poſſit prædicari (niſi vel neceſſitas vel charitas pura ad dei gloriã aliter exigat de te)manifeſtes.Nihil oſtentes nihil de te iactes. Et his qui te offendunt ac contemnunt, vide ne propterea iraſcaris, nec triſtiorem ſolito poſtea vultum, nec cor minus beneuolum ad eos exhibeas. Mirare potius quod non omnis creatura te perſequitur in vltione mei,hoc eſt, in tui ac ſui omniũ creatoris,quem tu offendere non formidas.

Quomodo humilitas obtinenda ſit.

PRo humilitate itaq; obtinenda,contemplare maieſtatem omnipotentiã,ſapientiam & bonitatem meã, qui ſolus ſum immortalis,ſolus immenſus, infinitus,incircunſcriptus,ineffabilis,incõprehenſibilis,ex quo creaturę omnes habent ſuum eſſe,quiq; omnes creaturas vniuerſamq; machinam mundi vnico nutu in nihilũ poſſum redigere,iterumq; in ordinẽ ſingula ſuũ reſtituere.

Itaq; ego cum tantus ſum, non ex neceſſita te aut indigentia, ſed ex charitate & bonita te mea, rationales vos creaturas ad imaginem meā creaui, quibus benefacerem, beatitudinemq; meam communicarem: à qua gratia cū excidiſſetis peccando, indignosq; vos æternæ vitę, reos verò ignis æterni feciſſetis, propter vos incarnatus, trigintatribus annis famem, ſitim, frigus, ęſtum incōmoda, labores, perſecutiones, contemptū, obprobria, plagas, liuores, vulnera, dolores, nouiſſime crucem & mortē, vt ab æterna vos morte redimerem, ſuſtinui. Vixi ò filia in mundo nō vt Deus, non vt potens, non vt glorioſus, ſed tanquam omniū pauperrimus, viliſſimus, nouiſſimus, contēptiſſimus, doloribus & cōtumelijs varijs expoſitus, donec tandē morte occiſus fui turpiſſima ac ignominioſiſſima, qua mundus æſtimabat me dignū, & quaſi tam vita q̄ doctrina mea om̄ibus foret peſtilens, prorſus ab hominū memoria iudicabat extinguendum, idq; aſtante populi multitudine & inſultante. Ad hanc mortem ſicut ceruus ad fontes aquarū, imò tui amore ò filia totus

ebrius, cucurri. Non peperci mihi, laboris, doloris, pœnalitatis've aliqd fugiẽs. Nihil quod in rem tuã foret recuſaui, tam charam tam p̃cioſam te æſtimãs, vt deſiderio etiã deſiderarem in mortẽ pro te animã meã tradere, corpus verò meũ omni ex parte ſauciandum vulneribus offerre. Adhæc, qa ardẽter ſitiebam tuã ſalutẽ, cupiebã ſanguinẽ meũ oẽm pro te effundere. Quod ita tandẽ effeci, ne vnam quidẽ guttã retinẽs. Quid nũc filia mihi pro ijs rependis? Quid pro charitate mihi tãta retribuis? Nónne ipſa es quę tot annis mihi ingrata me ſpernis, verba mea nauſeas, laudes meas faſtidis, p̃cepta trãſgrederis: quę licet tota erga me cõtumelioſa, tota immũda ac vilis, tota deniq; ſordida, tot abominationibus tñ me à te proſcribis, inſtinctus meos reſpuis, cũ creaturis fornicaris, donis meis abuteris? Quid ꝙ licet ex grauiſſimis te peccatis, atq; ab ipſa dãnatiõe æterna (in qua multis iam annis iuſtè fuiſſes cremata, niſi mea te miſeratio p̃ueniſſet) denuo toties liberauerim à criminib⁹ quoq; multis, atq; ab ipſa inſup peccãdi voragine te p̃ſeruauerim, me tñ contẽnis ac deſeris?

Quid

Quid tandem ꝙ tam vilis, miſera, & ſine me nihil es? Et quomodo audeas leuare faciem tuam erga me quē toties offendiſti, tāto tempore ſpreuiſti? Hęc dico ò filia vt teipſam agnoſcas. Conſidera ꝗ vilis in corpore ſis atꝗ; fœda, ꝗ polluta ſit anima tua, quàm impurū deniꝗ; cor tuū. Ad extremū quàm indignis operibus, quā facinoroſis cogitationibus, quàm ſpurcis atꝗ; impuris affectionibus tota ſis immunda. Nihilominus tamen ego te adhuc ſuſtineo, nihilominus tamen tibi benefaciens te amo. Sed quandiu? quouſꝗ; ſuſtinebo? quando teipſam cognoſces? Vſquequo redire tardas? Quare te non humilias? Vides ne quòd miſerationes meas longiùs continere nequeo? Vides ne quomodo te vocaui? vbi te plātaui? Vbi ſunt fructus tui? Sentis ne quomodo cunctas iniquitates, fœditates & ingratitudines tuas diſſimulo? Nec modo quoꝗ; ò filia hęc impropero, ſed quaſi tui amore languēs, quaſi tui egens (cū nullius egeā) quaſi ſine te viuere nequiens, ad redamandū me pro ſola bonitate ac charitate mea te inuito, vt vel amādo ſentias qd ego, quid tu ſis, quanta ego tibi fecerim, &

quàm

quàm iniurioſa e diuerſo tu mihi reddideris.

Ad hæc expendas q̃ innumeræ ſunt hodie in inferno animæ, quibus (niſi prohibita fuiſſes per gratiã meã) multo deteriora meruiſſes, aut ſi illæ parem tecũ gratiã recepiſſent, te per gratitudinẽ longè antecederent. Si hæc omnia, hoc eſt, maieſtatẽ meam & vilitatem tuam, atq; rurſus tuam ſuperbiã in vilitate tua: in maieſtate verò mea tantã aduerteris humilitatẽ, qua me tui amore & tui cauſa exinaniui, nõ graue admodũ tibi foret humiliari. Si, inquã, rectè attenderes in quanta paupertate, abiectione & contemptu ego tam potens, tam diues, tam excelſus, puta maieſtate immenſus, & bonitate infinitus ſeruierim tibi exiguę, adeoq; vili homũcioni, & hoc cum tanta charitate, fidelitate atq; deſiderio, tanta in corde tuo erga me reuerentia, tanta naſceretur maieſtatis meæ veneratio quanta verbis nõ poſſit exprimi. Orire-tur prȩterea inſatiabile in te deſideriũ ardentiſſimaq; ſitis me honorandi, colendi, exaltandi, teipſam verò ſubijciendi, humiliandi, vilipendendi, ac amore mei creaturis omnibus ſubſternẽdi, cõtumelias, deniq; contem-

ptum

ptum & iniurias ab omibus ſuſtinẽdi. Quã-
libet enim te humiliares, quantumlibet ſu-
ſtineres, nihil adhuc te æſtimares pertuliſſe
præ ſiti & deſyderio teipſam deprimendi, me
vero exaltandi, adeo vt eos præcipue etiam
amares, qui te magis præmere ac ſpernere
niterentur, propterea quod tuo deſyderio
tuæq́ humilitati in hoc ſeruirent quando te
humiliarent. Si hæc filia nondũ in te ſentis,
cognoſce quã ſis mihi ingrata, quamq́ à ve
ra humilitate remota, quæ eſt profunda cor
dis inclinatio in conſpectu diuinæ maieſta-
tis meæ, quã ſequitur ſui cõtemptus, & vel-
le pariter ab alijs vilis agnoſci & cõtempni.
Iterum moneo te filia, inſpice humilitatem
meam, & inde exemplũ ſume humiliationis.
Vide quomodo vitã meã & doctrinã mun-
dus ſpreuerit, calumniatus ſit & reprobaue-
rit, quomodo detraxerit omnibus ſermoni-
bus meis, quãta obprobria, illuſiões, deſpe-
ctiones, deriſiões pertulerim tanq̃ reprobus
à viliſſimis, & pro viliſſimis ingratis creatu-
ris meis, ego vero ſubſannatus & velut ob-
probrium hominũ abiectus, neminẽ ſpreue-
rim, nec me excuſauerim aut cõtradixerim.
Vide

Vide etiam tu quæ digna es ſperni, duritiã,
negligentiam, peccata, ingratitudinẽ, inſtabi
litatem, vilitatẽ & nihileitatẽ tuã. Geme, plan
ge, & continuis lachrymis corã me teipſam
argue. Quæcunq; tibi occurrunt, verte in
materiã humiliationis tuæ. Vide ne tibi pla-
ceas, imò mirare potius q̃ fieri poſſit vt vel
alicui placeres, ſi te recte quis cognoſceret.
Dirige oculos cordis tui continue in tuum
non eſſe, & in tuum nõ habere. Conſidera q̃
nihil ſis, & quod eſſe deberes & nõ es. Item
quid non habeas & non poſſis, q̃ multa tibi
deſint, q̃ longe deniq; à vera & perfecta cha
ritate, & à ſanctorũ perfectione diſtas. Item
quàm diſſimilis atq; diſformis es, ſimulq; cõ
ſidera quòd prorſus nihil boni à te habes,
ſed ſine medio à me ſolo bona omnia. Por-
rò hæc ſola tua ſunt, hæc à te ipſa habes, vi-
delicet, peccare, derelinquere, deficere, ege-
re, dona ac bona mea deſtruere ac perdere.
Certiſſimũ eſt enim, ſi naturã humanã in ſua
relinquerẽ libertate ac pronitate, nihil boni
ageret, ſed in deteriora ſemper laberetur,
quandoquidem tam vehemẽter etiam à me
prohibita ac detracta, ad malum adeo prona

ruit:

ruit: Siquidem natura humana nihil eſt, & nihil habet à ſe, & ad nihil tendit. Hæc conſideratio ſi aſſidua fuerit, non parū conferet ad humilitatem. Accedere debet nihilominus alia humiliatio pro occultis ac tibi ignotis defectibus tuis, quæ plerunq; (tametſi tu ſecutiens illos nō deprehendas) graues ſunt. Pro eis itaq; ante pedes miſerationum mearū procide, & irremediabilem peccandi in te pronitatē infirmitatēq; ex animo luge, nec vnq̄ aliter de te ſentias q̄ de ea quæ in multis eſt rea & cæca, omniūq; ingratiſſima.

De iudicio hominū nō curando.

DE hominibus quid de te ſentiant, quomodo te iudicent, non occupes animum tuum, neq; horū iudiciū formides, modo ſcienter quantū in te fuerit, eis ſcandalum occaſionem've iuſte detrahendi nō præbueris. Neq; enim ſi laudaris melior, neque ſi vituperaris prauior es: ſed hoc es quod ante oculos meos es. Propterea aliena laus nō erigat te, neq; vituperiū cōtriſtet. Quid enim tibi laus conducit aliena? Nihil profecto, quę vehementer etiam ſæpius

nocet, vtpote tibi imponēs,& inaniter te inflans. Aut cōtra: Quid conteptus, correptus, correptio, abiectio, obtrectatio, damnatio, hominūq́ perſecutio tibi nocere poteſt? Itidem nihil. Quippe quę proſunt etiā, quę te ad tui cognitionem reducūt, nec parū ad humilitatē vitę morumq́ emēdationē conferunt. Inde em̄ diſces cautior prudētiorq́ inter hoīes viuere, & in hominibus nullam, in me verò omnē ſpem tuā locare. Iudicia igitur hominū nō admodū curanda ſunt, ſiue bonū ſiue malū de te hoīes loquantur. Sine illos loqui, ſine illos opinari. Tu interea ad me cor tuū dirige, & luſtrata conſcientia tua, ſi nihil me offenderis, nihil metue. Porro ſi te offendiſſe deprehēderis, plange: non quia hoīes te vilipendūt (hoc em̄ iuſtè iam pati & deſiderare debes) ſed quod tu me offendiſti, & delinquendi inſuper occaſionem præbuiſti hominibus. Si verò quod delicto caret quippiā in te aut laudatū aut vituperatum fuerit, nō aliter aut plus inde mouearis, q̄ ſi alius quiſpiā laudetur aut vituperetur. Si te hoīes laudant, id eorū errori aſſcribas & beneuolentię: ſi arguūt aut damnant,

nihil mirare. Quid enim mirũ eſt ſi vitam tuam homines carpunt,ſi deſpiciunt,ſi damnant: quando vitam meã quoq; innocentẽ, omni labe carentẽ,& in quam nulla cadebat reprehenſio, damnauerunt & detraxerunt omni eruditioni meæ: Gaude potius ꝙ ad itinera mea perueneris,humiliationis videlicet & abiectionis,& quod pateris ab hominibus perſequutiones. Sine tu alios in te machinari mala, ego eorum mala faciam tibi bona: ſuſtine tantum & tace. Studeas tu mihi in omnibus placere nõ hominibus. Itaq; ſi hominibus places,eorũ puta falli opinionem circa te, quia te non cognoſcunt ſicut mihi cognita es,ſed iuxta exteriorẽ ſpeciem, pro ſua bona ſimplicitate te iudicant. Si vero diſplices,tuis demeritis id tribue, & inde te magis humilia. Quod ſi pro tantillo deſpecta es, quid fieret ſi te cognoſcerent homines,ſi peccata, ſi vitia tua omnia atq; ego viderent? Ama igitur vilis & deſpecta haberi,nec vnquam adeo deſpiciaris, quin te magis deſpicabilẽ æſtimes. Præ omnibus creaturis miſeram, indignam, ingratam, atque egentem gratia & miſericordia mea te debes

æſtimare, & te prorſus nihil, omniaq́ꝫ opera tua nullius virtutis aut momenti extra me cognoſcere. Nemo adeo malus quem non æſtimes te meliorem, cœloq́ꝫ digniorem. Alios crede mereri, te vero ſola miſericordia mea tolerari. Eam ob rem nulli hominū audeas te vnq̃ cōparare, ſed omnibus hominibus æſtima te plus deliquiſſe, cūctisq́ꝫ viliorem ac mihi ingratiorē te eſſe, quid quod ex te eſt, aut nihil eſt aut peccatū eſt. Efferre autem ſeu pręferre ſe ex donis meis intolerabilis ac inſolentiſſimæ eſt ſuperbiæ. Ad hanc cauendā, vtiliter ſubtraho tibi ſenſibilia dona mea, quia neſcis illis vti, niſi ad extollentiam tuā cum tamen nihil inde deberes tibi attrahere ſeu aſſcribere, ſed pure omnia ad me referre. Vigila itaq́ꝫ propterea ne quicq̃ à me deſyderes propter te, ſed propter me ſolum, ne aut per ſuperbiā ingrata ſis mihi, aut abominabilis per negligentiam. Vide quàm nihil ſis quàm cito ſuperaris, ſi quando non defendo te, quando ego non pugno pro te, nō vales ſuſtinere leuiſſimam aduerſitatem, non vales expugnare debiliſſimam tentationē, nec potes tuo vitio quodcunq́ꝫ

bonum nõinquinare. Nimiũ es prona o fi lia in aliorũ vituperationes,quod haud du bium arrogãtię eſt indiciũ,quaſi tu propter ea his præferenda ſis qui vituperãtur,dum fortaſſe vitio hoc cares quod in alijs accu ſatur,alijs licet vitijs interim ſubiecta.Haud quaq̃ igitur pręferẽda es,quin potius mul to deteſtabiliorẽte facit lingua tua, quę tuã arrogantiã aut inuidiam manifeſtat. Amici mei nõ aliena,ſed ſua vitia ſolent carpere & accuſare:Nam & opera ſua omnia habẽt ſu ſpecta,& ſeipſos ſuſpectos habẽt,nec credũt ſibi propterea quod in multis didicerũt ſe falli.Semper em̃ metuũt ꝙ purè me nõ quę rant.Porro aliorũ opera mirãtur & laudant. Nullas em̃ de proximis volũt admittere ſu ſpitiones. Omnino igitur & tu alios aut lau da aut excuſa, aut prorſus tace,tuã ſolam vilitatem ingratitudinemq́; cõtinuè in ocu lis habens, & admirans quod non omnes homines te deteſtantur & arguunt. Non potes filia obtinere humilitatẽ,niſi diligas humiliari. Humilitatem neceſſe eſt præce dat humiliatio.Omnia igitur quæ tibi eue niunt accipe de manu ad tui humiliationẽ.

Dilige

Dilige etiam ab alijs te humiliari. Omnia igitur quę tibi eueniũt accipe de manu mea ad tui humiliationẽ. Dilige etiã ab alijs te humiliari ac vilipendi. Sine famam tuã traduci. Sile tu,& te mihi crede. Ego melius q̃ tu ſcio famam tuam excuſare. Si teipſam defenderis, ſi pro te ipſa pugnaueris, nõ indiges mea protectione. Si humiliter & patienter tacueris, ego noui tempus quo pro te reſpondeam. Noli tu excuſando te, me præuenire. Ego pugnabo pro te,& tu tacebis.

De obedientia.

OBedientia virtus eſt præclariſſima, & mihi maximè accepta. Opus quod ex ſuo genere eſſet viliſſimũ ac minimũ, ſi propter ſolam obedientiam purè fiat, magis eſt mihi acceptũ, magisq́ facienti proficuũ ac meritoriũ alijs innumeris p voluntatẽ propriam factis. Neq; enim (crede mihi filia) ſacrificiũ potes offerre nobilius neq; dignius, quàm vt cor humile, obediens, atq; ad om̃ia mihi offeras paratũ. Siquidem fieri poſſet, vt vna obediẽtia poſſet ſeipſum homo propter me relinquere ac exire, & ita ſuam voluntatẽ propriã abnegando plus proficere,

mihiq; intimius coniũgi, quàm ſi exercitijs alijs nobiliſſimis multo tempore vacaſſet. Quapropter debes eſſe obediens filia, vt ſi etiam ſpecie corporali me tibi præſentẽ cerneres, meaq; pręſentia fruereris, quẽadmodũ ſponſa cohabitãs ſuo fruitur ſponſo, quãdo ad obedientiam auocaret te à me quiſpiam, tu me deberes relinquere & obedire. Hæc enim relictio nõ eſſet mei, ſed tuiipſius, quia propriũ cõmodum, propriã conſolationem poſtponeres meo honori & meæ voluntati, quę eſt vt abneges temetipſam, & vt nõ quęras quæ tua ſunt ſed aliorum, hoc igitur modo teipſam & propriam quęſitionẽ relinqueres. Nam me non relinqueres, ſed centuplo nobilius atq; vberius inuenires. Diſce igitur te propter me relinquere, hoc eſt, tuo fructu, tua conſolatione, tua deuotione, tuo profectu, per tui abnegationẽ carere: ut quod debitum eſt faciendo & me honores, & per aliã viam proficiendi non ſolum nihil amittas, ſed centuplo etiam potiora cõquiras. Quapropter nihil ſit tibi adeo charum, nihil videatur tam vtile, à quo propter obediẽtiam non ſponte ac animo reſignato auellaris.

Quicquid enim eſt, cuius amore obedientiam recuſas, aut ad eā triſtis remurmurās ꝙ accedis, hoc idolum eſt propriæ voluntatis, plus quàm dici poteſt tibi perniciosum. Si in loco fueris vbi ſuperiorē nō habes, aut vbi ipſamet ſuperior es, omnes homines facias tibi ſuperiores, obediens eorum voluntati & tuā relinquens. Verum id nō ex ignauia; ſed vbi licet, & ex ſtudio teipſam propter me abnegandi. Obedientiæ virtutē ex intimo cordis dilige, eamq; vſq; ad mortē non deſeras nō ſolū ſuperioribus, verūetiam omnibus hominibus propter me, vbicunq; mea non contradixerit volūtas, te ſubijciēs, acquieſcens & obtemperans, idq; ſine triſtitia, ſine murmure, ſine diſcutione. Quod vt poſſis liberius nō reſpicias ad hominem, qui mea tibi ordinatione eſt ſuperior, quàm doctus, quam've idoneus ſit, non aduertas nec penſes an doctus illiteratus've ſit, præſtans an vilis, ſed hoc tantum reſpicias quod mea prouidētia tibi datus eſt ſuperior, per quem ego te regere volo, & in quo me tu debes cō ſulere & audire. Itaq; hanc prouidentiam meam attende, qua non minus per ſimplicē

quam eruditum (imò per quemcunq; volo) te regere, & mihi ſubijcere cupio. Quapropter ſine vllo ſcrupulo, ſine vllo formidine te ſubijcias oportet, & poſthabitis conſilio tuo ac prudentia, huius tantū iudicio ac ſententię te ſubſternas: quicquid ille diffinierit, quicquid ſtatuerit, ex ore eius tanq̃ ex ore meo amplectere. Ideo namq; ſeruis meis ſuperiores interdum parum literatos, aut minus exercitatos conſtituo, ne humanam ſapientiam, aut hominem quęrant in homine, quin potius in homine me deū ſuū quęrant qui per ſimplicē hominem (ſi confidere poſſunt) non minus eis reſpondeo, quā per doctum. Atq; idcirco ipſi quicquid reſpōſum quicquid've conſultū audierint, nō vt ab hoie, ſed ex me recipiant, mihiq; & meæ directioni tribuentes omnia, & nihil aſſcribāt humanæ, ſiue prudentiæ ſiue ſimplicitati. Si igitur nō vis falli, amplectere viam obediētiæ, & citra prælati aut ſpiritualis patris, aut ſuperioris tui iudiciū nihil prorſus age. Viue ſemper in ſimplicitate & paupertate ſpiritus, ſine vllo proprio iudicio, ſine proprio conſilio, ſine proprio ſenſu, & ſine proprio videre,

videre, nec vllam admittas querulandi ſeu murmurandi occaſionē: hoc melius ſemper æſtimās quicqd ſuperior tuus, aut, ſi ille de fuerit, quicquid alij melius iudicarint, quan diu manifeſtū id nō fuerit peccatū. Et ideo ad plenam voluntatis proprię internetionē, debes nō ſolū ſub obediētia hominis ſtare, ſed omnibus etiā creaturis te ſubijcere pro• pter me. Adeo nanq; in te odiſſe debes vo luntatem propriam, adeò illam debes extin guere, vt inter hoīes viuas vbicunq; fue• ris, nō aliter ac ſi abſq; voluntate propria fo res, hoc eſt, ac ſi nullam prorſus electionē haberes, ſed oīa tibi eueniētia indifferēter acciperes, hoc ſolo excepto, q aliena ſem• per tibi voluntas (vbi didiceris) magis pla ceat, & hoc excluſo peccato, ſeruataq; hone ſtate & diſcretione. Proinde omnibus homi nibus hoc modo conſentias in his quæ tua ſunt, id eſt, quæ te ſolū reſpiciūt, ac ſi omni bus promiſiſſes obedientiā. Imò vbicunq; etiam ſola fueris, nō facias voluntatē pro• priam tanq̄ propriam, ſed omnem vitam & omnia exercitia tua ordina ad tui abnega• tionem, hoc enim melius eſt tibi q̄ parady•

ſus. Siue igitur per internam inſpirationẽ, ſiue per ſcripturã, ſiue per ſuperiorem, ſiue per creaturam aliquam, aut alio quocunq; modo voluntas mea tibi innotuerit, quandocunq; etiam intus à me monita fueris, mox contẽpta omni proprietate, conſilij, iudicij, voluntatis, opinionis, amoris, inclinationis've, & ſequere meã voluntatẽ. Diſcas autẽ ſapiẽter oportet quę ſit voluntas mea, ne cùm te ſpiritũ putaueris ſequi meũ, ſequaris tuũ, aut erroris deceptionis've ſpiritũ. Eam ob rem omnia age per iudiciũ tui ſuperioris, & eius voluntati plene te ſubmitte.

De mortificatione propriæ voluntatis.

NIhil te poteſt torquere ò filia, niſi voluntas propria, cui ſi mortua fueris, nulla te lędere poteſt creatura. Quę em̃ te lædere poteſt creatura, ſi tu tibiipſi mortua fueris? Hoc eſt, ſi in te mortua fuerint hæc verba, aut potius horum verborũ affectus, videlicet ego & me & mihi & meũ, hoc eſt, ſi nullus in te fuerit reſpectus proprius. Quis te læderet, quando ego in te viuo & tu in

tu in me: cui reſiſtere non poteſt, ſed cogitur ſeruire omnis creatura? Cæterū, ſi voluntatem propriā tenere aut ſequi volueris omnia tibi reſiſtent, omnia te impugnabūt, & velis nolis, nequaq̄ euades prouidētiam meam, tametſi hæc cruci non conſolationi tunc futura ſit. Porrò, ſi voluntatē propriā exueris, pacem guſtabis internam, & gaudiū propriç voluntati incognitū: Nihil em̄ perturbat mundū niſi voluntas propria. Propterea dixi diſcipulis meis: In mundo, id eſt, in his quæ mundi ſunt, hoc eſt, in deſiderijs proprijs, quibus mūdus arridet, preſſuram habebitis: ſed confidite, quia ego vici mundum, vt & vos in me vincatis, & in me pacem habeatis. Incipe igitur & tu omnia deſideria mundi, omnemq́ amorem priuatū in te radicitus extirpare ac mortificare. Alioqui, quomodo potes vincere mundum aut diabolum, ſi habeāt ipſi exercitū ſuum, hoc eſt, ſi habeant vitia intra te? Eijce primum quicquid eſt mihi cōtrarium intra te, quicquid etiam pugnat contra te, quia diabolus aut mundus non poſſunt te vincere, aut impugnare, niſi per ea quæ poſſident in te.

Quam-

Quamobrem qui tua vitia perſequuntur, qui te præmunt,qui te tibi oſtendūt,qui tibi ante oculos infirmitatem tuam conſtituūt, qui deniq; te offendunt,hoc eſt ,qui lædunt in te propriam tuā volūtatem (neq; enim te læderent niſi propriam haberes volūtatem proprium'ue amorem,quę ſolæ lædūtur.qui itaq; quod dixi, voluntatem in te propriā læ dunt, qui immortificationem propriam tibi oſtendunt,amici tui ſunt tibi benefacientes. Hos tu amare, ſimulq; gaudere deberes, q̄ peſſimo aduerſario tuo,eiq; qui ſolus pernicioſus eſt hoſtis, hoc eſt, proprietati perſequutionem inferunt. Vnde tu (ſi prudenter vti hac occaſione velles)tāto fortior euaderes atq; validior,quo magis illa premeretur.

Quanto minus proprietas in te ſibi vindicauerit, tanto plus ego mihi in te vſurpo, & quantum illa abfuerit tantū ego te poſſideo: quia proprietas ſi nihil aliud mali tibi adferret, hoc mali ſecum habet quòd me non ſinit in te operari. Spoliat igitur quotidie te infinito bono: quocunq; igitur te vertas, nō aliā ad me reperies viam q̄ hanc,quam diſcipulos meos docebam dicens: Qui vult

venire

venire poſt me, abneget ſemetipſum, id eſt, relinquat, mortificet, exuat volũtatem propriam, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Incipe igitur, quia ſic neceſſe eſt. Quicquid reliqueris, ſi te ipſam non relinquis, nihil reliquiſti. Atq; contra, ſi te ipſam non amas, ſi te ipſam non poſſides, ſi te ipſam mihi relinquis, omnia propter me (licet in medio diuitiarum & honorum conſtituta) reliquiſti. Quo plus teipſam fueris egreſſa, tãto ego ingredior. Et ſi multum tibi mortua fueris, tantundem ego in te viuam. Si tu tibi diſplices, ego tanto ſuauior. Relinque igitur omnia, vt inuenias omnia, hoc eſt, relinque te, vt inuenias me. Quouſq; cũctaris filia quouſq; trepidas. Omnem preſſuram tibi ſolus amor tui, & modica quam ad me habes confidentia, faciunt. Deſere igitur te, & mihi crede. An ego te poſſum fallere? Quare non credis te mihi? Cur non confidis meæ bonitati? Quid tibi ipſi prodeſſe potes? quid tibi confidere? Quid es ſine me? Num periclitaris, ſi te mihi tradens deſeras te? Vide cui tradis te? Mihi vtiq; ſine quo nõ potes eſſe aut ſubſiſtere, quanto magis nec bene eſſe?
Mihi

Mihi te trades, quo cum non potes male eſ-ſe. Mihi te trades, qui non poſſum te proijcere, non poſſum te proijcere, nō poſſum deſerere, non poſſum decipere: quia nō poſſum te non amare. Confidenter igitur & incunctanter proijce te in me, ego recipiam, ego ſeruabo te. Quaſi non ſis, ſic es extra me: ideò ſi vitam quæris, proijce te & amplectere me, vt & ego amplectar te, adeoq; mihi coniungam te, vt ſi quis te lædere, ſi quis te velit tangere, neceſſe fiat, vt ante tangat me. Proinde hilari & prompta mēte relinque te, vt neq; hoc neq; illud procures, optes, aut eligas, ex aliquo reſpectu amore aut inclinatione tuijpſius, ſed omnia ſint tibi propter me æqualia: illud verò magis charum, magisq; deſideratum, quod mihi cognoueris magis acceptum. Semper enim in corde tuo verſari debet (quam patri in monte ad paſſionem iturus obtuli) oratio: Domine fiat voluntas tua. Item, veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Item doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. Item, fiat mihi ſecundum beneplacitum tuum. Vis autem ſcire quantum te

relique

reliqueris quantum'ue tibi mortua ſis? Vide quando damna rerum, quando contumeliæ, quando iniuriæ tibi eueniunt, an turberis, & an plus turberis quando tibi, quàm quando alteri acciderint: hîc amorem tuum inuenies ad creaturas, imò ad te ipſam. Ideò enim temporalia bona, ideò honores, ideò quietem, ideò alia huiuſmodi miſera & caduca diligis: quia te ipſam diligis. Hęc enim tibi optas, cũ potius ſi me amares hæc propter me à corde proijceres, oĩa verò aduerſa æquanimiter ferres, nec magis quãdo tibi, q̃ dum alteri cõtingunt aduerſa, imò multo minus turbareris. Sola enim cauſa deberet eſſe triſtandi, ſi mihi irreuerẽtia aut contemptus fiat. Itaq; qui ſe ipſum reliquerit filia, huius opus exercitiũ atq; ſcopus eſt à ſeipſo deficere, ſeipſum exuere, tranſformari, & â medijs quibuſlibet inter ipſum & me exoccupatum ac liberum fieri. Media minima ſunt cogitationes ac ſimilitudines de creaturis, maxima, propria voluntas, quæ quanto validior eſt, quanto latiorem in homine occupat locum, tanto ego ibi ſum minor, tantoq; minus in anima poſſideo. Quàm-

diu

diu itaq; ſentis inclinationem aut tractũ naturę ad vnam rem magis quàm ad alteram, nondum perfectè mortua es, & habes adhuc quod in te mortifices. Quicquid igitur ſentis quod poſſit te afficere extra me, quicqd animũ tuũ nititur occupare, mutare aut detinere, quicquid ſimilitudinẽ ſui conatur imprimere, quicquid ad ſe trahere, quicqd voluerit te mœſtare aut inuoluere, hoc ſtudeas mente introuerſa, clauſa, ac ad me eleuata tranſire, & libere omnem ſpem ac metum, lucrum ac damnũ quietem ac laborem, gaudium & mœrorem, ſolicitudinem omnes q́; id genus occupatiões cordis, horumq; reſpectus ſupergredi. Si enim fixeris animum tuum in me, hæc omnia calcabis. Porro ſi te amaueris, ſi teipſam non exueris, pro te gaudium ac triſtitiam, iram ac metũ, ſolicitudinem & paſſiones innumeras ſemper habebis. Quocirca nunquam niſi tui oblita ac tibiipſi mortua, potes eſſe tranquilla. Deficias igitur à te oportet, vt in me ſolo viuas, in me ſolo ſapias, & me ſolum ſentias filia. Nihil tibi deerit, ſi hoc modo tibi defueris. Nihil deerit quãdiu mecum fueris. Ego tui

curam

curam habebo. Ego protegã te. Nihil po-
tes negligere hoc modo tui negligens, quia
centuplum in me reperies. Omnẽ igitur cu-
ram, omnem ſolicitudinem, omnem timorẽ
proijce in me, & teipſam crede mihi. Spera &
confide in me, nõ poteſt te fallere ſpes tua,
nec eſſe poteſt nimia, ſi bona aut pœnitẽs fue
rit vita tua. Quicquid homini amico vel-
les conqueri, hoc reuela mihi. Ego tui curã
ſuſcipiam, ego te nutriam, ego te foueã ego
te defendam. Tu vero quaſi à teipſa aliena
me ſolũ cures, quomodo videlicet teipſam,
id eſt, deſyderia tua, priuatũ amorem, ſenſua
lemq; appetitũ in te radicitus mortifices &
extinguas, abrenunciando omnibus deſyde
ratis, quorũ cauſa vt deſyderarẽtur nõ eram
ego deus tuus. Hanc autem obedientiam,
hanc propriæ voluntatis abdicationẽ, hanc
tuiipſius relictionẽ zelari debes propter me:
cui adeo reſignata, adeo ad o͞mia debes eſſe
ſubiecta, vt nullam omnino habeas volũta
tem aliam q̃ beneplacitum meum.

De conſideratione diuinæ prouidentiæ.

QVãdiu in te fuerit optio, electio, aut
inclinatio vt tibi in vna re maior ſit

voluptas,maiorquies,maior cõſolatio, q̃ in altera,adhuc propriũ aliquid eſt in te,necdũ perfecte abnegaſti te. Siquidẽ indifferẽter ac æqualiter omnia deberes amplecti, & in ſola mea prouidentia ſtare ac niti: hoc ẽm maximam tibi pareret libertatẽ,maximã pacẽ,maximam tranquillitatẽ. Nihil igitur ſuper te ipſa ſtes,nihil ingenio nihil viribus tuis credas,nihil tibi cõfidas,nihil tibi ſuper te promittas,nihil ſuper te ædifices,nihilq́; proponas, nihil profectui tuo, nihil voluntati tuæ quẽlibet bonę fidas,ſed teipſam omnimodis deſerens extra teipſam eas, & extincta omni proprietate in me ſolo ſtes &requieſcas,meę bonitati confidas,meæ gratię,meę prouidentiæ innitaris, parata omni tempore citra electionẽ,ſine diſcrimine, & ſine retractione cordis pro mea voluntate tam aduerſa quàm proſpera ſuſcipere,in tempore ac æternitate, hoc vnum deſiderans ſemper, eſſe ſecũdum meam voluntatem. Quapropter q̃ multum aut parum proficias, q̃ propè aut longè mihi ſis,quàm magna aut modica habeas dona mea,vtrũ ad purgatoriũ aut ſine purgatorio exeas,q̃diu pati habeas & quãdo, totum

cõmittas

cõmittas prouidentię meæ,nec aliud deſideres,quàm nunq̃ aliter inueniri,atq; meæ bene placuerit volũtati, nec aliud tibi bonum maius optes, aut euenire poſſe exiſtimes, quàm vt ſuprema, vltima, laudabiliſſimaq́; mea voluntas in te fiat,tuq; mihi iuxta quod maximè velim placeas; voluntas mea ſit perfectio tua atq; perfectionis menſura. De futuris nulla cor tuum moueat quęſtio,nulla ſolicitudo, nullam de incertis & contingentibus admittas curam,ſed mihi qui omnia rego,omnia cõmitte. Siquidem malum ipſum expectatum aut formidatũ poteſt fieri vt non veniat,quũ verò præſens fuerit,ſufficit diei malitia ſua. Quomodocunq; enim & quicquid permiſero,prouidentia mea tibi placere debet ſuper omnia,& laudare me debes, & certiſſimè tenere, id optimũ tibi eſſe, ac manu id mea benigniſſima tibi,(hoc eſt, in vtilitatẽ tuam) præuiſum ac prçordinatũ, modo plena fiducia innitaris ſuper bonitate mea. Bene de me ſentire, firmiter in me confidere,ac plenè ſe mihi relinquere, prędicãt bonitatem meã, propterea adeò hæc mihi placent in homine, vt non poſſim illũ relinque-

 re,

re, nec poteſt illi mali aut pernicioſi quid accidere qui ſpem ſuam in me locauit. Quanto maior in te ſpes & fiducia eſt erga me, tanto plus & perfectius obtines quicquid deſyderas. Et quicquid tibi acciderit, ſi ita bonũ me credis, vt aduerſa & inimica oĩa in bonum tuũ, hoc eſt in vtilitatem tuam tibi conuertam, hoc fiet. Et (ſi tu ſaltim didiceris omnia ita accipere) abſq; vllo dubio fiet. Solẽt pij etiã amici mei orare vt à purgatorio præſeruem illos, non id male eſt rogatum: perfectius autem orabis ſi ante pedes maieſtatis meæ prouoluta deſideres vt iuſtitiæ meę in tua paruitate ſatiſfiat, obtuleriſq; te in gloriam meam ad purgatoriũ, & ad quodcunq; mihi beneplacitum pro beneplacito meo ferendũ, plus q̃ delectet te volũtatis meæ impletio, q̃ purgatorij euaſio. Itaq; ſi amorem ac zelum inordinatum, quem erga te & pro te, item pro ſenſu atq; volũtate tua habebas per gratiam meã viceris, & plena confidentia perfecte te in me proieceris, mihiq; ſoli innixa fueris, ſenties gratiã meam mira in te operantem. Intende igitur in me filia, & cogitans me relinque te, & ego cogitabo pro

te,ſemperq́ tibi aſſiſtens nõ deſerã te. Iterũ dico: Cuncta quæ tibi eueniunt,pure, nude ac immediate accipias de manu mea,& non à creatura aliqua,in omnibus admirãs,laudans,& cum amore ac gratiarũ actione deſideranter acceptans de bonitate mea prouidentiam meã, qua in omnibus quæ tibi eueniunt intendo ac operor tuã ſalutẽ,tuiq́ ſingulariter recordãs,hæc tibi mitto & ordino vt hæc ita agere aut pati habeas quo tui miſerear. Stude igitur & tu in omnibus quę vides & quæ ſentis, & in omnibus quę tibi occurrunt elicere laudem ac honorẽ meũ, vt intelligas quare hæc permiſerim.i.ex quãta charitate,& quomodo tu ad me & in me eadem referre debeas, teq́ ſimul offerre in originẽ vnde tibi effluũt, hoc eſt in bonitatem meam ad gloriã meã. Si hoc eſſes exercitio perfecte aſſuefacta, quo nõ minus libenter triſtia q̃ læta de me ſuſciperes, & me in omni creatura ſcires inuenire,tũc eñ nihil adeo eſſe poſſet tibi contrarium, quod non faceres tibi vtiliſſimũ, imo nihil à me foret tam alienum vnde mihi ſacrificium nõ offerres, ſiquidem in omni creatura ego ſum, & præ-

ter me nulla poteſt ſubſiſtere. Ea propter nulla creatura tam eſt vicina ſibi quàm illi, ego, qui vnicuiq; intimus ſum. Adeo autem pauper eſſe deberes ſpiritu, vt non habeas quod velis aut nolis, non habeas inquam, quod cupias aut fugias tui cauſa, ſed beneplacitum meum ſolum, quod vbiq; ex ordinationibus & permiſſionibus meis (ſi me pure quæſieris, & prouidentiam meam attenderis) mirabiliter intelliges.

De ſuſtinenda aduerſitate.

TRibulationē omnē atq; aduerſitatem tanq̄ nunciū ſignū gratię meæ tibi appropinquantis accipe. Propterea quandocunq; ſentis te moleſtia aut aduerſitate præmi, gaude, ſciens quia meruiſti. Itaq; nemini quàm peccatis tuis quod pati habes imputa, ſimulq; gratias age q̄ oculis miſericordię meę reſpiciēs te hac gratia dignatus ſim, qua filiorū virga hic te viſitē, arguā & caſtigem: nec quomodo digna fores te proijciā. Quamdiu arguo, quādiu flagello te, ſignū eſt quod meliorē te fore cupio. At ſi correptionem ſubtraxero, relinquēs temetipſam tibi,

tibi, videberis quidem tunc pacem habere & tranquilla eſſe, ſed infeliciſſima es, à qua vigilia & cuſtodia mea ſubtracta eſt. Quæcunq; igitur pateris dic tibiipſi: grauiora ego commerui. Quæ ſi etiā nulla cōmeruiſſes, mei tamen amore & in gratiam meam, quia hæc tibi aduerſa ferenda impoſui, ne meum impediatur beneplacitum) amantiſſimo patientiſſimoq; corde libenter omnia ſufferre deberes, quādoquidē ego pro te paſſus ſum. Qui tametſi nihil paſſus forem, nonne propter beneficia mea infinita quæ tibi impertior quotidie (quicquid enim habes, à me ſolo habes) dignus forē pro quo nonnihil ſuſtineres. Poſtremo, eſto, nihil horum ſit, nihilominus cogitare debes q; mea es, à me facta & plaſmata, nec minus mea q̄ lutū in manu figuli: quodq; idcirco poteſtatis & iuſtitiæ meæ eſt tecū agendi quæcunq; volo, tibi vero ne contra dicere quidē licet magis quàm figulo lutum. Quid enim contradicere habes creatori, ſiue conſoler ſiue affligā? Iam tantorū malorum tibi conſcia quę commeruiſti, quid ni deſideres etiā cōtemptum, quo bonitatē meā ſpreuiſti ſuper te puniri,

& ſuperbiam tuam humiliari? Verũ accedit aliud potius, videlicet quod ego amator tui, vt noſti, ſum fideliſſimus, optima queq; & ſaluberrima tibi prouidens, Cunq; volũtatis meę fuerit antequam crearẽ te, vt hac hora, hocq; momẽto eadẽ ipſa quę pateris, patiaris hęc itaq; amãtiſſima mea volũtas fidelitate & charitate plena, vt impleatur, tibi nihilominus debet eſſe deſideratiſſima, adeo, vt quicquid pateris cũ alacritate, dulcedine gratiarum actiõe, mititate, deuotioneq; cordis patiaris, nihil amari turbulẽti'ue cogitãs aduerſus eos qui tibi moleſtã aduerſa'ue irrogare vidẽtur, quin potius eos vt meos in hac re miniſtros, atq; à me ad hoc miſſos iuſſosq; cogita, & me ſolum intuearis, conſiderans q̃ benigno, quã amanti, quã deniq; pio ac fideli corde tibi hæc vt patiaris procurauerim.

De ſola igitur manu mea ſine alio medio accipe, quicquid ſuper te venerit triſte, & ex amore tibi ad vtilitatem tuam miſſum intellige. Tam deſiderãter itaq; illud ſuſcipe quã amanter ego mitto. Vnde cũ nihil paſſa fueris aduerſi, tũc demũ alienũ tibi me atq; offenſum putes, vtpote q munus pręclariſſimum

mum, quo omnes amicos honorare exorna reꝙ ſoleo,hoc eſt, pati & tribulare tibi nunc ſubtraxerim. Recoſe quãtas ego erumnas, quantas perſequutiones,quantas contradi- ctiones,quãtas pœnas & fatigationes,quan ta mater mea chariſſima, quanta deniꝙ ami ci mei veſtigia mea imitãtes perpeſſi ſumus. Deinde quod nemo ad æternitatis gloriam niſi per crucem calicemꝙ aduerſitatis per- uenerit, quod inſuper non alia ſit, præter hanc regiam, via ad patriam,quam te quo- que ambulare neceſſe eſt, ſi modo nobiſcũ in beatitudine, noſtro deſideras conſortio frui. Poſtremo, quòd tam vile aut modicũ non eſt quicquid mei cauſa egeris aut paſſa fueris, vnde glorioſam maximamꝙ à me nõ recipias mercedẽ. Verũtamen ego nolo vt tu quaſi pro mercede nihil ſeruias aut patia ris,ſed nudo ſolo amore.Ego ſcio qd pręmij tibi dare volo.Volo inquã,quia nulli debeo, aliter,niſi quia volo: dona eñi mea gratuita ſunt. Tu igitur noli de pręmio cogitare,ſed nobiliori modo amantiori, fideliorių cor- de me cogita & propter me, ex charitate te mihi ſubiice ad omia quęcunꝙ volo. Si ſci-
 res

res filia quantus eſt tribulationum fructus, pro voto ſuſciperes gloriari, in cruce ac tribulatione. Quanto igitur plura tibi occurrunt aduerſa, quantoq; deſiderijs tuis (etiam quæ ſunt ad placendum mihi) obſiſtitur, tanto debes ad patiendum eſſe feruentior, tantoq; erga me reſignatior, quia mea voluntate ac prouidentia agitur, quando voluntas tua etiam bona impeditur, vt videlicet pro vna duæ tibi virtutes naſcantur, habeasq; ſimul ex bona voluntate (tametſi non permittaris operari) boni operis mercedem, & ex aduerſitate voluntatem impediente, patientiæ coronam. Adde quòd bona voluntas quanto fuerit aduerſitatibus tentata & inuenta fidelior, quantoq; manet inter cōtraria ſtudioſior, tanto ei repoſita eſt apud me glorioſior corona. Itaq; quia te diligo, volo vt tota ac pure fidelis mihi ſis ſponſa, volo vt abſq; vlla proprietate mihi ſeruias, easq; non quo tu velles, ſed quocunq; te miſero ſiue duxero, ne in his quoque quibus mihi placere intēdis teipſam ſimul quæras, quin potius vt fidelis, deuota ac obediens ancilla, quæ extra dominæ ſuæ voluntatem nullam

lam habet electionem, ſic tu nulla in re teipſam, ſed me ſolum pure quæras, ſitq; id tibi ſemper acceptiſſimū, quicquid ego per manus hominum, aut quomodocunq; volo impoſuero tibi ferendum. Non igitur ad homines reſpicias, neq; hominibus imputes ſi pati habeas. Quid noxæ habet virga ſi pater corrigere filiū tentans, hac vſus fuerit? Et tu cur iraſceris hominibus, qui pro flagello in tui emendationem aduocati mihi ſeruiunt? Non igitur contra illos pugnes aut diſputes, ſed hoc obſerua, ne tua te impatiētia lædat, & fructū quē aſſequi debueras patiendo, amittas quærulando. Patiēdo igitur ad omnes homines eſto benigna ac mitis, eſto ſerena vultu, vt nulla turbulentia, nulla quærimonia, nulla deiectio animi ſeu triſtitia; nec quicq̄ in te deprehendatur vnde intelligaris pati aut grauari. Si te arguerit quiſpiam aut conuitiatus fuerit, ſerenū ac benignum oſtende vultū, tacens, atq; in ſignū dilectionis bene acceptātis, boni om̄ia conſulētis nec vltionē cogitātis, nec iniuriā ſentientis cū verecūdia humiliter ſubrideas. Caue autē ne tūc loquaris, niſi duo aut tria verba,

modeſte. Ita te exhibeas humilē ac mitem, vt nemo non audeat corripere te, nemo timeat deſpicere, nemo cõuitia inferre. Diſce in omni aduerſitate ad omnem obiurgationem, ad omnē cõtumeliam aut iniuriã tacere, ſuſtinere & quieſcere, & inuenies meam gratiam. Ad quam alioquin nunquam peruenies, niſi tacendo, & ea quæ tibi ferenda impono, æquanimiter ſuſtinendo. Habes autē ò filia ſimul ac ſponſa mea, vitam meã, patientiæ ac mititatis exemplar, neq; enim ocioſe dixi: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, quãdoquidem vita mea patientiæ, humilitatis ac mititatis fuit exemplar. Inter pœnas ac acerbos cruciatus, inter deriſiones & blaſphemias, inter truces hoſtiũ minas, & vultus impios, quid à me querularũ aut murmuris egreſſum eſt? Cui inimicorum maledixi? cui aſperè loquutus ſum? cui durè reſpondi? cui malè ſum precatus? imò cui non cõdolui, qui pro omnibus ſimul oraui? Sic tu in ſilentio & trãquillitate patientiam habe, & eſto ſine murmure & querela mitis. Noli tu pro teipſa pugnare. Noli pro te reſpondere. Noli te defen-
dere

dere aut excuſare. Tace & teipſam ac cauſam tuam mihi cõmitte, ego pugnabo pro te, & tu inperturbata immotaq; in ſilentio mihi interim inhære, parata cum deſiderio omnem confuſionem potius ſuſtinere mei amore, quàm vt intus vel extra remurmures in minimo. Quandiu videtur tibi iniuria fieri, quandiu æſtimas te indigna & iniuſta pati ô filia, tam diu neq; ad verã patientiam, neq; ad tuiipſius cognitionem perueniſti. Occurre igitur hilaris & deuota omni aduerſitati, & teipſam offer mihi ad patiendum, ad carendum, ac ad laborandum portandumq; quomodocunq; volo. Hunc diẽ æſtima amiſſum quo crucẽ nõ ſenſeris ſingularem. Si ſcires quantus eſt patientię fructus, magnam illis reuerentiam, magnam gratitudinem exhiberes qui te premũt. Cogita quomodo ego agnus innoceus ad eos qui me conſpuebant, flagellabant & crucifigebant, cor mitiſſimum gerebam, atq; per omnia tranquillũ, eosq; excuſabam, ac pro illis orabam. Ita tu oportet vt nullas iniurias reputes, nec quòd iniuriæ tibi fiant arbitreris, ſed me ſolum reſpicias, me attendas,

das, & quod ex dilectione ego ſolus omnia tibi hęc faciã intelligas. Hoc modo filia nihil eſt in creaturis quod non ſit via tibi & occaſio vberioris gratię meæ, quia in omibus inuenies me, modo creaturam non vt creaturam, ſed me in creatura, quemadmodum debes, contẽplata fueris, in creatura me receperis, me audieris, me ſenſeris, ſiquidẽ in omni creatura tibi loquor. Auſculta igitur & intellige per vnamquamq; rem quæ tibi accidit, quid à te velim: vbi vero didiceris meam voluntatẽ, mox ad illam deberes eſſe paratiſſima. Si ita auſcultares, hoc modo totus mundus tibi liber eſſet & eruditio.

De carentia conſolationis.

Via regia eſt & ſublimis perfectorum omnium amicorũ meorum, & abs te quoque ambulanda, videlicet non habere in omni præſſura, in omniq; aduerſitate vnde conſoleris, adeoq; pauperem eſſe, vt non ſuperſit tibi quo te vertas, quo cõfugias, cui confidas, aut quẽ conſulas, in quem've reſpicias, pręter me: vt nihil aliud tibi reſtet aut relictũ ſit q̃ animaduertere ac penſare quã-

topere

topere poſſis ad meam gloriã in hac præſ-
ſura ſuſtinenda proficere, intus per deſide-
rium te offerendo, & humiliter omnibus te
ſubijciendo & ſeruiendo, perinde ac ſi om-
nibus impune, citraq; iniuriam liceat, imò
à me præceptum ſit, te præmere ac concul-
care. Hic omnis querimonia, omnis argu
mentatio, omne murmur, omnis diſplicen-
tia erga proximum ceſſabit, & qui te durius
præ cæteris præmũt, hos amabis tu arctius,
propterea quòd viam abnegationis tibi ape
riunt, occaſionemq; me placãdi, itemq; gra
tificandi mihi, præbent. Inſuper gaudebis
quod materiam exercendę virtutis, proban
dæq; dilectionis erga me (quod ſi me perfe-
cte amares ſummopere deſyderares) tibi of-
ferunt. Eſt autẽ adhuc altior perfectio omni
videlicet conſolatione tum humana, tum di-
uina deſtitutum, tentationibus, præſſuris, an
guſtijs, dubijs, perplexitatibus, aduerſitati-
busq; oneratũ, & quaſi à me proiectum, aut
obliuioni traditũ, nihilominus à me ad crea
turas ſe nõ cõuertere nec à me recedere nec
ad mundana redire ſubſidia, nec ſibi conſo-
lationes aut reuelationes expetere, ſed mihi
fidere,

fidere me preſtolari,& mūda fide ac ſola charitate mihi inhærere, paratumq́ſic manere quandiu mihi placet: imò ad hæc & alia quęcunq́ pro mea volūtate,& ad gloriā meam ſe mihi relinquere, ſe reſignare & me in huiuſmodi preſſuris, quomodocunq́ etiā poteſt, vel arido corde laudare.

De pace interna ac mititate cordis.

SAtis iam intelligis ò ſponſa q̄ te oporteat eſſe patientem, quamq́ in patientia mitem, hoc eſt, cum æquanimitate, pace ac tranquillitate cordis omnia toleran tem(neq́ enim aliud eſt mititas, quàm in vera patientia tranquillitas) vt nihil te etiam contriſtari, nihil perturbare queat, quicquid extra me tibi acciderit: ſiue in tēpore id fuerit ſiue æternitate, hoc ſolo dempto, quod à gratia & charitate mea non velis eſſe excluſa nec volūtate à me aduerſa. Hoc enim nō eſt negligendum ſed ſummopere curādum vt charitate mihi ſemper cōiuncta maneas. Deinde quocunq́ loco, quacunq́ pœna aut conſolatiōe tenearis (hocipſum ad gloriam meam & præcipuum beneplacitū meum ſit)

in

in hoc gaudeas,quod meę ſubiccta ſis volũ tati, parata iuxta voluntatem meam & con- ſolari & tribulari. Sic conſtitutã nihil ab ex- tra aduenieẽs poteſt te contriſtare. Nihil em̃ tuæ voluntati eueniet cõtrarium, dum mea ſemper eſt tua volũtas, nec aliud habes atq; meum velle: ideo ſemper(quod dixi)fiet vo luntas tua in omnibus. In hoc em̃ tibi ſum- mopere eſt gaudendũ quod mea in te perfi- citur voluntas. Ideo in interiori homine to ta tunc es in pace conſtituta, q̃uis in homi- ne exteriori præſſura ſit & deſolatio, quã ta- men in pace recipis, qa aliud non vis, q̃ ego volo. Hoc modo filia eſto tranquilla, proui- dens, quo furor in te omnis, omniſq; quæri- monia penitus extinguatur, & vis ipſa in te iraſcibilis in quodam ſilẽtio immobilitetur. Concupiſcibilis vero circa virtutes ſtabili- ta in me eleuetur, Porro rationali his con- gaudente, & conſciẽtia pace ipſa ac ſerenitate ſua perfruente anima tota tranquilletur.

De proximi dilectione.

AD omnem proximũ filia cor habeas compaſſione & caſta dilectione plenũ.

Caſtam voco dilectionē, quę cor nō inquinat concupiſcētia carnali, nec ſociali occupat familiaritate, nec inordinata affectiōe cōmaculat, nec diſtractiōe inqetat cogitationū, nec deſideriorū turbat importunitate, nec ſimilitudinū ac phantaſiarū multiplicat imaginatione: ſed citra electionē perſonarū, citra diſtinctionē ſexus, omnē hominē in me amplectitur nudę charitatis effluxiōe. Ita plena pio fauore, plena charitate cōgaudeas omniū ſaluti & profectui, atque rurſus ſingulorū neceſſitatibus, tota ſcatēs cōpaſſiōe cōdoleas, benignitate affabilitate miſericordia & pietate affluēs & effluēs ad vniuerſos, vt ad conſolādū, ad ſeruiendū, ad ſupportādū & ad ſubueniendū prona ſemp ferueas quibuſque potes modis, idque hilari corde, omniū infirmitates tum corporales tū ſpūales tuas exiſtimās, & erga quoſcunque pijſſimę matris affectū in te transformās. Quapropter ſtudeas excuſare omnes, & promouere oratiōe, beneficijs, & obſequijs. Porrò in quos beneficij aliud nō potes cōferre, ſaltim vultu benigno, dulci alloqo, & ſigno, eorū ſtudeas triſtitiā delinire. Caue maxime quēpiā iudicare aut ſpernere, quia

quia vehemẽtiſſimè id animę tuę nocet, & mihi diſplicet, quin potius & ſuſpiciões malas fortiter exclude. Excuſa omẽs, etiã qui labũtur. Cum peccãtẽ vides, dic: quod ad emendationẽ maiorẽ à me permiſſus ſit labi. ꝙ ignorantia aut errore deceptus bonã habuerit intentionẽ, ꝙ nimis valide cõcuſſa tẽtationi eius infirmitas ſuccubuerit: Dic & vere ex animo dic, ꝙ multo grauius cecidiſſes tu, ſi te hęc tentatio apprehendiſſet. Diuerſo oculo tua & proximi opera debes intueri: Nam tua ſeuero oculo debes trutinare magnificiendo defectus, & virtutes paruipendẽdo. Contra vero proximi defectus debes paruiæſtimare, magnipẽdere virtutes: quapropter ſemper caue loqui & audire mala de alijs. Nunq̃ quando irã ſentis (ſi corripiendus ſit) proximũ arguas. Quid enim prodeſt, ſi tu illum ſanas & te vulneras? Aut quid cõfert hęc medicina, ſi vnũ vulnus ſanare conaris, & decẽ interea infligis alia? Expecta tempus correptionis, quãdo & tu trãquilla ſis, & ipſe fructum correptionis recipere poſſit, tunc corripe eum in ſpiritu lenitatis & dulcedinis magis orando, cohortando, quàm dure

tractando: orans interim gemitibus me, vt correptio in eo ſalutẽ operetur. Caue ne diſſenſionis, diffidij, odij've cauſa ſis, ſed ad pacem vbiq; loquere, memor quod dixerim: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabũtur. Si quis te offenderit, ſi odio te perſequitur, pro malis beneficia, pro duro & liuido vultu, dulcem & ſerenum, pro aſperis & contumelioſis verbis, mãſueta & lenia redde: hoc modo facilius ad ſui cognitionem illũ reduces. Ex om̃ibus laboribus, miſerijs, paupertate, contemptu & doloribus quæ vides in hominibus, collige labores, afflictiões, contemptum, pœnas, ac reliqua dura & aſpera, quæ pro te ego ſuſtinui, vt in quouis homine me contempleris, me ſentias, me diligas, mihi cõpatiaris, & in me tranſformeris.

De puritate cordis.

STude puritati cordis, vt abſtracta nulli inhæreas delectationi, imo nullam quæras delectationem, nullam recipias delectationẽ, ex deſiderio delectationis nulli acquieſcas. Cogitationes quoq; non ſolũ illicitas, ſed ocioſas om̃es ac inutiles proſcinde, nulli

ſcienter

ſcienter in te dans locum. Propoſitũ tuum ſit nihil cogitare, niſi aut me, aut propter me Similitudines & formas rerũ quantũ potes intra te non recipias, ſed imagines & fantaſias quaſcunque ilico vt ſe manifeſtauerint, repellas. Curas & ſolicitudines omnes in me proijcias. De quocunque euentu non perturberis. Sta ſemper ſuper cuſtodia cordis tui vigil, ne vlla affectio inordinata ad hominẽ ſeu creaturam quamcunque, nullũ deſiderium ſenſuale, nulla paſſio viciosa, nulla concupiſcentia & vt nulla inclinatio, nulla intẽtio viciosa in te quieſcat. Noli conſentire vt medium quoduis minimũ ſit inter me & te. Tu etiam nulla in re teipſam quęras aut intẽdas, ſed me ſolum pure ac ſimpliciter. Mentem tuam vbique erige ad me, ſemperque eleuatam tene, vt quicquid loquendum, tractandum, cogitandum've tibi fuerit, mecũ illud primum tractes per orationẽ & internũ colloquium ſpiritus. Quapropter omnis actio, occupatioque exterior, materiã & occaſionem tibi præbeat orandi, imò ipſa occupatio animi tui non aliud ſit quàm iugis perpetuaque oratio. Nihil videas tam alienũ, nihil tam di

ſtortum, ex quo occaſionem non haurias orandi atq; me laudandi. Ex omnibus eleues mentem tuam, & transferas affectũ tuũ in me. Quicquid vides pulchrũ, quicquid amœnũ ſeu delectabile ſentis, refer ad me, vt ego ſolus omĩs tua delectatio ſim. Omnia te ædificent, & nihil tibi occurrat, ex quo nõ mediteris animæ tuæ aliquem profectum.

Quomodo omnia bona pure in deum ſunt referenda.

EX operibus meis atq; donis, nihil tibi debes vẽdicare. Dona quidẽ mea cognoſcere debes in me, & beneficẽtiã meã, charitatẽ gratuitã, ac benignitatẽ admirari. At nihilominus tuã vilitatẽ ſemper ante oculos debes habere & nihileitatẽ, vt ex donis meis nihil tibi aſſcribas, nihil vẽdices. Nec inde gaudeas aut conſoleris quod à me aliqd receperis, quod've in te aliquid operatus ſum boni. Non debes inquã propterea gaudere in te & propter te, videlicet quod aliqd aſſequuta ſis, quia illud eſſet gaudiũ propriũ, ſed debes gaudere in me & propter me, quod tam bonus ſum, tam liberalis tam pius & miſericors

ſericors ſuper indignos & ingratos, quæ bo nitas mea tanto manifeſtior facta eſt in te, quanto tu vilior es, & mihi ingratior. Iaq; in donis & ex donis meis lęteris, nō propter te, ſed propter me. Et propterea in huiuſmodi habe te (excepta gratitudine & humiliatiōe, quę ex donis meis creſcere debēt) ac ſi nihil tibi datū, nihil i te factū ſit, nihil ſenſeris, ocu los tuos dirigēs in tuū nō eſſe, nō poſſe & in tuū deficere, ne extollaris, & ne in tę gaudeas aut tibi blādiaris, ſed oīa refer in me. Si igi tur dulcedinē humiliationē ve ſenſeris aliquā aut ſi per te gratia mea beneficiū, bonū've operata fuerit in alio homine, gaudere quidē potes de bono quod ex me factū eſt, nō au- tem ſuper illo gaudeas in te, videlicet quòd tibi hoc faueas atq; leteris (latet em̄ amor pro prius) q̄ p te hoc factū ſit, ſed auerte cor tuū potius ab illo q̄ factū eſt, & à teipſo, nequaq̄ hęc duo ſimul cogitādo, id eſt, teipſum & meū beneficiū (niſi vt dixi, id fieret ad collationē meæ bonitatis, & tuę vilitatis) Sine hoc pro illo tempore tranſire, quaſi nō ſit factū, qua- ſi nihil ſenſeris: & in me interim intendas, & non in donum. Non igitur donum ipſum

inſpicias, nec figas ibi animum tuū, nec læ-teris, nec ibi quieſcas. Imò ſi quid ſentis, non diſcutias nec inueſtiges curioſa intra te vol uens quid ſentias, quid ſit, & vtrum à me an aliundè ſit: (hæc enim faciunt medium inter me & te, & te remorantur à me) quin potiùs illud tranſeas, penetres, & intimiùs te mihi relinquere ſtudeas. Eligas autē magis quæ intra te aguntur hoc modo neſcire, q̃ vt cu-rioſo hoc ſcrutinio gratiā meam impedias, & periculū tibi cōpares vnde inflēris, aut vn-de tibi placeas, aut ex proprio amore in te, & pro te gaudeas. Committe hoc vt cætera omnia mihi. Hoc vnū ſecura certaq; tene, ſi à me quippiā tibi datur boni, citra tua meri-ta indignè ingrateq; datur. Perplacet mihi hęc humilitas, vt propter vilitatem, indigni tatem ac ingratitudinem tuam formides, pa ueasq; in huiuſmodi, habeasq; inde verecū-diam ac turbationē, & potiùs putes nihil eſſe quod ſentis, aut à me non eſſe, quā quod ſu-per hoc gaudendo quieſcas. Memor eſto quod Apoſtolis meis quoq; prohibuerim quod nō gaudeant ſuper miraculis, & quod immūdi ſibi ſpiritus ſubijcerentur: q̃uis cer-

tiſſimè

tiſſimè à me hoc donũ accepiſſe nõ ignorarent. Sic tu quoq; filia ſuper conſolatione aut dono quocũq; accepto nõ glorieris in te nec gaudeas extra me, hoc eſt, aliter q̃ propter me, nec in eo quieſcas. (Abſcondit enim ſe vbiq; priuatus amor, qui incautis facilimè imponit) ſed in me ſolo, id eſt, de gloria mea ac beneplacito meo. Nihil enim de donis meis gloriari, nihil tibi laudis vſurpare, aut vendicare, nihil tibi aſſcribere debes, nihil tibi prorſus tribue aut tribui ſine, nec exultes inde quaſi in re tua, ſed o͂mia ad me & in me referas, & ſerua te aliena ab omni proprietate, nihil tibi attribuẽdo, nihil pro te zelando, nec pro te gaudẽdo. Viue ſine proprio conſilio, abſq; proprio iudicio, ſine proprio ſenſu, omnino pauper ſpiritu. Filia, ſi mea cupis eſſe ſpõſa, cor tuũ ſemper ſerua caſtũ, purũ, ab omni amore alienũ, liberũ, & à nulla creatura poſſeſſum. Quotiescunq; amorẽ ad hominem aliquẽ, aut ad quãcunq; creaturã ſenſeris, aut ſenſualem aut naturalẽ, toties ingemiſcens ad me aſpira, expetens meã gratiã, & meam amicitiã ſolam ſecurã, fœlicem & ſempiternam. Quicquid enim erga creatu-

ram in ſenſibus tantùm agitur, impurũ eſt, & periculo nõ caret. Vbicunq; etiam natura recreationem, conſolationẽ, aut oblectationem recipit (ſi ad puritatem aſpiras) neceſſe eſt vt illa te conſolatiõe abdices, ſiue in verbis, ſiue in rebus quibuſuis id fuerit. Oportet vt libera tranſeas cuncta, nullibi hærendo præterq̃ in me. Porrò nihil hominẽ à creaturis & à ſeipſo tam liberũ exoccupatumq; reddit, q̃ ſeipſum & omnia creata vilipendere, & me ſolum prætioſum in corde ſuo habere, alia verò omnia, vt ſunt, ſtercora æſtimare. Explora diligenter in cunctis operibus, ſtudijs ac voluntatibus tuis quid te moueat, & ſiue loquaris, ſiue taceas, ſiue agas, ſiue quieſcas intima animę tuę, hoc eſt cogitationum atq; intentionũ tuarum medullas ſcrutare, & reperies ſæpenumero, ꝙ origo, radix, fomesq; (vnde naſcitur quod diuinũ putatur) mere eſt humana, propria ac vitioſa tuiipſius quæſitio. Vigila igitur tu vt nihil te intret vitioſum, nihil intra te reſideat inordinatum. O ſi cor ab omni exutum creatura haberes, ò ſi ad me tota conuerſa me ſolum deſiderares: tam deſyderabũdus tibi occurrerem,

currerem, tamq; vltro tuo me cordi inſinuarem, ac ſi ego ſine te non poſſem viuere, aut ſine te felicitas mea imperfecta eſſet nec cõſummata. Graue quidẽ nec abſq; cruce erit initio vt in om̃ibus, vigilãter te perſpicias & obſerues, quid quæras, quid te afficiat, & vbicunq; inueneris aliquid quod ego non ſum aut cuius cauſa ego nõ ſum, mox ab eo te auertas. Hic inquam labor occurrit & afflictio ſpiritus. In multis enim inuenies teipſam, vbi te neceſſe eſt vt relinquas, & quicquid inordinatum eſt in te mortifices. Si naturam tuam vincere debes, vim vi inferas neceſſe eſt. Itaq; tot inuenies cruces quot inueneris inclinationes in te vitioſas ſiue impuras mortificandas. Hic primum teipſam cognoſces filia, hic ex impotẽtia & fragilitate qua teipſam vincere nõ potes humiliaberis, & quam te putabas aliquid eſſe inuenies nihil. Veruntamen ſi iugi ac perſeueranti ſtudio inſiſtis, quod graue erat fiet leuiſſimum. Multa in te ſalutaria operatur hæc diligens & aſſidua introſpectio examinatioq; tuijpſius. Oſtendet enim tibi infirmitatem & defectus tuos, pariet tib

gem

gemitum ac deſiderium pro liberatione eo•rumdem, faciet ſolicitũ multa cauere ac eua•dere pericula, quæ alioqui incidiſſes. Labor deniꝗ ac præſſura in qbus ſudas, donec exu aris his defectibus, & lachrymæ quas fun•des (quia teipſam vincere nequis, nec care•re potes quibus velles carere) erũt tibi bap•tiſmus ad purgationem animæ tuæ, atꝗ ad delictorum tuorum expiationem. Noli igi•tur animo deficere, in me vinces oĩa. Con fide, ego tecum hãc crucem leuabo, ego te•cum portabo.

Quomodo inſtinctus diuinus eſt ob ſeruandus, & gratia nõ negligenda.

EXercitijs bonis ac conſuetudinibus ſemper abundes filia, quibus vtaris, & per quæ cor tuũ ad me dirigas, quando tra•ctum alium ex me non ſentis ſingularem. Tuis eñ exercitijs nunꝗ adeo inhærere de•bes, vt tuos cõceptus meis inſtinctibus prę feras. Sed vbicunꝗ (ſiue id fiat per manife•ſtationem volũtatis ſuperioris, ſiue per meã diſpenſationem, qua dubijs rerũ euentibus neceſſitatem interdũ impono) voluntatem meam

meam didiceris, ibi teipſam deſere. Vbicunq; etiam intus tractum meum certũ ſenſeris, ibi te confeſtim relinque, & mihi obtempera ſequendo tractum meũ. Neq; enim mihi hoc ſufficit, vt mihi ſeruias, & vt me quæras ac intendas, ſed volo etiam, vt mihi quemadmodum ego volo ſeruias, hoc eſt, vt relicta voluntate tua etiam in eo quod virtuoſum eſt & laudabile, propter voluntatem meam amplectaris illud quod uilius eſt. Propter voluntatem meã, id eſt quia ego ſic volo, ſic ordino, ſicq; diſpenſo, quia eiuſmodi tũc nõ vile nec ſolum bonũ, ſed etiam melius eſt. Hoc modo exercitia tua ſæpe intermittere, ſępe transferre te oportet, non ex negligentia non ex acedia, nõ ex cordis inſtabilitate, ſed ex plena ac nuda tuijpſius abnegatiõe, vt nusq̃ nullaq; in re ſtes ſuper te, ſed ſuper me cum omni, plenaq; fiducia. O ſi ſcires quanto periculo, quãta've iactura ſpiritualis profectus non recipiuntur inſpirationes meę: quamq; damnabile ſit inſtinctibus meis cõtraire, prę anguſtia pariter ac tremore procul dubio cor tuũ contabeſceret. Quocirca tu filia ſta ſemper in timore, & ſuſpectã te habe

de

de ingratitudine. Metue ne (quod mereris) tibi, ſicut multis alijs, contingat, vt propter ſuperbiam & ingratitudinem tuã, iuſte à me relicta, excidas à gratia mea. Eam ob rem ſemper eſto humilis, non in te, ſed in me con fidens. Ora continue pro gratia mea, & hanc vigil obſerua, vt ſcias quid à te requiram, nec tamen tantummodo ſcire ſufficit quid velim, ſed poſthabitis & ſpretis etiã alijs om nibus, oportet meam anteferas facias que vbi cunque didiceris voluntatem. Quòd autem monui, vt metuas ne gratiã meam amittas, aut ne per ingratitudinem negligentiamque tuã à me deſeraris, in hoc prouidendũ eſt, ne hic timor ex deſperatione puſillanimitateque, ſed ex humilitate, quę nihilominus ſpei atque fiduciæ plena eſt naſcatur. Si non vales aliorum exercitia imitari, non propterea ſis puſillanimis ac deiecta: ſiquidem ad aliorũ non tam exercitia quàm virtutes reſpicere habes quandoquidem vnicuique pro naturali ſua complexione, pro vocatione item ſingu lari qua illum traho, ac ad ſcopũ certumque finem deſtituo, dona mea diſtribuo. Dedi etiam exercitia eidem congrua, quæ nec eadem

dem nec prorſus conformia poſſunt eſſe in ſingulis, ſicut nec ſingulorum ſiue natura ſiue vocatio (quibus plerunque ſeſe accomodat gratia mea) in omnibus eſt vniformis. Si igitur virtutum exercitia aliena non potes ſequi, virtutes eorundem potes imitari. Hæ namque in omnibus eadem ſunt. Potes enim eſſe humilis, potes eſſe miſericors, potes eſſe patiens, tametſi earundem virtutum non eoſdem actus cum alijs habeas. Eſt via ad me quæ omnibus ſanctis conformis fuit ſimul ac vna. Hæc via eſt charitatis, quæ multiplicia ac varia ſanctorum exercitia in eundem finem mittit: hãc te oportet ambulare, per quæcunque media tibi oſtendero. In hac via charitatis ſi ambulaueris, hoc eſt, ſi me ſequuta fueris, omnia ex me accipiendo, & omnia in me referendo, & ſub potẽti manu mea te humiliando, in cũctis denique quæ agis aut loqueris, me ſolum intendendo, ac gloriam meam quærendo, non ſinam te errare, per quamcunque etiam caliginẽ aut ignorantiam ambulaueris, & quacunque tentatione aut preſſura iactata fueris, & quantumcunque à me deſertam aut proiectam te putaueris.

Itaque

Itaq; reſpice ad vocationem tuã,& huic congrua adhibe exercitia, parata ſemper & illa pro inſtinctu meo & pro diſpenſatione ac beneplacito meo relinquere,mutare,ponere & reſumere. Neq; enim perfectionem tuam ad huius vel illius menſuram, neq; ſecundum tuam æſtimationem,ſed ad meũ beneplacitũ tibi ſtatuere debes, reſignata, vt non quod ille aut ille habet, nec quantum tu,ſed quantum ego volo tu habeas. Tua igitur perfectio quam deſideres,ſit eſſe iuxta volũtatem meam, ac ſecundum beneplacitũ meum in abundantia aut penuria.Opta & ora eſſe coram me qualẽ ego te maxime vellem. Obſerua, diſce,& ſequere gratiæ meæ tractum. Si te ipſam neq; in natura, neq; ſecundum ſpiritũ quæſieris,ſed me ſolũ pure, intelliges viam & tractum meum quo ire debeas.

De donis dei communicandis.

Filia gratias ac dona quæ tibi dedi, volo vt non negligas. Porro in his vide ne teipſam quæras,ne tibi ex his aliquid aſcribas, ne infleris, ne te iactes, ne glorieris, ne tibi placeas, ſed pure ad gloriam meam

omnia

omnia impendas. Hoc ante omnia in oculis tuis ſit quod nihil es ex te, nihil potes, nihil habes. Ex me vero ſolo habes quicquid habes. Itaq; dona mea inaniter & ſine fructu ad me redire nolo, ſed (ſicut in parabola euangelica monui de talẽtis) cum fœnore ac lucro. Sicut em̃ in corpore tuo oculus tuus non ſibi tantum eſt oculus, nec ad vſum & vtilitatem duntaxat propriam eſt conſtitutus, ſed vt cæteris quoq; membris pariter videat: ita quęcunq; tibi dedi talenta ſeu dona, non idcirco tantum dedi vt pro te ſola ex his fructũ aut vſum capias, ſed pro alijs etiã membris corporis mei myſtici in te poſui dona ſeu bona, vt per illa tu alijs ſeruias, ſubuenias, lucreris q; & adducas mihi proximos tuos. Ideo enim illis fortaſſe non dedi quæ tibi dedi, quia in te, & tibi & illis prouidi, quemadmodum e diuerſo multa tibi negaui quæ alijs dedi. In hoc tamen quod alijs dedi, ita dedi vt non illis tãtum, ſed etiam tibi in illis, quia pro te illis dedi. A te igitur exquiro vt alijs tu mea dona cõmunices, atq; pro alijs libenter facias, ſi quæ tu potes quæ nõ poſſunt illi, vt ſic vna cha

ritas ex multis vobis vnum faciat corpus: & quicquid in vno membro hoc corpus habet, etiam pro alio habeat: quia alterum debet alterius participare bonum ex vnione corporis & communione charitatis. Hæc conſideratio voluntatis meæ faciat te filia ad ſeruiendum proximis alacrem, ad ſupportanda eorum onera hilarem, ad compatiendum mitem, ad conſolãdum benignã, ad largiendum promptã, ad gratulãdum piam, vt nulla prorſus inuidia, nulla cõtemptio, nulla emulatio, nulla proprietatis alicuius queſitio ſit inter vos, ſed vt inter membra eiuſdem corporis, charitatis & bonorũ meorum communicatio. Nihil em̃ habes quod tuũ eſt. Quid enim habes quod non accepiſti? Quapropter ſicut dixi, nihil habes quod nõ meũ eſt, nihil habes quod tibi ſoli, id eſt propter te ſolam tibi datũ ſit, ſed om̃ia quæcunq; accepiſti, tibi comm̃edata ſunt tantũmodo, in vtilitatem totius corporis eccleſiæ meæ exponenda, pro quibus ratio à te eſt exigenda. Eapropter nunq̃ tam ſublimi eſſe debes contemplatione ſubuecta, nunquam tam bene tibi eſſe debet mecũ (ſi proximi tui auo-

caret te neceſſitas, ſiue corporalis ſiue ſpiritualis) quin relicta tunc conſolatione propria, relicto propriæ deuotionis commodo, relicto denique contẽplationis illius ſuaui exercitio ſeu fomento, atque teipſa prorſus poſthabita, curras ad ſubueniendum proximo propter me. Hæc eſt enim charitas, vt non quę tua ſunt quęras, ſed quæ alterius. Et hęc charitas mihi acceptior, tibi vero erit fructuoſior omni cõtemplatione ſeu deuotione propria. Porrò in omnibus quæ agis, eligis, toleras aut fugis, cura vt ego ſim principiũ, medium & finis tuus, vt propter me omnia aut facias aut dimittas, & in his aliud nõ quęras quàm gloriam ac beneplacitum meum. Neque enim quia proximo ſeruis aut miſereris mihi acceptum eſt, ſed quia mei cauſa te, id eſt, tuam vtilitatem deſeris, & proximi neceſſitatibus ſuccurris, ideo mihi accepta es. Nam ſi propter aliud, puta propter fauorẽ, familiaritatem, neceſſitudinem, aut propter commodum & retributionẽ agis aliquid, q̃libet magnum ſit atque præclarũ, hoc ego neque recipio neque reſpicio: Nihil enim mihi ſacrificatur, quod mei cauſa non ſacrificatur.

De paupertate ſpiritus.

QVicquid igitur poteſt manus tua, inſtanter operare, eſuriens & ſitiens iuſtitiã. Nemo te videatur tibi infirmior, nemo magis virtutũ inops, nemo gratiæ meę plus indignus. Itaq; oculos tuos in tuos defectus ſemper figens, plange & geme quod tam multa tibi deficiunt. Porrò quicquid alij faciunt homines, quomodo ſe circa virtutes & erga me ſe haheant, quibus vijs ambulẽt non eſt tuũ diſcutere nec cogitare. Ego ſcio quid vnicuiq; dederim, ſcio etiã quid à quolibet exigere debeo. Tu eſto in oculis tuis omnium nouiſſima, viliſſima & quaſi nihil. Erubeſce in conſpectu meo (ſi quẽ te laudare aut bene de te ſentire audieris) & in hoc geme, quod mihi fiat iniuria ab hominibus de tam vili, ingrata peccatrice anima, hoc eſt, de te, bene ſentientibus. Crede te tam vilem, quod vnicuiq; liceat te cõtemnere & abijcere, vt in corde tuo non ſentiatur iniuria, nec vnq̃ apud te exiſtimetur ſi cõtumelias moleſtias'ue quis tibi irrogauerit. Siquidẽ omi etiam tempore nihil apud te referre debet

vtrum

vtrum laudes,cõuitiáve receperis,niſi quod laudibus indignã,conuitijs verò digniſſimã te æſtimes. Quamdiu enim iniuriam ſentis, quãdiu querularis,nondũ exuta es ab amore proprio.Nullã enim prçter eam quę mihi ſit ſic deberes ſentire aut æſtimare iniuriam. Ita igitur eſto erga me, vt eiuſdẽ ponderis ſit apud te,ſiue bona ſiue mala, triſtia an iucunda externa te acceſſerint, intus pauper ſpiritu, eſuriens & ſitiens (quod dixi) iuſtitiã, & cor habens liberum,paratum atq; feruens ad omne beneplacitum meum.

De amore Dei.

Filia, ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarũ, ita deſideret anima tua, æſtuet cor tuũ amore ac deſiderio ad me. Qui ardentiſſime ſitit, aliud non poteſt cogitare q̃ potum. Nam quicquid egerit,ſitis illũ vrẽs non deſerit, nec quieſcere ſinit cogitationes & deſideria ad obtinendum potũ illi ſuggerens. Simili modo tu ſi me recte amares, ſi deſiderares ardenter, non poſſes aliud cogitare q̃ quo ad me venires, quomodo mihi coniungi poſſes,ſemper in te debet eſſe eſu-

ries & ſitis iuſtitię, vt nunq̃ quieſcas & nunq̃ ſatis tibi videatur eſſe, quicquid in honorẽ mei perfeceris, ſed gemitus & dolor tibi ſit cordis, quod adeo nihil mę adhuc honoraueris. Semper igitur extendas ad anteriora te, ſemper ſitias perfectiora, ſemper æſtuet cor tuum quomodo vicinius mihi coniungi poſſis, quomodo honorare & beneplacitum meũ implere perfectius poſſis. Qui heroico inſanoq; amore hominem depereũt, cibum, potũ, omniaq; tam oblectamẽta quã neceſſaria corporis cõmoda faſtidiunt, palleſcunt, infirmantur, ſi non quiuerint potiri amato, aut ſi non ſentiant ſe redamari. Solo enim amore languẽt, vnde nec gaudere nec conſolari, nec quieſcere poſſunt, niſi obtineant quod amant. O filia hoc modo tu me amare deberes, vt in me ſolo tibi foret gaudium & conſolatio, & extra me vbiq; mœror & amaritudo. Si me recte amares, nõ poſſes quieſcere donec me obtineres. Sitis enim æſtuaret in te ac fames, ac deſiderium quietẽ tibi nõ ſinens. Vtinã vel huiuſmodi amore langueas. O ſi cuncta faſtidiẽs me ſolũ deſyderes. O ſi cor tuũ ab alio amore quocunq;

exutum

exutum ac nudum mihi præbeas, vt illud poſt me trahere͂,& amore mei illud perfoderem,illud vulnerare͂. O quã felix eſſes ſi me͂te capta, ſi amore ebria cu͂cta ſperneres,cuncta faſtidires creata,& poſt me ſolu͂ curreres, ad me clamares: Vulnerata charitate ego ſum. Adeo deberes mei amore feruere filia vt quiſquis ad te accederet nihil aliud quã amorem in te ſpirantem ſentiret, quiſquis tibi loqueretur amore etiam calefactus abs te,& ædificatus recederet.Si itaq; amare me deſideras, toto corde ames me. Nolo vt & me & aliud præter me, id eſt quod propter me non diligas, ames. Dilige me pure,hoc eſt, vt ames me propter me, vt ego ſolus ſim cauſa quare me diligas. Volo etiã amari amore infinito,ac imme͂ſo deſiderio.Nunquam enim tibi amandi fine͂ ſpaciumq; debes metiri,ſed q̃tumuis me ames,ſemper deſideres me plus amare,amor enim mei in infinitu͂ ſe extendit. Nunq̃ dicit ſufficit,nunq̃ poteſt amor ſatiari, nunq̃ poteſt non maior fieri.Charitas e͂m ſemper creſcit: Et charitas quid eſt quã bona volu͂tas? Sicut ergo bona voluntas nullo termino arctatur,nullo fine

concluditur,ita nec charitas. Scio,velles me amare toto corde,& tantũ fortaſſe ſola,quantum omnes me amant ſancti ſimul. Deſiderium hoc bonum eſt, ſi tamen nõ fuerit tibi appetitus excellẽtiæ aut ſingularitatis,quaſi ſola tantum quantum omnes ſimul præſtare velis. Sit igitur deſyderium hoc purũ ex vera charitate manans,vt me pure propter me deſyderes ac ames,plusq̀ amare deſyderes, adeo vt cupias tantũ amare, quantũ omnes homines amare poſſint: nõ quod ex hoc alicui cupias præferri,ſed quia charitas non poteſt ſatiari: & quantumuis me ames,adhuc minus debet eſſe in oculis tuis q̃ vt ſatiſfieri poſſit deſyderio tuo. Amor meus non eſt ocioſus,operatur enim magna ſi eſt: Porro ſi operari rennuit amor nõ eſt. Porro ſi operandi tibi deeſt facultas, noli filia conſternari: voluntas enim bona pro opere mihi placet. Ego non requiro quod non dedi. Neq̀ enim operum multitudo,ſed amoris magnitudo me delectat. Opera multa ſi ſine charitate mihi offerantur, non me placant. Quo enim mihi palea ſine tritico? Cui triticum,id eſt amorẽ offers,offer illi & paleas,id eſt ope

ra. Licet igitur non reſpiciam ad opera ſine amore,bene tamen reſpicio ad amorem ſine operibus,puta ſi infirmitate,neceſſitate, obedientia, alio've impedimẽto legitimo præpedito operari non poſſis. Tunc enim (vt dixi) bonam recipio voluntatem. Veruntamen vbi facultas affuerit, amor ſi eſt,diffundit & exercet ſe erga me,&propter me in proximum. Hunc enim in loco meo tibi conſtitui, in quem cõferas quicquid in me velles conferre & non potes,quia nullius ego indigeo. Quod vt facias etiam hilarius promiſi me accepturũ,reddíturumq́ꝫ quicquid in proximũ egeris,perinde ac ſi mihi feciſſes. Id enim facit charitas qua illum propter me diligis,vt me in illo contẽpleris,mihi in illo ſeruias,benefacias,me portes,feras in illo & ſi offenderit mihi in illo ignoſcas. Proximum itaqꝫ tuũ dedi tibi pro me. Et hoc pro loco & tempore, quãdo occaſionẽ tibi oſtendo operandi. Neqꝫ eñ obliuiſci debes quod ante dixi,charitatem non æſtimandã aut metiendam in multitudine operum,ſed in magnitudine ac ſynceritate affectus,hoc eſt,in interna deuotione mentis,in affectiõe, inclina

 tione

tione, ac deuotione interna voluntatis, quæ quanto fuerit prōptior, inclinatior, hilarior atq; feruentior in meum obſequiū, ad meum honorem & beneplacitū, quantoq; ſeipſam abnegauerit, me ſolum pure quærens, ac omnibus creaturis præferens tanto conuincitur me plus amare, & tanto etiā magis lucet foris in operibus bonis. O ſi ſcirent filij hominum quàm delectat me in tali corde habitare, quàm lætus occurro illi qui me ſolum deſyderat, quàm liberaliter me infundo huiuſmodi cordi, quod abſtractum ac liberum eſt à ſeipſo, & ab omni creatura me ſolum purè quærens, me ſolum feruenter deſyderans, in me ſolum reſpiciens, me præſtolans, & renuens conſolari in alia quacunq; re, præterq̄ in me. Imò vero nec in me quidem deſyderat conſolari (vtpote mea ac omni conſolatione ſe indignum exiſtimans) ſed beneplacito meo tantum cupit ſatiari. Hoc enim ſolū deſyderat velle agere, pati & eſſe ſecundum beneplacitum meum, & quamuis huiuſmodi cor nec conſolationē, nec aliquid aliud extra me deſyderet, ego tamen bonis omnibus impleo illud. Nihil enim deſydera

ri poſſet

ri poſſet in creatura, nihil mei poſſet amore relinqui quod non centuplo melius, purius atq; ſuauius in me reperiatur. Pulchritudo, ſuauitas, amœnitas, dulcor, amor, veritas, cõſolatio, iugis præſentia amati, diuitiæ, gloria, potentia, & ſi quæ ſunt id genus innumera, quæ oblectari poſſunt aut deſyderari: hæc modo infinito exellentius reperiũtur in me quàm in aliqua creatura. O filia, minima conſolatio, quæ ex meæ bonitatis præſentia ſentitur, exuperat omnes delectationes mundi, & omniũ creaturarũ: imò omnis alia delectatio amaritudo eſt meæ delectationi comparata. Proinde ſi recto ordine cuncta haberentur, non poſſet fieri, quin me homo plus amaret ſeipſo, aut quauis alia creatura. Iam vero (miſerabile dictu) dimiſſo me optimo bono, ſpreta bonitate mea, imò relicta vera ipſa felicitate ſua, amat ſeipſum homo, amat mundũ vnde ſibi inquietudo omnis & vniuerſa mala proueniũt. Heu, cur ſic homines miſeri decipiuntur! Si amare delectat cur non amãt me, cuius amor eſt caſtus, purus, ſanctus, ſimplex, qui ſum illis obiectũ amabile infinitũ, eſſentialiter bonũ, impermixtum

bonum,

bonum, ſummum bonū, vbi amoris quoq; præmium eſt iucunditas immenſa & beata æternitas. Porro mūdi amor nihil niſi amaritudinem, diſtractionem, pœnitentiam atq; triſtitiā generat. Tu igitur relictis omibusq; contēptis, toto corde, & tota mente ad me cōuerſa, me ſolū deſydera. Nam quādiu creaturis inhæres, inuenis quod eſt in creaturis videlicet adulteria delectatione fœdari, inquietari, non ſatiari, imaginibus inquinari, cogitationibus diſtrahi. Ego vero cor quod ſe mihi coniungit colligo, & mihi vnio, adferens mecum illi pacem, quietem ac ſerenitatem conſcientiæ. Pro hac auerſione à creaturis, pro cōuerſione ac introuerſione tua ad me quotidie debes agere, & indeſinēter me orare, quia nemo hoc tibi dabit, nec aliūde obtinere potes præterquam à me. Quocirca internum ſemper debes gratiæ meæ tractū obſeruare, monitis meis obedire, & prouidētiæ te meæ relinquere. Tractus meus non diſcidet à ſacra ſcriptura, nec ab obedientia ſuperiorum, ideo illis te ſubijciendo gradiaris in ſimplicitate, nequaquam ſtans ſuper te ipſa. Amor theſaurus eſt incōparabilis, qui

nusq̃

nuſquàm præterq̃ in me foret recondendus. Filia, vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuũ. Si igitur vis ſcire q̃d diligas, vide quid frequentius cogites, de quo ſuauius ac libẽtius audias quid feruẽtius deſyderes, quid intus quæras ac intendas, illud vtiq; eſt theſaurus tuus & ibi dulcius quieſcis. Vtrunq; itaq; eſt theſaurus, & illud quod amas, & amor quo amas. Sed vide quanta ſit miſeria, quãta ingratitudo, quãta infelicitas hoc theſauro incomparabili, id eſt amore, mercari ſibi gehẽnam. Si enim res perituras, caducas, immũdas, me ſpreto, diligunt homines, hoc ipſo quo diligunt, æternos ſibi comparant cruciatus. Idcirco hoc gemant, hoc plangant omnes amici mei, quod ex corde humano, pro quo vitam ego tradidi, quodq; ſanguine meo comparaui, eijcior: & alius, vtpote inimicus meus illud poſſidet: ſed ita poſſidet vt in æternam cladem, in miſerias nõ finiendas, in ignem vnde nunq̃ liberentur, illud ſecum pertrahat.

De laude dei.

SEmper in te ardeat filia, deſyderium me laudandi, me amãdi, me honorãdi,

& mihi ex toto corde funditus pfectiſſimeq́ꝫ placēdi. Semper in corde tuo illa ſit reuerentia, ille timor, illa ſolicitudo, ille fauor erga me, & pro me, ne quid fiat quod mihi diſpliceat. Et quāuis maximè debeas timere, cauere, prouidereq́ꝫ ne tui occaſione aut negligētia eiuſmodi quid fiat contra me, nihilominus tamē etiā pro alijs & circa alios quantū in te eſt vigila, ac procura honorem meum, videlicet ne peccetur, & ne offendar ego: hoc autē purè & ex mera charitate propter me facere debes. Semper enim in corde tuo naſci, & continuè emanare ad me debet fideliſſima, feruentiſſima, deuotiſſimaq́ꝫ dilectio, te impellens, teq́ꝫ effundens, & in omnia quæ ſunt ad gloriam & beneplacitum meum te promptiſſimā reddens, vt nihil tam deſyderes, quàm ab omni amore, reſpectu deſyderio & inclinatione erga teipſam, & erga quaſcunq́ꝫ creaturas alias ſis nuda, pura ac libera & te mihi ſoli ſic nudam, liberam, puram, ac me ſolum deſiderātem ſerues, vt voluntatē meam plenè & liberè in te & tecum habeam, teq́ꝫ ſolus, vtpote à teipſa & ab omni creatura alienam ac liberā abſq́ꝫ medio poſſideam.

Pari modo deſyderes vt in omnibus &apud omnes fiat volũtas mea,& ab omnibus cog noſcar, diligar, honorer ac colar. Ante eligas mortem decies pati (ſi tamen fidelis es mihi ſponſa) quàm ſemel conſentire in peccatum,licet veniale. Quanquã enim veriſimile ſit te diu ſtarenõ poſſe abſq; veniali peccato,nequaq̃ tamen debes ex certo propoſito,aut ſciẽter te dare ad aliquod veniale peccatum, ſed voluntatem habere fixam nunquam peccãdi. Hanc autem voluntatem in me, non in te figere atq; firmare debes. Qui me diligit, huic placeo ego, huic placent & õmia opera atque iudicia mea. Quare nunquàm deſinit laudare me. Non opus eſt amanti vt quærat quid in me velit laudare: Amor enim illi monſtrabit quid in me poſſit,debeatve laudari. Me laudare eſt me amando cogitare, cogitando admirari, & admirando à cunctis velle prædicari, amarique. Laus mei in eo qui puro mihi corde afficitur illuminat & exhilarat ſpiritum, triſtitiam abigit, ſimúlque inter proſpera protegit, & aduerſa. Quicquid diabolicæ, humanæ'ue moliuntur fraudes, laus

mei

mei alacriter contemnit. O quàm eſt ange-lis delectabile audire laudantium choros (quamuis plus multo delectet ipſos puris aſſiſtere cordibus laudantiũ me) vident eñ in terris homines ordinem emulari cœle-ſtium, proinde ſi in terris arra eſt ſiue pręgu ſtario æternæ beatitudinis, hæc eſt in laude mei. Nihil enim ita præ ſe fert ſtatum felici-tatis futuræ, quàm alacritas me laudantium

Ego ſicut nullius laude egeo, & ſicut nul-lius me laus facere poteſt cõmendabiliorẽ, ita nulla me ſufficit creatura laudare. Quare tu vt me laudes indignã te debes exiſti-mare. Nihilominus tamen deſydera me lau-dare, vt quã nulla, ſit laus humana erga me, quàmq; maior ſim omni laude, & quantũ in me laudando omnis deficiat creatura mani-feſtetur. Hoc licet oſtendere geſtiat omnis creatura, videlicet vt me laudet, multo ma-gis tamen tu hoc in te debes exprimere, vt quantumlibet te extenderis (debes autẽ om nem conatum tuum erga me effundere) ni-hil te inuenias feciſſe.

Dicam tibi quæ mihi laus placeat: voca-lis laus (tametſi vbi eccleſiæ meæ præceptũ

vrget

vrget obſeruari debeat, videlicet vt quod dicere cantaréve iuſſa fueris, vocaliter proferas) nõ æquè mihi placet, atq; interior quæ eſt in ſpiritu. Sacrificiũ odoriferum, lausq́ mihi ſuauiſſima eſt profundiſſima pœnitiſſimaq́; vilitatis ac nihileitatis tuæ cognitio, contemplatio, erubeſcentiaq́; corã maieſtate mea, vt verecũdè corã me tuã vilitatẽ, deformitatem, tuam ingratitudinẽ, tuã miſeriam, tuamq́; nihileitatẽ, cõtinuè aſpicias atq; deſpicias, mihiq́; propterea & omni creaturæ te ſubijcias, & ab om̃ibus nihili haberi & conculcari diligas. Cor huiuſmodi cõtritum & humiliatũ ego deſpicere nequeo, imò huiuſmodi cordis gemitus multò mihi ſuauior eſt, digniusq́; mihi ſacrificat quàm lõga verborum congeries, aut precũ duntaxat vocalium oneroſa multitudo. Deinde ſi in aduerſitate nõ minus placeo, ſi nõ minus gratias agis, nec minus deuota permanes erga me & volũtaria, quàm in proſperitate, tunc verè me laudas. Inſuper cauere peccata, virtutibus inſudare, honorẽ mei ſitire, beneplacitum meũ & gloriã meam ſolã quęrere, non infima eſt mihi laus. Porrò animum habere

g defeca-

defecatum, purum, ac liberũ ab omni vitioſa affectione, ab omni acedia, ab omni deniq; grauitate aut retractione, & in pace tranquillitate atq; ſilentio ſpiritus mihi ſoli inhærere, laus eſt multo adhuc purior, mihiq; acceptior. Filia, quicquid intra te naſcitur, quicquid ab extra accidit, ſubita conuerſione ad me, transfer in me, optans vt illud mihi in gloriam & ſummã laudem à gratia mea vertatur. Hoc modo cuncta tibi euenient in ſalutem, & natura ipſa mutabitur in gratiam. Proinde ſi diaboli etiã ſenſeris machinationes, ſi tentationes fœdas aut etiam blaſphemias ſenſeris, aut cuiuſuis horrẽdæ tentationis perceperis inſtinctum, cura vt vnde tibi hoſtis parare malũ ſatagit, tu animæ tuæ lucrum conquiras: hoc autem animæ tuæ lucrum puta, vt me laudes & glorifices. Conuerſa igitur confeſtim vt ſentis ad me, dic: Domine deus meus, quotieſcũq; hanc ſenſero tentationẽ, quotieſcũq; in mentẽ hoc mihi venerit, toties è diuerſo omniũ cœleſtiũ te laude glorifico; totieſq; in huius mali ſpiritus confuſionẽ, & in tui honorẽ ac gloriam te adoro. Atq; in locũ eius: quam ipſe nõ poteſt

teſt laudem tibi infinitam offero. Si triſte eſt quod ſentis, dic: Piiſſime deus, quamlibet ſit moleſtum quod offero, pro tui tantũ amore & honore libenter hoc ſuſtinebo, & ſi in honorem tui ampliorẽ cedit, vt maiora, grauioraq́ ſubeam, paratum me tibi offero. Nihil tantum ſit mihi pie deus quæſo moleſtũ, ſed ſuper omnia deſyderatũ, quicquid tuo fuerit nomini glorioſum. Si pulchrum dulce'ue aut charum quid ſenſeris, dic: Suauiſſime deus, hoc à te pulcherrimo, dulciſſimo, deſyderantiſſimo, optimoq́ venit: Si vis, libenter omni creatura carebo, libenter omni conſolatione deſtituar, vt tu ſuper omnia pulchra, tu ſuper omnia bona, tu ſuper omnia amata, pulcherrimus, ſuauiſſimus, deſyderantiſſimus atq; dilectiſſimus cordi meo ſolus inſideas, ſolus tu totum me poſſideas. Item ſi magnum aliquem numerum audis cernis'ue, aut quoties eximiam aliquã vides pulchritudinem, multitudinẽ'ue, dic: Pulcherrime, amabiliſſime, omnipotens æterne deus, toties te millia milliũ agmina cœleſtium ſpirituũ hodie ex me ſalutẽt, & decies millies centena millia tibi aſſiſtentiũ ex me & pro me te collaudent,

& omnia præclara ſanctorum deſyderia tibi pro me ſupplicent,& vniuerſæ creaturæ tuæ pulchritudo atq; ſuauis omnium harmonia te ex me ſine fine glorificent.

De exercitio amoris laudiſq; diuinę.

ITaq; ſi me amare,ſi laudare deſyderas toto corde,tota mẽte, tota virtute,& amando cupis perſeuerare, neceſſe eſt habeas amoris exercitia, quibus nutrias, qbus excites,foueasq; amorẽ. Quapropter mentẽ tuã à creaturis & ab omni interna occupatione circa creaturas,à cura quoq; omni & ſolicitudine abſtractã,vacantẽ, liberamq; ſerua hanc eleuãdo ad me cõtinuis ignitis ſuſpirijs, flãmigeriſq; orationibus, & aſpirando indeſinenter deſyderijs feruẽtiſſimis ad me, videlicet æſtuantiſſimè cupiens me perfectiſſimè, ardentiſſimè, fideliſſimè, perpetueq; amare, perfectiſſimè mihi placere, fideliſſimè, ſufficientiſſimeq; laudare, voluntatẽ meã perfectiſſimè implere, ſitiens inſuper me pulcherrimũ videre,me feliciſſimũ poſſidere,&mecũ ſuauiſſimo,optimo,beatifico,ſemper eſſe,ſemper inhærere, nunquã à me ſeparari. Semper

Idcirco in mente habeto aliquid quod rumi-
nes, vnde erga me amore accēdaris, quo dul-
cedinem ac bonitatē meā cogites, atq; admi-
rando magnifices ac laudes, aut è diuerſo
vilitatem, infirmitatē, inſtabilitatē ac ingrati-
tudinē tuam coram me plangas, lugeas, accu-
ſes atq; vituperes, aut afflictis defunctis ve
ex animo cōpatiens, pro illis, proq; vniuerſa
eccleſia mihi ſupplices. Quæcunq; præterea
debes agere, aut de quibus cogitare, aut con-
ſultare habes, mecū cogites, mecū conſiliū
accipias, mecū ea tractes, vt ſic aſſuefacta, &
ſola, & inter homines ſemper mecū loquaris,
ſemperq; cor ad me geras eleuatū aut orans
aut me laudans. Quicquid ad honorē meū
ſpectat, quicquid mihi didiceris placere, aut
me velle, hoc cum ebrio deſyderio me hono-
randi, ac honorē meū promouendi, in te & in
alijs ſatage vt perficiatur, conſilio, auxilio, la-
bore (& quomodocūq; potes honorē meum
promouere) operam tuam nauādo. Interea
tamen nihilominus dum exterior homo fo-
ris occupatur, interior mecum conquieſcat,
mihiq; vacet. Neq; enim opus eſt vt ita ſis
ad externa effuſa, vt mente quoq; vaga & di-

ſtracta per varia curras, variasq́ imagines atq; phantaſmata in te trahas. Quin potius dum exterior homo occupatur, collecto ſpiritu menteq́ adunata, intus tu maneas mecum. Quod vbi didiceris, vbi aſſuefacta fueris, nulla te impediet occupatio exterior, nulla nocebit operatio exterior, præſertim modeſta, ab amoris exercitio mentali, quin æquè mihi loquaris, aut potiùs mihi ſileas mente, modo, quod dixi, animum tuum ipſa non implicaueris rebus caducis, nec hæſeris merſa in ea quæ foris agis. Siquidem quandiu ipſa cor liberũ ſeruare vis à creaturis, nulla te poteſt à me auocare creatura (quamlibet in exteriori homine multa agantur aut tractētur) ſi non intus rerum ſpecies atq; imagines, ſi non amorē aut delectationē earum mēti tuæ impreſſeris. Quapropter noli cõqueri, quod opera bona externa in amore aut exercitio amoris te impediant. Neq; enim ita eſt vt tu æſtimas, hæc nanq; non impediunt, ſed inordinatio tua, indiſcretio tua, inſtabilitas cordis tui, curioſitas tua, infirmitas tua, & mala inclinatio tua, quibus omnibus nondum emortua es, te te impediunt. Hæc enim faciunt, vt non

non modo foris, ſed intus etiam occupes te cum creaturis. Porrò mens multiplicata, diuiſa atq; diſperſa mihi nequaq̃ poteſt adhærere, imò nec in ſeipſa quidem ſtabilis ac tranquilla conſiſtere. Cæterum, ſi tamen charitate fraterna aut obedientia compulſa etiam in interiore homine fueris occupata & inquietata propter me, noli contriſtari. Ego enim quicquid mei cauſa neglexeris citò poſſum reſartire & cum fœnore refundere, vt poſteà tantò mihi vicinius ſuauiusq; coniungaris, quantò putabas te elongatam, verùm ſi ita te inueneris diſtractam atq; elongatam à me vt collecta ad me redire aut eleuare mentem tuam nequeas, diſce quod non ſola charitate purè propter me digreſſa ſis, ſed inclinatio tua propria ſimul te viciauerit, aliquid quod in te latuerit, te mouens, quod ego, aut cuius cauſa & occaſio ego non eram. Non igitur fuiſti ſatis circunſpecta, & vigil, propterea humani aliquid paſſa es, veruntamen noli aliena manere nec elongari à me: quia denuo recipiens recipiam te. Verſetur itaq; cor tuum ſemper in pijs deſyderijs, vt minimũ tempus non prætereat quo me ſagittis deſyderiorũ

tuorum ignitis nõ vulneres. Scito filia nihil à me fruſtra potes deſyderare. Si me deſyderas, me inuenies. Qui ſi me etiã ſubtraxero, aut ad tempus diſſimulauero, tui cauſa & in bonum tuũ id facio. Neq; enim poſſum me non cõmunicare petentibus. Ego deſyderia tua excito, ego corditu o inſpiro, ego etiã exaudiam: Nam & ſi ad mortẽ vſq; tuã mea diſpenſatione ageretur vt inexaudita manerẽt, impoſſibile tamẽ eſt orationẽ piam me penitus nõ exaudire, ſed tunc centuplo reddam. Tunc ſenties me pro vno mille retribuentẽ, tunc exauditã te inuenies, quãdo iam nõ potes iterũ amittere. Inter omnia autẽ quæ petis hoc vnũ præcipuumq; ſit, vt me habeas. Quid enim magis pium, quid magis mihi glorioſum, quàm ſuper omnia & præ omnibus deſyderare me. Ora igitur ſemper pro nuda, ſola, pura, caſtiſſima, perfectiſſima, intenſiſſima, fideliſſimaq; charitate, qua tu omniſq; creatura rationalis perpetuo inaduertibiliterq; mihi inhæreat.

De tranſformatione hominis.

SI me vis ò anima totũ obtinere, neceſſe eſt totã te relinquas, totã exeas: Oportet

reſignes

reſignes te ad extremã paupertatẽ & carentiam omnis cõmodi ſolacijq; temporalis, pro ſummo bono obtinendo. Itaq; confortare & conſolare quod omni ſis priuata conſolatione humana, quod omi etiã humana amicitia fauore atq; ſubſidio careas. Vide quomodo miles ſtrenuus amicos, patriã, vxorẽ, filios, omnem deniq; tranquillitatẽ, requiẽ ac cõmoditatem ſuam poſthabens relinquit, & laboribus, itineribus, vigilijs, ęrũnis, periculisq; vitam ſuam peregrinus exponit, vt diuitias honoresq; conquirat. Hoc modo te quoq; oportet omnia relinquere, expoliari, pauperem fieri, atq; nudari ab omni ſolatio, ab omi creatura, vt præter me nihil tibi remaneat in quo tu quieſcas, aut quod te poſſideat. Ad hæc creaturarũ quoq; formas, imagines, atq; memorias rerũ à te excludere oportet, & mẽtem tuã ab his enudare, & mei ſolius imaginem (vbicũq; fueris tam ſola quàm inter homines) tecum circumferre. Proinde ſiue comedas, ſiue bibas, dormias aut loquaris, me ſemper inſpice tanq̃ ſpeculũ & perfectiſſimũ exemplar vitæ tuæ, vt vitã tuã quoq; conſtituas ac transformes ſecundũ virtutes & mo-

res vitæ meæ. Si comedis, omnes morſus in vulnera mea intinge. Si bibis, ex vulneribus meis calidũ ſanguinẽ, charitatẽ ſpirantem ſume. Si loquaris, me aſpice, verba tua audientem, & caue ne mihi non placentia, & ne mihi difformiter loquaris. Si taces, audi me tibi loquentem, & vigil ſcrutare quæ ſit voluntas mea beneplacens & perfecta. Si dormis, ſuper cor meũ te reclina, vulneri cordis mei os tuũ applicans, & ſpiritu tuo gratiã meam in te trahens, atq; reſpirando cordis tui medullas in me refundens. Itaq; vbicũq; fueris teipſam rege & ordina ſecundũ exemplar nobiliſſimum atq; perfectiſſimum quod in me vides, inſpiciens ac imitari geſtiens verecũdam profundiſſimãq; humilitatẽ meam, planiſſimam manſuetudinẽ, tranquilliſſimã mititatem, fortiſſimã patientiã, puriſſimã caſtitatem, liberaliſſimam pietatem, fideliſſimam prouidentiam, compaſſionem miſericordiſſimam, & feruentiſſimam ampliſſimamq; charitatem. Hanc imaginem tibi imprime, illa mentem tuam imple, & imagines aliarum rerum omnes per hanc à mente tua exclude. Nolo enim te ſine omniũ eſſe imagine, nec

ante

ante tempus altiùs te volare, ſed hîc interim in humanitatis, paſſionisq́ meæ imagine quieſce, donec ego te proueham vbi careas nuderisq́ ab omni forma & imagine, ab omi exercitio & actione à teipſa deficiens in ſilentio & quiete. Itaq; ſemper interim præſentiam meam, & quomodo ego abditiſſima quæq; tua & intima ſecreta tua videns penetro, cogita: nec ſolùm cogites, ſed diſcas etiã ſentire præſentiam meam qua te ſemper video, ſemper inſpicio, ſemperq́ penitiſſime te & omnia tua cognoſco. Diſce inquã in teipſa ſentire quàm ſim incircumſcriptum, incommutabile, æternum, immenſum; incomprehenſibile incommutabileq́ lumẽ, quàm ſim totus amabilis, totus deſiderabilis, ſyncerus, quouis minimo malo aut defectu impermixtus, item quàm ſim totus bonus in quo nihil non poſſit non amari aut non placere, totus fideliſſimus, totus miſericordiſſimus, meiipſius largiſſimè communicatiuus, quàm ſum denique omnibus beneuolentibus, omnibus amantibus, omnibus in me ſperãtibus, amator conſtantiſſimus, ac fideliſſimus, conſolator ſuauiſſimus, protector potentiſſimus,

diriſſi-

ditiſſimus copioſiſſimusq; remunerator, ſuper omia deſyderia reficiens, nec faſtidiū prouocans, ſed omnia deſyderia ſatians, ſatiādoq; deſyderia accendens. Hæc imago impleat mentē tuā, vnde quicquid fantaſmatū aliorū inciderit mox vt occurrit à te proſcribas, omnibus negans aſſenſum. Vide ne illas intra te recipias, ſed mihi ſoli interna ſolitudine, interno ſilentio, interna pace, trāquilla vaces, me indeſinenter præſtolans expectabunda, quid te agere velim, quid pati, imò & quid in te velim agere, quid tecū, vt in omnibus mihi acquieſcas, me ſequaris, me ſuſtineas. Adeò autē eſſe debes à teipſa exuta, hoc eſt, ab amore & inclinatiōe propria erga teipſam, vt animā tuā rationalē atq; intellectualē, quaſi iam alienā aut ſeparatā à corpore nihil moueat an homo ſuus exterior atq; ſenſibilis laudetur, an vituperetur, patiatur an conſoletur, ſed à lōge illū reſpiciat, ad me ſuſpenſa, mihiq; vnita. Pro hac autē abſtractione obtinenda (quod ſuprà monui) neceſſariū eſt, vt ante ſuper teipſam vigiles, ſummopereq; te obſerues, quo diſcernere deprehendereq; confeſtim queas, quid intimis tuis lateat,

quid

quid te moueat, quid trahat, qd alliciat, quid te occupet, quid fatiget, quid ſolicitet, quid inclinet, quid deniq; ames aut intendas, an ipſe tu ſis, an creatura alia, an ego. Ea propter quicquid huiuſmodi aliquid quod ego non ſum, aut cuius ego cauſa nõ ſum deprehenderis, mox eijcias oportet, huius enim es quod te poſſidet. Ego verò nolo cum ſocio amari, ſed ſolus in te quieſcere cupio. Atq; ideò niſi me ſolum quæſieris, nunq̃ perfectè inuenies. Omnes igitur creaturæ à te recedant, nullũ mediũ in te ſinas, nullũ impedimentũ, nulla maneat diſſimilitudo, vt præter ſolum merũ neceſſariumq; ſui vſum omnis creatura à te proſcribatur, nulla intus in corde tuo locũ ſibi vendicet, nulla cor tuũ occupet, vt nudã, liberamq; te mihi ſerues, & ad omnem voluntatẽ meam te mihi relinquas. Cæterum quicquid tibi acciderit, ſatis eſt, vt accidiſſe ſenſeris. Amplius te cũ illo nõ occupes, nec ſinas in te illud morari aut ſui ſpeciem memoriã'ue relinquere. Sed proijce in me & mihi tui omnẽ curam cõmitte, omnẽq; multiplicitatẽ ac mutabilitatem prætergredere ac trans uola, & nus q̃ præterq̃ in me ſolo
ſubſiſte.

ſubſiſte. Itaq; me ſolū, & in omnibus vnum quære, longanimiterq; dum inueneris denuoq; ac iterum dum inueneris, præſtolare, plena fide, plena fiducia, ſuper mea bonitate ac ſapientiſſima beneuolentiſſimaq; prouidētia innitens, vbi ſi morā fecero expecta: quia veniens veniam. Hoc modo ô anima deſyderijs proprijs omnibus exuta, ab omni amore ac delectatione creaturarum libera, ab imaginibus & fantaſmatibus aliena in ſimplicitate ac nuditate cordis, perfecta mihi inhæreas, teq; mihi abs te poſſidendam offeras & relinquas, ſtesq; mecum in illo nunc æternitatis, vbi nec præteritū, nec eſt futurum. Ad illud nūc modo ſemper aſpira, omnia & teipſam quoq;, hoc eſt corpus tuum & ſenſualitatem tuam, in iſto nunc æternitatis reſpiciens. Quaſi enim ab ijs ſeparata aut extra mundū eſſes, omnia quæ in mundo ſunt, à longe, ac veluti abs te relicta, atq; iam tibi aliena, intuere. Cogita te ſolam eſſe mecum, & me tecum, & quaſi nulla tecū alia creatura foret. Quicquid pręter me aliud ſentis, nihil æſtima quia reuera & extra me nihil eſt. Pari modo nulla tibi creatura nocebit, modo phantaſias, imagina

ginationes, rerumq́ſ ſiue curas ſiue affectiones intra te non receperis.

Epilogus.

HAec tibi trado perinde ac filiæ atq́ ſponſæ ò anima, veluti regulam ad exuendum veterem hominē teinſtituentem, quibus poſt hac in nouitate ſpiritus ambulans, indies ad perfectiora te extendas: Itaq́ ſæpius hæc relegēdo, quoties aliquid minus te offenderis obſeruaſſe, toties feruore reſuſcitato propoſitum renoua. Porrò quamuis hęc legenda tibi tradam, cupio tamen nihilominus vt cordis tui aures meæ ſemper pa- nt inſpirationi, quo eadem à me & intus audias, & foris legas. Propterea autem inſpirationes meas ſcriptas ob oculos tibi poni volo, quoniam vanis plerunq́ amicorum & literis & nuncijs oblectaris, quæ cordi tuo nihil præter diſtractionem, inquietudinem, inſipiditatem atque obſcuritatem adferunt. Quibus poſthabitis, ne ſalutaria quæ legas tibi ex me deſint, hæc tibi legenda trado. Quorum contemplatione, meiq́ amore reliqua omnia (quæ animam tuam adulterare nituntur)

nituntur) contemnas. Tantò autẽ hæc mea inſtitutio tibi debet eſſe acceptior, quãtò ego qui hanc inſpiro ſponſus tuus ò anima eſſe debeo dilectior. Quippe qui nõ tantùm dilectus, ſed dilectiſſimus, deſyderãtiſſimus atq; præ omnibus placere debeo. Tantò etiã abs te hæc obſeruari fideliùs volo, quantò ea, quæ hîc tradũtur à me, non carnale mundanum'ue cor, ſed ſpirituale ac mihi deuotum oblectant. Quandoquidẽ nõ lenocinio aut nugacitate verborũ hæc aures tantũ mulcent, ſed animũ amantem paſcunt veritate. Reliquum eſt vt tu ſemper vigiles. Ego ſto ad oſtium tuũ & pulſo. Aperi mihi cor tuum ſoror mea ſponſa. Prębe cor tuũ mihi, & me ſolum deſydera, quandoquidẽ ego cupio te. Non potes autẽ recipere me, quàndiu aliud amas præterq̃ me. Non potes habere me, quàndiu aliud extra me habes in te. Non potes ſentire me, quàndiu poſſides te. Exi igitur & relinque te, vt ego te, & tu ſolum poſſideas me. Tempus hoc breue eſt, quod verò ſequitur ſine tempore, ſine fine, æternum eſt. Tu igitur (iterũ moneo) vigila, vt me ſponſum ò anima, ò filia, ò ſponſa habeas, & germane

mane te mihi ſponſam dignã exhibeas. Itaq; me redemptorem tuum ac dominum tuum ama, me cogita: teipſam attende, te conſydera, mihi adhære, mecumq; perſeuera. Iam in me viue felix, & vale.

Finit epiſtola ſiue inſpirationis diuinæ alloquium Ieſu ad animam.

REGVLAE DVAE, SIVE FRATERnitas diſcipulorum Chriſti, hoc eſt, vitam Chriſti imitari, Euangeliceq; viuere volentium, atq; ad charitatis perfectionem aſpirantium, nemini non accõmoda ac ſalutaris

IEſus Chriſtus propter vos homo factus, quũ olim mundo prædicarem vnã ſaluandis omnibus Euangelij tradidi regulam, Huic credens nemo aberrare, nemo hanc obſeruans perire poteſt. Siquidẽ hæc ſola dum ſeruatur animæ ſufficiet ſaluti. Hæc quoq; ad quamuis erudit perfectionẽ: Quare ſi iuxta illam viueretur nihil monachorũ opus eſſet regulis, nihil fraternitatibus, nihil confœderationibus ac vnionibus hominum, nihil

deniq; canonibus quibuſlibet,quandoquidē qui Euangelio (vt dixi) germanè ſyncereq́; viueret nihil huic deeſſet vel ad ſalutē vel ad perfectionē. Verū quia Euangelio relicto paulopoſt hominū quæ ſua ſunt vnuſquiſq; meditari incipiebat,non abſq; meo conſilio nec ſine ſpiritu meo factum eſt, vt ſanctorū multi varia tentarent,quibus mūdi ac proprium amorem (vnde fit vt relinquatur tepeſcatq; & Euangelij & honoris meizelus) eradicarent,mundoq́; Euangelij ac præceptorum meorū obſeruantiā reſtituerent. Eam ob rem ſtatuerunt regulas pleriq;, quibus ea potiſſimum prohibuerunt ac reſecarunt, vnde occaſio ſumitur Euangelium meum tranſgrediendi.ea verò,quæ ſpiritū excitant, purificant atq; confortant,iuſſerūt. Sciebant enim non niſi carnis caſtigatione & occaſionum ſubtractione, ſpiritum ſuperiorem poſſe fieri atq; fortiorem. Hoc namq; confortato,caſtior, ferventior atq; conſtantior fit in vobis amor ſiue deuotio præcepta mea ſeruandi. Hinc liquet contra Euangeliū meum ne vnum quidem apicem, ſed pro Euangelio ſanctos homines omīa ſtatuere voluiſſe.

His

His regulis poſteros eorum nouas conſtitutiones, complures etiam ceremonias addidiſſe perſpicuum eſt, quarũ tranſgreſſiones, (vt fit) ſeueriùs acerbiuſq; caſtigari, quàm Euangelij mei, ordo eſt præpoſterus. Nam punitur quis ſi fregerit ſilentium, ſi perperam cecinerit arguitur, humiliatur ſi ceremoniarum quid neglexerit. At malem ego (tametſi illa probem) Euangelio meo non inferiorem, imò vehementiorem etiam zelum adhiberi ſeueriorẽq; tranſgredientibus cenſuram, puta ne impune quis iurauerit, ne detraxerit cuipiam, ne odio quemquam habuerit, nec id genus reliqua (quæ Euangelium vetat) tranſgreſſus fuerit. Siquidẽ pro ijs præceptis meis, quæ ne tranſgrederentur patrum regulæ olim inſtitutæ ſunt, oportebat acriorem vigilantioremq; diſciplinam vigere. Sed quid dicam? Video quòd neq; Euangelium, neq; patrum regulas ſeruatis hodie. Ore quidem verba mea nudoq; ſermone Euangelium iactitatis, quàm longe ſim ego à cordibus veſtris inde ſatis eſt manifeſtum, cùm neq; me, neque præcepta mea diligatis. Redite igitur nunc, licet

 ſerò,

ſerò,præuaricatores ad cor, pœnitemini & credite Euangelio. Quicquid Euangeliū docet nō ſolùm credite, verumetiam credendo amandoq́ꝫ facite. Si Chriſtiani, ſi mei vultis eſſe diſcipuli, me imitamini. Diſcite à me q̃ mitis ſim & humilis corde. Quomodo ego ambulaui, ambulate. Porrò ſi monachi, ſi clerici, ſi religioſi eſſe vultis, quæ ſpiritus ſunt facite, & ſpiritu opera carnis mortificate. Si eſtis (vt dicitis) Euangelici, mandata Euangelij perficite. Quouſq; mihi dicetis: domine domine, & non facietis quæ dico? facite quæ præcipio vobis, & non verbo tantū, ſed opere ac veritate amicos vos eſſe oſtēdite. Qui enim audit verba mea, qui habet mandata mea & facit ea, hic eſt qui diligit me. Pro feruore igitur reſuſcitando, pro Euangelij mei obſeruantia renouanda, duas etiam amicis meis ac mihi deuotis trado regulas perbreues, quarum altera imperfectioribus atq; adhuc incipientibus, altera perfectioribus & ad amorem mei caſtiſſimum aſpirantibus, ſit accommoda. In quibus non ceremoniarū faſtus, nec precum multitudo, ſed conſcientiæ interiorisq́ꝫ hominis reformatio

atq; mentis deuotio, docetur. Nihil de colore aut ſimilitudine veſtiũ agitur, ſed ad Euangelicæ obſeruantiæ cultum, ſtudia multorũ excitantur. Fraternitasq́; vna (vbi multorũ ſit animus vnus parq; propoſitum) vtpote amantium atq; colentium me, conciliatur. Nemo ſe voto hic aſtringat ad horũ obſeruantiã, neceſſe eſt, (tametſi, alioquin votum bonam voluntatẽ vehementer ornet, roboret, locupletetq́;) nec ſi præuaricatur ſe peccato obnoxiũ conſtituat, vltra quàm legis meæ tranſgreſſio ipſa alioquin reum facit. Omnibus itaq; qui mihi ſeruire cupiunt, pro viribus vniuſcuiuſq; legẽ adminiſtro atq; ſic tẽpero, vt nemo gratia mea adiutus, hanc nequeat implere. Volo enim ſaluare (quatenus ex mea pendet beneuolentia) omnes. Idcirco diſſimulo circa infirmos, ne calamum confringam conquaſſatũ, aut lignũ fumigans penitus extinguam. Hac ratione mihi ſeruientes collecturus, in duos ordines illos conſtituo, videlicet infirmorũ ſiue incipientium, & perfectorum, vtriſq; præcepta ſuo ordini & ſtatui congruentia inſinuans, ex Euangelio meo deſumpta.

Pro infirmis atq; imperfectis, vt pote incipientibus, inſtitutio ſiue regula.

QVisquis igitur militiæ meæ ſe aſtringere, quiſquis manus mihi ſuas dare voluerit, ſi non principio omnia, maximè tamē lethalia debet cauere peccata. Tu igitur ſi inter ſeruos meos fideles cupis adnumerari, caue peccata, & peccādi omnes occaſiones reſcinde ac fuge. Declina à malo, & fac bonū, in maleuolā enim animā non introibo, nec habitabo in corpore ſubdito peccatis. Nunq̃ vitæ tuæ aut bonis temporalibus parcas, ſi proximi tui animā à peccato mortifero potueris aut eruere aut præſeruare. Pluris enim facere debes animā quācunq; pro qua in mortē tradidi ego animam meam, quàm corpus tuū aut rem temporalem, & precioſior ego tibi eſſe debeo, pro cuius honore zeleris, q̃ vita tua corporalis. Nunquā igitur conſentias peccato, ſiue proprio, ſiue alieno, maximè lethali. Quicquid oderis tibi fieri, alteri ne feceris. Idcirco fraudem dolū, iniuriam'ue nulli inferas. Quę ſi tibi illata fuerint, aut pro mei amore hæc tacens

cens tolera, aut pro his non aliter quàm iu- ſtè & iuſto modo expoſtula: Præcepi enim ſeruis meis, quod iuſtum eſt, etiam iuſtè pro- ſequantur. Nunq̄ pro malo malum reddas, nunq̄ conuitium conuitio, nunquā iniuriam iniuria retalies, idq; mei amore, qui quum maledicerer non maledicebam, quum pate- rer non cōminabar, ſed tradebam me iudi- canti iniuſtè. Tu itaq; pari modo ſi eſurie- rit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potū da illi. Diligere debes enim inimicum tuum, & benefacere eis qui te oderūt, vt ſis filius pa tris tui, q in cœlis eſt, qui bonis maliſq; bene facit. Eſto miſericors, ſicut & pater tuus cœ- leſtis miſericors eſt. Eleemoſynā igitur, ſi fa- cultas arridet, aut beneficiū, officiū, obſequiū, opus'ue aliud quodcunq; miſericordiæ aut charitatis, quotidie ad minus vnū, proximo tuo debes impendere, & in hoc miſerēdi atq; ſubueniendi exercitio fideliter te exercere. Quiſquis enim in aliū miſericors eſt, à me miſericordiam conſequetur, & quicquid vni ex minimis meis fecerit, ſiue bonū fuerit ſi- ue malū, hoc mihi factū exiſtimabo. Si ſecun dū carnē vixeris, morieris. Porro ſi ſpū facta

carnis mortificaueris, viues. Mortifica igitur deſideria tua, ſenſus tuos & mẽbra tua ſuper terram, vt nõ quæcunq; volueris facias. Quotidie non minus ſemel delectabile, deſyderatũ've aliquid, mei cauſa tibi debes ſubtrahere, interdicere ſiue negare, adeò, vt ſi aliquid etiam aliud ſubtrahendum non occurrat, ſaltim vbi habendi, ſentiendi, vidẽdi, audiẽdi've aliquid occaſio daretur, ad quod concupiſcentia te aut curioſitas naturæ inclinaret, iam tibi illud mei amore, dum tamen alius fructus in illo nullus eſt, nega, & deſyderium hoc in te, mei amore occide. Nunq̃ iurabis, niſi pro veritate in iudicio per autoritatẽ iudicis cõpulſus, nomen meũ vane aut inutiliter non nominabis, nunq̃ mentieris. Quotidie ſi iuxta tuũ ſtatum aut officiũ potes, miſſam vel lege vel audi: idque in memoriã ac honorẽ charitatis meæ, omniumq; beneficiorum meorũ quæ hominibus exhibui, & quotidie exhibeo. Quã ſi audire non potes, eadẽ intentione orationẽ dominicam, angelicamq; lege ſalutationẽ, & in corde tuo offer meipſum patri, ſimulq; omnia bona opera quæ à me meiſq; facta ſunt aut fiunt,

pro te & vniuerſa eccleſia. Omni menſe ſemel debes ſacramentaliter confiteri, & ad feſta Natiuitatis ac Reſurrectiõis meæ, Pentecoſtes quoq;, Aſſumptionis matris meę & Omnium ſanctorũ, Euchariſtię ſacramentũ ſuſcipere, niſi ſub voto aut in monaſterio viuas, vbi ex regula alia ipſa tibi ſint inſtituta.

Quouis die mane adorare me debes, vnũ deum in trinitate perſonarũ, & te mihi commendare, orareq́; vt te mũdumq́; vniuerſum defendam à peccato. Qui adeo eſt ſimplex vt hæc capere nequeat, legat pia intentione pater noſter & aue maria. Quandiu ex interna meditatione ardentioriq́; affectu mentalia non habes exercitia meliora, quotidie in honorem paſſionis meæ ac vulnerũ meorum, dic quinq; Pater noſter totidemq; Aue Maria. Porro qualibet hebdomada ad matris meæ venerationem ter quinquaginta legas aue Maria, ſeu (vt vocant) tria roſaria. Quotidie in venerationem ſacramenti corporis mei, duas facito genuflexiones aut venias, ſiue adorationes. Vnam qua charitati meæ ac beneficijs meis, in incarnatione, paſſione, morte, atq; huius ſacramenti inſti-

 tutione

tutione modo exhibitis, gratias agas. Alteram qua honorem mihi (quantum in te eſt) refundere cupias pro contumelia, quàm patior ab indignè ſumentibus, ac impurè hoc ſacramentũ tractantibus. Duas adhuc alteras genuflexiones ſeu adorationes quotidie facies: vnam videlicet pro fructu impetrando, quem moriens paſſione mea, ſanguinis quoq; ac animæ meæ emiſſione obtinui, & largiri volui mundo. Orabis igitur vt ſingulorum cordibus, modo eandem virtutẽ, eandemq; efficatiam ac fructum paſſionis meæ infundam, quam in cruce vt ſuſciperent illis ſum operatus. Alteram genuflexionem ſiue tuæ humiliationem coram me facies, in laudem ac gratiarum actionem effuſionis ſanguinis mei, omniumq; miſericordiarum mearum quas ſuper bonos & malos vnquam effudi, orabisq; pro conuerſione eorum, qui in peccatis ſunt damnabilibus, & pro reformatione eccleſię. Qui hęc capere nequeunt, pia intentione dicant duo Pater noſter & duo Aue Maria.

Omni ſexta feria dum infirmitas, debilitas, labor, egeſtas, peregrinatio, ætas, alia'ue rationa

rationabilis occaſio non impedit, ieiunare debes: Aut ſi malueris, bis potes temperate refici, ſed pro cœna cocto cibo non vti, vt vel tantillo meæ mortis plangas amaritudinem. Euangelij mei mandata, Eccleſięq; meę præcepta diſcas ſedulò, atq; vbi didiceris, nullius rei amore transgrediaris.

Inſtitutio ſeu regula altera, eorum qui ſpiritu feruentiore ad perfectionem anhelant.

IN ſecundo ordine ij ſunt, qui ea quæ retro ſunt obliti, in anteriora ſemper ſe extendunt, qui videlicet ad perfectionem anhelantes, mecum vnum fieri percupiunt, horum hæc erit regula.

Quiſquis itaq; toto corde mihi ſeruire, mihiq; totus placere deſyderas, nullum debes peccatum ex certa ſcientia aut animo deliberato, quamlibet leue aut veniale admittere, idq; oratione humillima ac deuotiſſima à me flagitare vt te cuſtodiam, præſeruemq; ab omni peccato. Eſto igitur ſanctus, quoniã & ego ſanctus ſum. Eſto perfectus, ſicut & ego perfectus ſum. Eſto inquã ſanctus

coram me, qui cum etiam fueris, ex me non ex te es, ideò nihil tibi videaris quàm peccator, damnationi æternæ, niſi mea beneuolentiſſima ſemperq́ paratiſſima adeſſet miſericordia, obnoxius. In vocatione qua vocatus es ambula, & ſecundũ ſtatum ac regulam vocationis tuæ viue. Quicquid ſcriptura ſancta mea iubet, quicquid ore tuo mihi promiſiſti, diligenter obſerua & exequere. Itaq; tuum erit non ſolũ mandata, ſed & beneplacita atq; conſilia mea ſcrutari, & cum deſyderio eadem implere. Abſtractã vitam ab occupationibus ocioſis, ab hominũ familiaritate & colloquijs, age: ſilentio, ſolitudini & orationi vacans, quantũ ſtatui tuo poteſt congruere. Seruũ dei dicit Apoſtolus meus non decet litigare. Noli igitur verbis contendere. Ab omni etiam verbo ocioſo, maximè autem carnali aut detractorio, abſtine. Nunq̃ etiam de abſentibus niſi bona debes loqui & audire. Et q̃uis bona interdũ poſſet intentione fieri, vt de abſente mali aliquid dicatur, tamẽ niſi id certiſſimè conſtet, non conſentias audire aut loqui malum de alio. Vbi ſi exceſſeris, nõ debes inultũ illud tran-

ſire

ſire,ſed tibiipſi pœnitentiam,atq; pro delicto pœnam iniungere. Sobrietatē obſerua cibi & potus,omniumq́; creaturarū tibi vſum tēpera, vt mei amore ſis pauper ſpiritu, nihil in mundo diligens,ſed tanq̄ peregrinus & viator omnia mundo ac libero corde tranſeunter aſpiciens. Ad humilitatē,ad mititatē, benignitatē pietatemq́; erga proximū te aſſuefacito, contemplans in omni homine, & mihi facere cupiens quicquid cuicunq; feceris homini. Nam reuera ego recipio tanquā mihi factum,quicquid proximo tuo feceris. Neminem debes iudicare, nec de conſcientijs rebus've quibuſcunq; alienis diſcutiendis iudicandis've te intromittere, niſi à me conſtitutus fueris iudex,quare ex officio habeas iudicare.Si tamen videris aliquē peccare, & admonitionis tuę ſperas fructū,vel ſaltim nō grauius peccatū times ex correptione tua ſecuturū,potes eum qui peccat humaniter admonere, benigneq́; rogare,vt memor ſuæ ſalutis ſeſe corrigat:Si tamen ſe defenderit,aut pro ſe pertinaciter certauerit (niſi tu paulatim ad magis ſalutaria ſperes illum redire)noli diſputare,noli inaniter tuā

ſenten

ſententiam propugnare, ſed humiliter cede abſq; ira, tranquillus & manſuetus. Pari modo ſi tu etiam innocens correptus fueris potes ſi vis, humiliter ac benigne rationẽ reddere, melius autẽ facies (niſi ſcandalũ inde natum fuerit) ſi humiliter veniam petas, & abſq; excuſatione vlla emendationẽ (quo ad licuerit per beneplacitũ meum) promittas, ſimulq; pro charitatis officio ei qui te cõmonefecit gratias agas. Monui olim vt ſi quis poſt me velit venire, abneget ſemetipſum. In abnegatiõe enim ſuijpſius tota perfectio hominis conſiſtit, quemadmodũ in amore ſui hominis agitur ruina. Semper igitur vbicunq; potes abnegationi tuæ inſiſtes, & vt in te mortificetur voluntas propria, maximopere ſtudebis. Omnia tua ordinabis vt ex conſilio iudicioq; alicuius boni viri ac timentis deũ (ſi prælatũ non habes) facias ea vel omittas. Nihil iudicio tuo credes. Nihil ex proprio arbitrio facias præſertim in ambiguis, vbi eſſe periculum poſſit. Atq; ideò nihil pro te tu procurabis (niſi quæ conſtat eſſe mihi accepta) teipſum quærens, ſed multorum potius vtilitatem meiq; honorem,

ſemper anteferendo reſpicies; te verò cõmit
tes prouidentiæ meæ. Ego curã tui habebo.
Ego pro te ſolicitudinẽ agam, tu verò in hoc
ſolo ſatagas ne honori, ac beneplacito meo
quippiam derogetur. Cæterũ, vt per tui ab-
negationẽ magis tua mihi placeant opera,
(ſi in religione non viuis monaſtica, potes
hanc ſuſcipiendo regulã, obedientiã in ma-
nus promittere ſacerdotis, aut alterius bo-
ni viri me timẽtis. Nec mouere debet te hu
ius temporũ infelicitas, hominũq; impietas,
vota, promiſſioneſq; ſalutares calumnian-
tium, ſed magis credere debes & inniti miſe
ricordiæ meæ, vt ſi tibi dedero inſtinctũ be-
neuolendi aut promittendi, dabo & virtutẽ
adimplẽdi. Neutrum enim abs te eſt, ſed ex
me vtrũq; & bene velle & bene agere, ſaluta
ria & promittere & ad implere. Secretũ elige,
cupiens neſciri, & conſiliã tua nõ omnibus,
ſed vni tantũ pandas, quẽ habes directorem
conſcientiæ tuæ. Studeas non velle homini-
bus placere, nec laudari, aut nominari, aut
tibi aliquid, vnde ſequatur opinio, laus ſiue
admiratio, aſſcribi: quandoquidem quibuſ-
cunq; laus debetur omnia mea ſolius ſunt.
Verum

Verum ad hoc conare potius, vt in ſimplicitate ac puritate cordis, de te vilius quàm de cæteris ſentias, & ab alijs ita de te ſentire velis. Adeò vt ſiue laude, ſiue cõtemptu vituperioq́ꝫ dignũ quid geſſeris, excluſo tamẽ ſolo peccato, non aliter mouearis, nec aliter intus foris q́ꝫ te exhibeas, atq; exhiberes, ſi quiſpiam id feciſſet alius. Proinde nihil omnino de te exultes, nihil glorieris, nihil tibi ex donis meis vendices aut vſurpes, nihil ex bonis operibus licet in te aut per te etiam factis tibi plus tribuas, quàm ſecuri aut inſtrumento, quod à ſe quidẽ nihil eſt & nihil per ſe facit, ſed per illud ſi quid fit, ex voluntate eſt artificis in eo operantis: qui artifex per aliud ſi vellet inſtrumentũ poſſet operari. Siquidẽ & hoc ipſum quod eſt eſſe inſtrumentum, aut in ſe habere, quo in ſe poſſit fieri aliquid, non à ſe habet inſtrumentum, nec aliunde quàm ab artifice, à quo factũ eſt, vt in eo nonnihil poſſit operari. Sine magiſtro, aut artifice operante, inane iacet & inutile. Hoc modo qui filius eſſe cupit meus, imitatorq́ꝫ humilitatis meæ, & quiſquis hanc regulam ſuſceperit, ſentire debet de ſemetipſo,

atq;

atq; ſeipſum in ſua miſeria,in ſuis defectibus in ſuisq; peccatis & infirmitatibus conſyderare. Porrò alios homines,ſecundum quod gratia & virtutibus à me ſunt ornati,debet inſpicere, vt ſe omnibus ſemper iudicet inferiorē.De omnibus verò virtutibus, operationibus, ac donis meis quæ in illo ego operor,nihil ſibi aſſcribat,nihil ſibi arroget, ſed quaſi in alio facta exiſtimet,mihiq; omnē laudem & gloriam purè (nihil ſibi inde attrahens) refundat. Obſeruare debes,huius regulæ qui cupis eſſe alumnus,temetipſum, atq; in om̄i re diligēter ſcrutari,ne aliud quæras,aliud intendas præter me, hoc eſt, præterq̄ gloriam meam, & beneplacitū meum. Proinde vbicunq; teipſum inueneris,puta, propriam quæſitionem aut priuatū amorem, ibi teipſum debes relinquere, vel etiam totum illud, quo me pure non intendebas (ſi alioqui nihil obſtiterit) intermittere. Nemini debes, querulari de ijs quæ pateris niſi cōſilij gratia. Ex manu etenim mea cuncta debes accipere,& in me om̄ia referre. Idcirco vndecunq; ingruerit tēpeſtas, quocunq; modo aduerſitas aduenerit,animū habeas para-

tum,mihi & omnibus creaturis ad ſuſtinen-dum ſubiectũ. Cæterum cõtra motus inſur-gentes vim tibi facias, ac teipſum ſtudeas relinquere, nec cõtra hoíes mouearis, pug-nes, diſputes aut reſiſtas. Noli prætera pa-tiendi effugiũ quęrere, nec te excuſare, ſed ta cẽs elige oĩa in pace, in tranqllitate in ęqua nimitate & ſilentio cordis recipere, & quam-diu mihi placet portare. In aduerſitate etiam conſtitutus, noli ex deliberato propoſito, id eſt, ex intentione obtinendi, & propter te, id eſt vt leuius habeas, conſolationem vllam quęrere, ſed mihi omnia cõmitte & vniuer-ſorum à me & exitum & finem præſtolare.

In quauis hebdomada ſacerdoti quidem non minus ſemel ſacramẽtaliter, mihi vero quotidie in oratione & id ſæpius, debes cum gemitu cordis per tui humilẽ accuſationem confiteri, & teipſum offerre mihi in gloriam ac beneplacitũ meum. In omni menſe non minus ſemel euchariſtiæ ſacramentũ, ſi non potes in hebdomada etiam quauis ſemel aut bis, ſuſcipere cõuenit, & genuflexiões quas in regula priori monui circa venerabile ſa-cramentum meũ & circa memoriam mortis

meæ

meæ te non intermittere. Si horũ aliqd prædictorum fueris tranſgreſſus,non propterea nouæ culpæ obnoxius ex huius regulæ aſſumptione fies, nec plus delinques q̃ alius qui extra hanc fraternitatem & regulam deliquerit, pro qualibet tamen tranſgreſſione tibiipſi,ne inconſtãtia victus,à bono propoſito totus tandẽ defluas, pœnitentiã ſeu pœnam vnius Aue Maria aut grauiorẽ impones. Omni etiã die ſero nihilominus tria dices Aue Maria coram matre mea piiſſima. Vnum pro negligẽtijs cõmiſſis per ignorantiam,quorũ non meminiſti. Alterũ rogando me per illius interceſſionem pro emendatione,perſeuerantia atq; mea gratia. Tertium vt mei cultus in hac regula aut alio quocunq; modo mihi placuerit indies dilatetur, augeatur & creſcat. Exercitia ſpiritus aſſume deuotioni, ſtatui ac naturæ tuæ congrua, quibus tẽpus vtiliter expendas ,teq́; erigas proficiẽs quotidie & ad meliora te impellẽs

Hanc fraternitatem ſeu regulam quiſquis aſſumere voluerit,& ſe iuxta illam exercere, ante paſſionis meę imaginem,ſi ſolus eſt aut ſecretus eſſe maluerit, genua flectat, ſeq́; à

me in diſcipulum recipi & gratia mea perfundi, confortari quoq; & confirmari bonam in ſe voluntatem oret, qua ſtatuet conſtanter atq; indeclinabiliter iuxta harum regularum aliquam viuere. Alios quoq; doceat, & mihi animas lucretur & adducat. At vero ſi in monaſterio oppido've huius propoſiti plures fuerint, poſſent ſeipſos in me cohortari & fraternitatem, nō ab alijs diuiſam, ſed charitate inter ſe propoſiti ſimilitudine adunatā, habere: nec paſſim omnes, puta de quibus nō ſperatur conſtantia ſpiritus aut deuotionis perſeuerantia, in illam recipere, ne horū leuitas atq; inſtabilitas qui ad propoſiti ſuſcepti perfectionem non contendunt, aliorum etiam propoſitum labefactent atq; perire faciant.

Verſus memoriam iuuans, huius regulæ potiora comprehenſa ſignificantur.

Lingua, care, benefac, nihil es, te deſere, mitis.

Elucidatio ſignificati.

Lingua, ſignificatur refrenatio linguæ ab ocioſis, detractorijs, contentioſis ac queruloſis verbis. Care, ſignificat ſubtractionē cōcu

piti

piti delectabilis non neceſſarij, ſenſuumq́ mortificationem. Benefac, opera miſericordiæ & charitatis in proximos. Nihil es, ſui cognitionē & humilitatē. Te deſere, ſui abnegationem & relictionem, & dei puram quęſitionem. Mitis, ſignificat mititatē benignitatemq́ erga proximum, & ſilentium, pacem tranquillitatemq́ cordis in præſtolādo acceptandoq́ prouidentiam diuinam.

Hymnus alphabeticus, de vita & paſſione Ieſu, ſub nota A ſolis ortu Veni creator ſpiritns, &c. cantandus.

AMator ardentiſſime, redemptor benigniſſime, tua nos ſaluet charitas, quos noſtra damnat prauitas.

Benigne Ieſu reſpice, redemptos tuo ſãguine, & miſerere miſeris, cunctis nos ſolue debitis.

Caſta natus ex virgine, æſtu languens & frigore, tu noſtra fers incommoda, famem, probra, conuitia.

Diſcipulorum abluis tuorum pedes: reficis, in cibū dum te tribuis, quos verbo dulci inſtruis.

Egreſſus cum diſcipulis,triſtis orabas lachrymis: te confortato cœlitus, ſudor manat ſanguineus.

Ferox hoſtis & impius, dum furit pergis obuius, graſſatur in te verberans captum ligans & lanians.

Gementes tui fugiunt, in agnum lupi ſæuiunt:te conſpuunt,cædunt,velant,tundunt, illudunt & exprobrant

Hinc præſidi dum ſiſteris, accuſant dum non loqueris:fantē ſubſannant,arguũt, damnant, blaſphemant, diſtrahunt.

In alba veſte luderis, Pilato dum reduceris. Crucifigaris, fit clamor, latrone qui ſis nequior.

Caro & cutis tenera crebris plagis fit lacer dum flagellatus nimio cruore mades roſeo.

Liuore corpus tumuit, plagis conciſum ſqualuit, at caput rurſus ſauciant,dum ſpinis illud lacerant.

Mitis vt agnus pateris, taces dum malediceris, illuſus dum conſpueris, dum ſalutatus cæderis.

Nulla tibi compaſſio in pœnis fit exhi-

bito

bito: Crucifigendum clamitant, quos pœnæ nullæ ſatiant.

Obediens ad victimam, crucemq́ ferens propriam, damnatus pro me duceris, & ſceleratis iungeris.

Premit te crux: veſtigia rubent: cruentāt vulnera, mater afflictum reſpicit, cor vtriuſque deficit.

Quid Ieſu bone referam, amori quid retribuam, corpus nudatur liuidum, fit nouus dolor vulnerum.

Rex regum dum illuderis, extenſus crucifigeris, inter latrones medius, orasq́ pro tortoribus.

Salus reo promittitur, diſcipulo cōmittitur mater, dū cruci aſtitit, eius cor dolor ſecuit.

Te clamas patre deſeri, dum ſitis, fel dant impij, orādo tradis ſpiritum, tranſfigitur cor mortuum.

Viuus redis poſt triduum, matri cunctisq́ gaudium, triumphans cœlos repetis, hinc tuos ad te colligis.

Chriſte redemptor omnium, à labe quæſo criminum, tuo nos laua ſanguine, conſortes nos fac gloriæ.

Hymnus in ore perſonet, tibi mens noſtra iubilet, amore tui langueat, te ſolū quærens ſitiat.

Zelum virtutis imprime, ne delinquamus tribue: tuo nos beneplacito conformes fac perpetuo.

Hymnus ſimilis, laudes creaturarum referens creatori, vt prior, ſub nota canendus eorum hymnorū qui ſunt iambici, vt ſunt: Conditor alme. Veni redemptor. Ieſu quadragenariæ. Ad cœnam. &c.

IEſu corona virginum, amor & deſyderium, ſponſe caſtarum mentiū, ſpes, vita, ſalus omnium.

Qui caſtitatem diligis, amorem tui præcipis: En cuncta tibi ſeruiunt, & te laudare geſtiunt.

Cœleſtium ſpirituū chori, ſanctorumq; omnium. terra, ponthus & æthera voce te laudant conſona.

En puritas te virginum, te pietas humilium, te martyrum conſtantia, lapſorum pœnitentia.

Te charitas nunc omnium ſimplicitasq; cordium

cordium obleċtat patientia, te canunt, laudant omnia.

Te cœlum tonat, fulgura te mirant, nix & pluuia, hyems & æſtas prædicant, te ſol & aſtra nunciant.

Te cœli canunt volucres, te piſces, fontes, gurgites, te gemmæ, feræ & nemora, te cunċta laudant germina.

Sic tellus omnis prædicat, te creatorem nunciat: flores, fruċtus & arbores ad te nos citant homines:

Vernantes fragrant violæ, roſæ loquuntur rubeæ: te mala ſpirant punica, tibi candeſcunt lilia.

Non eſt quod tibi ſileat, nihil quod te nõ concinat: mẽs ergo noſtra iubilet, te pſallat, te tripudiet,

Ieſu quàm es laudabilis, dulcis, pulcher, amabilis, amœnus, odoriferus, & totus es mellifluus.

O cordis noſtri gaudium caſtum, verum & vnicum: mœſtorum conſolatio, lapſorum reparatio.

Vita, ſalus, fiducia, noſtra dimitte ſcelera, extingue cũċta vitia, tua nos imple gratia.

Fac amareſcant gaudia, mundi vileſcant omnia, corda noſtra ſtabilias, tu potens in te rapias,

Cuncta fac nos deſpicere, extra te nos relinquere, vt nobis tu ſis vnicus & omnia in omnibus.

Vt ſolus nos poſſideas, Ieſu tu nobis influas: tolle quod tibi diſplicet, nil extra te nos recreet.

Amore tui langueat, mens noſtra ſemper ardeat: Ieſu te ſolū ſitiat, & extra te nil ſentiat.

Ad aliena ſtupida, in te recurrat ebria: in te abſorpta gaudeat, viuens in te obdormiat.

Hymnus alius ſub eadem nota, qua prior, modulandus: qui totus eſt oratio.

IEſu rex potētiſſime, ama tor fideliſſime ſolator benigniſſime, ſpes ſuſpirātis animę.

Quàm mire tuos reficis, conſtāter quos tam diligis, regis foues ac protegis, & his ad cor tu loqueris.

O ſponſe mi dulciſſime, deus ò clementiſſime, mea nam tibi eſt anima, ſpōſa quàmuis adultera.

Tu

Tu ſponſi dignus nomine, nam amas ar-dentiſſime, zelator es caſtiſſimus, & hoſpes ſuauiſſimus.

At ego deſpicabilis, miſer & miſerabilis, infirmus, inops, ſtolidus, inconſtans, cæcus profugus.

Delicta mea horreo, en exul ad te redeo, nam pium te conſidero, me ſuſcipe nunc, obſecro.

Ignoſce mihi ſupplico, totum tibi me de-dico, fac tuum beneplacitum, fiat in me per-petuum.

Amoris vis me penetret, ignita totũ occu pet, exurens me purificet, transformet & inebriet.

Ieſu te ſolum ſentiam, ex toto corde dili-gam, vnum in cunctis videam, ſemperque plus te ſitiam.

Fac mundo totus moriar, abſorptus te cum vniar: egrediens hinc gaudia, mox du car ad cœleſtia

Ieſu te laudent omnia, ex me ſit tibi glo-ria, cum patre & ſancto ſpiritu, vbique & ſi-ne tranſitu. Amen.

Hymnus

Hymnus deuotiſsimus de vita, paſſione & glorificatione domini Ieſu, & Mariæ: ſub nota, Dies eſt lætitiæ, concinnendus ſpiritualis recreationis aut alterationis gratia, prout Paulus monet.

Vita Ieſu & Mariæ.

PAtris ſapientia, cuncta quæ creaſti: vt ſaluares omnia à culpa protoplaſti. Elegiſti virginem ab æterno nobilem, de qua velles naſci: quā culpa ne tangeret, vitium nec pungeret dignè præſeruaſti.

Omnibus virtutibus plenam decoraſti, ſummisq́ꝫ ſpiritibus ipſam plus ornaſti: ſanctis de parētibus, caſtis & ſterilibus pulchrà procreatur, quæ & ab infantia omnium notitia per te illuſtratur.

Salue ò pulcherrima deo dedicata, virgo integerrima in templū præſentata, mundum ſupergrediens, deum plene diligens, ſemper placuiſti: omnibus amabilis, mitis & affabilis, nunquàm offendiſti.

Caſtitatis lilium prima deuouiſti, ſanctitatis ſpeculum, formamq́ꝫ dediſti. Ioſeph tamen humili pręelecto virgini, virgo deſponſaris

ſaris: cum quo ſine macula dulciter perpetua virgo conuerſaris.

Per annorum millia patres clamauerunt, pro miſericordia, quam non acceperunt: tua ſed oratio, feruensq́ deuotio cœlos penetrauit: cordis tui puritas, ſanctaq́ humilitas, deum mox placauit.

Deus miſit nũcium, qui te ſalutaret, conciperes filium, tibi nunciaret: quæ turbaris audiens, licet fidem adhibens, modũ quæſiuiſti: tandemq́ conſentiens, Ecce ancilla inquiens, matrem obtuliſti.

O quàm mirũ gaudium in te fundebatur, dum in te myſterium deus operatur: quem hinc nouem menſibus caſtis in viſceribus geſtas non grauata: mox cognatam viſitãs, quam ſalutas iubilans, deo impregnata.

Ioſeph vir iuſtiſſimus grauidam expauit, ſed è cœlo monitus, tecum habitauit: qui vt cenſum ſolueret, Bethlehem dum pergeret, hoſpitẽ quæſiuit: quem tunc non inueniẽs, ſtabulum introiens, tecum virgo viuit.

Quis laudare ſufficit virgo te beata, aut quis digne exprimit, quod immaculata genuiſti filium, ſaluatorem omnium: quẽ dum contem-

contemplaris, flexis oras genibus, iunctis quoq; manibus, gaudens lachrymaris.

Natum inter brachia, fouens amplexaris, labiaq; roſea iungens oſcularis: inuolutum niueo panno mox virgineo vbere lactaſti, eius te obſequio corde deuotiſſimo, totam mancipaſti.

Angeli tunc concinunt, deum collaudantes, paſtores adueniunt, hæc mira probantes: ſanguis hinc effunditur, infans dum hic ſcinditur, Ieſus nominatur: Magis venientibus, dona offerentibus infans adoratur.

Non ſuſcepto ſemine quamuis genuiſti, at corruptæ fœminæ te non prætuliſti: virgo templum adiens, cœli regem redemiſti, vates audiuiſti, ſed Horodem metuens, in Aegyptum fugiens puerum tuliſti.

Pauper in exilio ignota viuebas, victūq; pro filio operans quærebas: Quem hinc dū retuleras, feſtoq; adduxeras, illic amiſiſti, mœſta quærens triduo, in doctorum medio tandem inueniſti.

Tibi erat ſubditus, nec agnoſcebatur, nam & fabri filius falſo putabatur: ſed Iordanem adiens, baptiſma ſuſcipiens, cœlitus monſtratur

ſtratur, in deſertum abijt in quo dum abſti-
nuit, dæmone tentatur.

Mundum docens circuit, ſeq; fatigabat, in monte recubuit, orãs pernoctabat: frigus & inediam fert & contumeliam, probra liuidorum, dum languores repulit, pœnitentes recipit, ſpes hæc peccatorum.

Paſſio Ieſu, & matris compaſſio.

Obuiam hic habuit turbã, ingreſſurus vrbem, te præmonuit abiẽs paſſurus, paſcha ſeruat typicũ, pedes lauit omnium, amat quos amauit: in cibũ ſe tribuit, ſacramentum ſtatuit, triſtes confortauit.

Hic Iudæis vẽditus, hortum mox intrauit, orans ſe tunc penitus Patri reſignauit: in agone poſitus confortatur cœlitus, ſanguinem ſudauit: excitans diſcipulos, confortauit pauidos, hoſtes expectauit.

Oſculum hic præbuit ſuo proditori, aurem q; reſtituit tunc perſecutori: agnum lupi capiunt, cædunt, vinctum protrahunt, clamant illudentes. Diſcipuli metuunt, & magiſtrum deſerunt, longe fugientes.

Ductus ad pontificem, inſons accuſatur,

cæditur in faciem, à Petro negatur, Cayphę adducitur, variæ illuditur deus angelorum: cæſum tandem conſpuunt, velatum percutiunt, ſerui reproborum.

Ieſum in concilio mane condemnatum, ducunt cum opprobrio vinctū ad Pilatum, exemplum ſe præbuit, accuſatus tacuit, iudice mirante: ad Herodem mittitur, veſteq; illuditur, plebe ſubſannante.

Ad Pilatū rediēs, rurſus accuſatur, plebs omnis conueniens, iudicem precatur vinctum ſibi tribui quem cum Ieſu ſtatuit, aliàs necandum, fecit vt eligerent, monet tamen peterent Ieſum conſeruatum.

Inuidi ſed poſtulant, latro dimittatur, crucifige clamitant, Ieſus moriatur, qui dū veſtes exuit, flagris cædi voluit, vulnerum liuore vt leproſus viluit; timidus dum maduit ſputis & cruore.

Caput ſpinis cingitur dire vulneratum, ſceptroq; percutitur plagis conquaſſatum, multa poſt opprobria ductus dat ſpectacula præſide monſtrante, ad tribunal ſiſtitur, morti q; addicitur, turba conclamante.

Crucem ferens propriā vrbem eſt egreſſus,

ſus, eſt & ignominiam magnam tũc perpeſſus, ſcribis procurantibus, iungitur latronibus, plorãt mulieres, inter quos mœſtiſſima ſequeris mater pia, natum vt videres.

Gemens inter verbera impiè tractatur, cruenta veſtigia linquẽs propulſatur: Simonem angariant, potum fellis ordinant, cuncta dum parantur, veſtibus exuitur, dolor hinc acuitur, plagæ renouantur.

In ligno extenditur, compages ſoluũtur, clauis dum affigitur, nerui diſtendũtur: orat pro tortoribus, ſcribitur & titulus, in altum leuatur, cui dolor maximus creſcens hinc continuus, nuſquam releuatur.

Vt pro nobis ſolueret debita taxauit, iuſte, non vi emeret nos pœnam grauauit, largo madens ſanguine, blaſphematur impie, latro dum ſaluatur: hinc tuam triſtitiã cernens amariſſimam commendans affatur.

Mundo lumen ſubtrahit ſol, dum geſtit flere, creatoris noluit morti allucere: heli leſus clamitans, ſitim quoq; indicans, acetum guſtauit, conſumatũ, inquiens, patri ſe mox offerens, clamans expirauit.

Mortem Ieſu doluit plebs tunc pœniten

k do,

do,terra dum contremuit, ſcelus arguendo, latus Ieſu foditur, manat cruor, funditur aqua precioſa, de cruce deponitur, pignus matri redditur. fit res luctuoſa.

Syndone inuoluitur, plãctu celebrato, tumulo dum conditur Ieſu ſalutato, mater vrbem repetit, interim ſe recipit, in lymbum deſcendens Ieſus patres liberat, ſuo vultu ſatiat, gloria reſplendens.

Glorificatio Ieſu & Mariæ.

Victa morte redijt, nunq̃ moriturus, glorioſus adijt matrẽ ſolaturus: vertitur In gaudium luctus mox credentiũ, hũc dum contemplantur, gratulantur ſtupidi, conueſcentes, dubij plene informantur.

Die quinquageſima cœlos penetrauit, aſcendens in gaudia patris, triũphauit, exultat credentium plebs hæc videns, cœlicum agmen angelorum iubilans, fit obuium ducenti exercitum patrum beatorum.

Spiritum credentibus donat vt promiſit, ſua largus omnibus munera diuiſit: prædicant apoſtoli, excitantur mortui, paupertas amatur, coronantur martyres, conſecrantur, virgines, fides propagatur.

Virgo

Virgo prudentiſſima Maria mater ſingula-
ris, noua pro eccleſia ſuperſtes ſeruaris pan-
das vt ſcriptoribus abdita fidelibus tibi nō
ignota: ardens deſiderijs, ad natum ſuſpirijs
anhelabas tota.

Petis apoſtolicum vt te dormiente, aſſit
tunc collegium, deo diſponente, Migrans
hinc cum gloria, duceris ad gaudia, Chriſto
ſociaris, gloria iam duplici, corona multipli-
ci tota illuſtraris.

Angelis es altior, iuncta trinitati, Soleq́;
fulgentior tuæ poteſtati ſuperi obediunt: hic
qui tibi ſeruiunt, digne munerantur, cre-
ſcit tuo merito merces: quæ à filio petis, ti-
bi dantur.

Benedico te pie Ieſu, qui venturus in ex-
tremo tempore es, & redditurus iuſtis vi-
tæ præmia, reprobis ſupplicia: fac vt tunc
ſecurus à dextris inueniar, purus hinc egre-
diar, nihil ſoluturus.

Cunctis iam ſit venia, purga ſceleratos
per te detur gratia, vt iuſtificatos ſolus tu
poſſideas, ſerues nos & dirigas, plena chari-
tate munias & robores, in æterna ſaties nos
felicitate. Amen.

Reſponſorium, Regnum mundi, & omnem ornatum ſeculi contempſi. &c. deuote cantatum aut meditatū, depellit omnes mūdanas & diabolicas tentationes, vt patet ex reuelationibus Sanctæ Trutæ virginis.

Alius de paſsione Chriſti hymnus perquàm deuotus & elegans: cantandus ſub nota: Pange lingua. Crux fidelis. &c.

IEſus in cruce figitur, & diredum extenditur, ſolutis heu compagibus, orabat pro tortoribus: in altum cum latronibus, ſic eleuatur medius.

Diſtentum pœnæ diſſipant, hinc flagellorum cruciant plagæ, hinc claui lacerāt, hinc ſpinæ caput vulnerant, collachrymātur oculi, nerui laxantur rigidi.

Membra quaſſantur liuida, ſacra rubeſcūt vulnera, cruor manat hinc roſeus, dolor creſcit acerrimus, ſenſus & dolor viguit, nō eſt quod pœnam minuit.

Conſputa pallet facies cruore fuſo, macies membra conſumit arida, dum ſitis præmit aſpera, hæc videns mater anxia, tabeſcit præ triſtitia.

Ieſus

Ieſus inter opprobria nulla captans ſubſidia, ad patrem triſtis clamitat, relictum ſe vociferat, guſtando fel amaricans, in cruce pendet lachrymans.

Anhelum pectus palpitat, cor gemuit, lingua æſtuat, commēdat ſe, & inuocat patrem, expirans inuocat: ſenſus & pœna viguit, ſic moriens obriguit.

O quàm immenſa charitas, ò cordis mira bonitas, ò dulcor, ò dignatio, ò dei miſeratio, nam ſaluat nos gratuito redemptos tanto precio.

In mortem ſeſe tradidit, vt quos damnare debuit, obnoxios nūc liberet, ingratosq́; remuneret: En quanta dei charitas, hei quanta noſtra vilitas.

Ieſu quàm amas dulciter, quos redimis tam fortiter, en factus es opprobrium pro nobis & ſpectaculum, en plebis es abiectio & hoſtium deſpectio.

Non manſit in te ſanitas, nam noſtra te iniquitas, & amor tuus vulnerat, hinc dolor cuncta occupat, vt totum per te redeat, in nobis quod perierat.

Ieſu noſtra redemptio, ſpes vita, conſola-

tio,amor & deſiderium,felicitas & gaudiu fac noſtra mens vt ardeat, amans te ſolum ſitiat.

Ieſu rex amantiſſime, tu rege,tu nos poſſide: quæ tibi placent, tribue: quæ diſplicent mox amoue: vt tuum beneplacitum ſequamur in perpetuum. Amen.

Exercitium amoris perbreue ad ſanctiſſimam Trinitatem, quo homo ſemel in die cor ſuũ offerre debet, cum gratiarum actione omnium beneficiorum.

DOmine deus meus, qui es ipſa bonitas infinita, ſecundum omnes perfectiones quas de te cogitare poſſum incommutabilis & incõtaminabilis, ſemper idipſum quod es perſeuerans. Tu condidiſti vniuerſam creaturam in gloriã tuam, conſeruas & moderaris in tanta multitudine, magnitudine & varietate, nec aliqd ſubtrahit ſe regimini tuo, nec erras nec laboras, ſed ſemper manes tua feliciſſima quies. Tu me creaſti ad imaginem & ſimilitudinẽ tuam, & in eſſe conſeruas. Per dilectum filiũ tuũ me redemiſti ex puriſſima charitate & hoc pœnoſiſſime &

laborioſiſſime, vt oſtenderes diuitias gratiæ, miſericordiæ & amoris tui mihi. Ad agnitionem ſanctiſſimi nominis tui me peruenire feciſti, etiam nobiliter. Ad tam ſanctam religionem & dignitatem me peruenire feciſti. Direxiſti me in præſentia tua, & ſpecialē ad me reſpectum habuiſti & gratiam in oculis ſeruorum tuorū inuenire me feciſti, vt ſollicitudinem mei gererent pro mea ſalute. A multis animæ & corporis periculis & tribulationibus me eripuiſti. ab infirmitatibus & ęgritudinibus, à mendicitate, à pręcipitijs, à caſibus, à malis omnibus, à ſubmerſionibus, & alijs innumeris malis, quæ mihi accidere potuiſſent ſicut aliquibus hoībus, niſi pietas tua me liberaſſet. Etiā à tentationibus, à peccatis, à voraginibus peccatorū, à damnatione perpetua ſæpiſſime me liberaſti. Inſuper fiduciam præſtas, quod ad æternam beatitudinem me elegiſti, in qua te ipſum mihi manifeſtabis. Tunc cognoſcā clare dominū deū meum, perfecte atq; puriſſime diligam, fruendo in te ſolo requieſcam, & perpetuo cum omnibus ſanctis ſynceriſſime te laudabo & glorificabo. O pijſſime deus, hoc confirma

& citius perficias. Pro omnibus bonis tuis quę operatus es & operaberis in me, & in omni creatura tua, tibi ſit domine deus meus honor, gloria, gratiarum actio, cordiale ſeruitium, caſtus timor, & ſyncera dilectio, per omnia ſecula ſeculorũ. Amen. Pie deus, fac me gratũ, peſſimis vero ingratitudinibus & peccatis meis inumerabilibus, (ſi cõmunicauit, per virtutem ſumpti ſacramenti.) propter temetipſum clementer ignoſce. Vince malitiam meam: da mihi humilẽ, diſcretam, neceſſariam peccatorum meorũ recognitionem, gemitum, aduerſionem, deteſtationem, pœnitentiam in hac vita, emendationẽ perfectam: concede vt te amplius nõ offendam, ſed ſuauiſſimam amicitiam tuã, & pręcioſiſſimam gratiam fac me ſummo affectu diligere, ſtudioſiſſime requirere, & ſtatim inuenire, cum perſeuerantia, pro tua infinita dignatione & miſericordia. O pie deus, fac vt hanc dignationem tuam non negligam. Fortifica me in anima & corpore ad ſeruitiũ tuum, & dona mihi vt ſobrie vtar creaturis tuis, in gloriam & laudẽ nominis tui. Gratias ago tibi dñe Ieſu & ſpiritui ſancto æquales æterno

no patri, qui pro ſalute mea voluiſti de eodem ſpiritu concipi, & naſci ex puriſſima virgine Maria, & homo factus es. Quid & quãtum debeo domine Ieſu, deus homo, homo deus, Meſſia, Chriſte domini, Emanuel nobiſcum deus domine maieſtatis, maxime & fortiſſime amator, quòd factus es mortalis, mortali vitæ, effuſionibus, perſecutionibus, triſtitijs, pœnis, pręcipue tormentis crucis, quando factus es miſer & miſerabilis atque viliſſimus in oculis hominum. Quid reddam amatori pro amariſſima morte, & ineffabili exhibita charitate? Obſecro te domine Ieſu per incarnationẽ tuam, per habitationem in virgineo vtero, per gaudium animæ ad gratiam vnionis: per natiuitatem hyemis tẽpore, per dolorem circunciſionis, per venerationem Magorum, oblationem in templo, fugam, exilium, per formidoloſum reditũ, per ſubiectionem, obedientiam, virtuoſiſſimam vitam, per pœnitentiam pro nobis, per baptiſmum, ieiuniũ, tentationem in deſerto, per penuriam, paupertatem, neceſſitatem, huius mortalis vitę, per effuſiones, gratioſiſſimam, virtuoſiſſimam & glorioſiſſimam vitam: per

ingratitudinem Iudæorum quam ſuſtinuiſti quia volebant te præcipitare, inſidioſe capere in verbis & in factis, & violenta manu intentantes lapidare te. Etiam per modeſtiam, humilitatem, patientiam, manſuetudinem & cæteras virtutes tuas: per humiliationẽ ad pedes diſcipulorum, per ſacramenti ſuauiſſimi inſtitutionẽ, per ſuauitatis eius guſtationem, per triſtitiam, agoniam, ſudorẽ ſanguineum, derelictionem, traditionẽ, ligationem, contumelias, iniurias, colaphos, alapas, ſputa blaſphemias: per falſam accuſationem, iniuſtam damnationem, per dolorẽ ſuper Petrũ, Iudam & alios diſcipulos, per deductionem ad diuerſos iudices pro ſentẽtia mortis, per illuſionem, nudationem, flagellationem, coronationem, anxietatem innocẽtis animæ tuæ, per reiectionem præ Barraba, per iniquam ſententiam iudicis, per ductionẽ cum latronibus, per crucis baiulationem, geſticulationem aduerſariorum, & ignominiã crucis, per piorum gemitus, & maxime matris, per fatigationem, amaram potationem, veſtium extractionem, extenſionem in cruce, conſolationem, tormenta crucis, per lachrymationem,

iniuriarum illationem, pijſſimam oratione͂, latronis miſerationem (iam in regno tuo memor eſto mei) matris compaſſionem, per derelictionem, aceti & fellis potatione͂, conſummationem, crudeliſſimam morte͂, per tantam charitatem, per lateris perfoſſione͂, inſpectante matre, per ſepulturam, mœſticiam amicorum, per reſurrectionem, apparitionem, aſcenſionem, ſpiritus ſancti miſſionem, per inſtitutionem eccleſię, aſſumptionem matris, beatificatione͂ ſanctorum, per extremu͂ iudiciu͂, æternam ſaluationem animarum & corporum. Reſurrexiſti glorioſus à mortuis, apparuiſti tuis, lætificaſti eos, aſcendiſti cora͂ eis in cœlos, miſiſti ſpiritu͂ ſanctu͂, ædificas eccleſiam, colligis tuos, aſſumpſiſti piam matrem, venturus es iudicare viuos & mortuos, regnaturus cum omnibus tuis in perpetuum, & ego tecum pie Ieſu. Quid reddam amatori pro amariſſima morte & ineffabili exhibita charitate? Bone Ieſu, fac me obſecro participem omnium meritorum & bonorum tuoru͂, fac me gratum, reddentem vicem, redamantem. & etiam pro amore tuo morientem. Ignoſce indignitati, vilitati, irreuerentijs & negligen

tijs

tijs meis, doce me ſapientiam, vt tu mihi ſolus ſapias, & omĩa deſipiant. Dona vt nunq̃ vrar aliqua concupiſcentia. dona prudentiã, recta conſilia, diſcretionẽ in conſcientia mea, & in ſancto ſeruitio tuo. Fac me ſtrenuũ, etiã oculis ſummæ maieſtatis tuæ me talem exhibere ſicut decet. Anima me contra puſillanimitatem, errores, ſcrupuloſitates, phantaſias & ſimilia. Aperi mihi intellectũ in ſcripturis, & in beneplacito tuo, vt ſciam quid acceptũ ſit coram te, & dona vt illud diligã & agam. A cura & ſolicitudine aliorum hominũ libera me, vt poſſum tibi amplius placere, & ad te perfectior & ſecurior, & citius peruenire. Quod ſi placuerit tuæ excellentiſſimæ maieſtati, vt ita fiat in me, fiat voluntas tua, & adiuua me vt poſſum fore vtilis in officijs & nihil negligere. Conforma me tibi in vita & in moribus, dona mihi modeſtiam, humilitatem, obedientiam, patientiam, & quæcunq; ad ſtatum meũ mihi ſunt neceſſaria. Beneuolentiſſime domine, viuifica me per gratiam tuam. Auerte me totaliter ab omni malo, cõuerte me totaliter ad teipſum, & dona, vt odio habeam quæ odis, & diligã quæ diligis,

Fac

Fac me fortiter in virtutibus proficere. In fide catholica ſane intellecta, conforta me. Adauge in me fidem. Corrobora me in ſpe certa, concede mihi bene de te ſentire, & ſuper te inniti: dona mihi fiduciã, & pręſta mihi, ſemper mũdo ac ſimplici corde, quieta & ſecura cõſciẽtia te colere, caſtiſſime te revereri & diligere. Tu vnice placeas, tu vnice ſis deſyderatus & dilectus, vnice occupans, vnice poſſidens, & ego tibi ſoli placere deſyderem. Fac me à te nũquam ſeparari, ad te anhelare, in te ſolo requieſcere, & ad te citius peruenire. Pereat ergo omnis inordinatus amor, & quicquid impedire me poteſt perueniendi ad te vnicum & totum deſiderabilem & amabilem.

Te domine deus trinum in perſonis confiteor, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, & vnum verum deum ſicut in temetipſo es, veneror & adoro, inclinando & ſubdendo me, totaliter & irreuocabiliter ſanctiſſimæ tuæ maieſtati, prout vniuerſa creatura ſecũdum omnem modum, promptiſſime, perfectiſſime & veriſſime debet ſubeſſe.

Ignoſce pie deus, amor meus, quod mi-

nus

nus egi, ſed doce me colere, reuereri & diligere te in veritate.

Celebraturus vel cõmunicaturus.

DOmine Ieſu, intendo celebrare vel cõmunicare in memoriam aduentus tui dulciſſimi in quo tu creator noſter, factus es redẽptor noſter. O ſaluator pijſſime, vtinam eſſem in numero eorum quos pietate tua congregas, leuas & portas. O ſaluator miſericordiſſime, clementiſſime ac benigniſſime. O veriſſime amator. O Emanuel nobiſcum deus, fili Mariæ virginis, plenus omnibus gratijs, virtutibus & donis. Obſecro te per illam ſingulariſſimam gratiam, ſcilicet vnionis, per gaudiũ cordis tui, per dulcedinem mentis tuæ, per gratitudinem, per charitatem tuam ad patrem, ad totũ humanũ genus, & ad me miſerum peccatorem, ſuſcipiendo cauſam noſtrã nimis malam, cũ maximo gaudio ac deſyderio, vt patri reſtitueres honorem, humano generi & mihi ſalutem æternam. Per fideliſſimam executionẽ cauſæ noſtræ, per effuſiones, per perſequutiones, triſtitias, iniurias, pœnas, tormenta crucis, & amariſſimam

riſſimam mortem: fac me participem omniũ meritorum ac bonorum tuorũ, & dona auxilium, vt valeã deuote & attente offerre tibi hoc ſacrificium, vel communicare, in memoriam omniũ prædictorũ, ſub honore ſanctiſſimæ matris tuæ Mariæ, & illius ſancti, & omnium electorũ tuorũ, pro ſalute animę meę & totius eccleſiæ profectu, pro redẽptione animarum ſanctarũ. Adiuua me domine Ieſu, & defende me ab offenſa tua, à periculis & omni confuſione & fac me huius ſacri miſterij eſſe participem, Amen. Doce, me hanc ſcientiam perfecte domine Ieſu.

Oratio beati Ambroſij epiſcopi, de beata virgine Maria.

SIngularis meriti ſola ſine exemplo mater & virgo Maria, quam dominus ita mente & corpore inuiolatam cuſtodiuit, vt digna exiſteres ex qua ſibi noſtræ redẽptionis precium dei filius adaptaret. Obſecro te miſericordiſſima, per quam totus ſaluatus eſt mundus, intercede pro me miſerrimo peccatore, & cũctis iniquitatibus fedato, vt iam vel donet dominus infelici animæ meæ amorẽ puritatis,

ritatis, affectum mūdiciæ, tenorem caſtitatis. Ego enim, ego infelix, ego totius innocentiæ meæ, totius ſanctimoniæ gratiā perdidi, ego templum ſanctum dei multipliciter violaui. Sed quid ago, obſcenitates meas referēs auribus tuis illibatis? Horreſco domina, & arguente me conſcientia mea male nudus, coram te erubeſco. Cui vero moribūdus offeram vulnus meū? Aut quomodo aliūde ſpe rem beneficia ſanitatis, ſi mihi clauditur illud vnicum reclinatorium æternæ pietatis. Audi igitur domina, audi propicia, & exaudi ciuem perditū de ſorte hæreditatis tuæ, poſt longa exilia, poſt ſeua ludibria, poſt multa ſupplicia reuertentē ad verba conſolationis tuæ. Memini domina & meminiſſe delectabile eſt, qualiter ad cōmendandū miſeris vnicum patrociniū tuū cuidam ſeruulo tuo agē ti in extremis reuelaſti memorabile nomen tuum, apparens enim ei cū eſſet in anguſtijs, & requirens vtrū te agnoſceret, cum ille domina tremens minime reſponderet, tu ei pro bonitate & pro benignitate tua quàm blande quàm familiariter tu domina dixiſti: ego mater miſericordiæ. Apud quē ergo miſeri apud

quem deſolati rectius ingemiſcemus, deplorantes mala totius calamitatis & miſeriæ, q̃ apud te veram & indubitatā miſericordię matrem. Mater ſancta, mater immaculata, mater incorrupta, mater miſericordię, pietatis & indulgentiæ, aperi ſinū pietatis & ſuſcipe mortuū in peccatis. Ecce dn̄a filius prodigus, nudis & attritis pedibus de loco horroris, de nebula immūditiæ & fetoris ſuſpirat, clamat & appellat te matrē nō immemor quoties eum foueris, texeris, excuſaueris apud patrē: & quidem pijſſimus atq; benigniſſimus ille pater, tu tamē dulcis & ſuauis mater. Agnoſce benedicta filios tuos, quos dilectus vnigenitus tuus nō erubuit nominare fratres ſuos. Et ſi pro illo innocēte crucifixo ptrāſiuit gladius animā tuā, quomodo ſuper mortuis in peccato pupillis tuis te cōtinere, quomodo vnq̃ à maternis fletibus & lachrymis ò dn̄a te poteris tēperare? Abſtrahimur, diripimur, captiuamur, nō eſt qui eruat, qui redimat, q cōſurgat diluculo & ſpōdeat pro nobis. Surge ergo pia, ſurge propicia, intra ſacrariū exauditionis, & expāde manus immaculatas ante altare illud aureū humanę reconciliatiōis, &

erit per te impetrabile quod p te ingerimus, erit certe excuſabile quod timemus, nec diu poterit te ſuſtinere pro nobis miſeris ſuplicā tem, quē tu ſæpiſſime cōſolata es dulcis mater infantē vagientē. Quæ ergo potētior meritis ad placandā irā tanti iudicis quā tu, quæ meruiſti mater exiſtere eiuſdē redēptoris & iudicis? Ne dubites dña noſtra, ipſe eſt enim os meū & caro de carne noſtra, ipſe caput noſtrum, ipſe cognouit figmentū noſtrū. Decus virginū, dña gentiū, regina angelorū, fons ortorū, ablutio peccatorū. Sancta & perpetua virgo Maria, ſuccurre miſero, ſubueni perdito, vt qui iam prohdolor incōparabilem nō audeo ſperare angelicā illam ſtolā virginalē, tuis glorioſis meritis qualēcunq; recipiā veſtem nuptialē. Deniq; & ſi non merebor, imò quia non merebor vicinius accedere, & intereſſe florigeris, atq; odoriferis gloriæ veſtræ choris, eminus ſaltim poſitus & longe conſtitutus videre merear & audire proceſſus veſtros, & tympana veſtra, cōcentus veſtros, & quicquid gloriæ & exaltationis erit, quando tripudiabitis ſequētes agnū quocunq; ierit. Singularis virgo, ſumma & perpetua virgo

ſola mater & virgo ſancta Maria,in fine ora
tionis,in extremo futuræ huius & indignæ
ſupplicationis, hoc vnũ rogo, de hoc vnũ
precor & obſecro in nomine dilectiſſimi filij
tui,dona mihi miſero iugem & perhennẽ me
moriã ſuauiſſimi nominis tui, ſit mihi cibus
dulciſſimus, cibus ſuauiſſimus animæ meæ,
adſit mihi in anguſtijs,adſit in principio læ-
titiæ meæ. Si enim dei dono & tuo hoc me-
reor obtinere, nullatenus certe vnquam ve
reor funditus interire.Aderit enim mihi ſem
per gratia tua ,aderit miſeratio & protectio
tua,& ſi in infernũ dimerſus fuero,ibi me re
quires , & inde me extrahes & reddes filio
tuo, qui me redemit & lauit ſanguine
ſuo. Ieſus Chriſtus dominus noſter,
qui cum patre & ſpiritu ſancto
viuit & regnat deus per
omnia ſecula ſeculo
rum. Amen.

FINIS PHARETRAE.
diuini amoris.

D. DIONYSII A RIC-
KEL CARTHVSIANI DE REMEDIIS
tentationum liber vnus. Præfatio.

Iob 7 MIlitia eſt vita hominis ſuper terram. Omnis homo in hoc ſeculo conſtitutus, aut ſeruit deo, aut miniſtrat diabolo. Si ex charitate diuinis obedit pręceptis, deo obſequitur: ſi vero in mortali iacet peccato, diabolo ſeruit ac ſubditur. Porrò, qui creatori deſeruit, aduerſarijs eius reſiſtit: ideo miles dei cenſetur: idcirco vita eius rectè militia perhibetur. Qui autẽ diabolo ſeruit, diuino reſiſtit inſtinctui, angelicę inſpirationi renititur, rationem quæ ad optima deprecatur, non audit. ſyndereſi culpis remurmuranti repugnat: ſcripturis quoq́, exhortationibus, informationibus q́ ſalubribus proximorũ impie reluctatur, hinc vita ipſius eſt praua militia, militia vtiq́ carnis atq́ diaboli: & ipſe merito ſeruus membrum ac miles diaboli nuncupatur, beatiſſimo principe apoſtolorũ teſtante: A quo quis
2. Pet. 2 ſuperatus eſt huius & ſeruus eſt. Hinc vnigenitus dei patris diabolũ vocat principem mundi: id eſt, hominum mundanorũ, carnalium

lium, iniquorũ: Venit, inquiens, ad me prin ceps huius mundi, & in me non habet quicquam. Itemq́ꝫ Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. De hac praua militia ſummus ait apoſtolus: Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſyderijs, quæ militãt aduerſus animam. Hæc militia eſt repugnantia cõtra virtutes, de qua ad Romanos vas ait electiõis: Video aliã legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mentis meæ. Itaqꝫ vita hominis virtuoſi ac iuſti eſt militia ſalutaris, qua contra aciẽ vitiorum, contra inſidias tentationemq́ dæmonum, contra mundum & ea quæ mundi ſunt, contra ſeipſum (id eſt, propriã carnem & ſenſualitatem ac improbam voluntatem) iugiter & aſſidue pugnat, virtuoſisq́ꝫ actibus victorioſe inhæret, quemadmodũ hortatur Apoſtolus: Stabiles eſtote & immobiles, abũdantes in opere domini ſemper. & rurſus: Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, confortamini, & omnia veſtra in charitate fiãt. Militia demũ hominis vitioſi, eſt cõuerſatio & actio eius praua qua ad creatoris ſui iniuriam, ad omnipotẽtis dei contumeliam acquieſcit & ſubditur voluntatibus dæmonũ, inclinationibus

Ioan. 14
Ioan. 12
1. Pet. 2
Roma. 7
1. Co. 15
1. Cori. 16

nibus vitiorum, motibus paſſionum, iuſtos quoque perſequitur, æquitati & veritati reſiſtit, atq; per vias graditur tenebroſas. Deniq; de hac duplici militia ſanctus ait Gregorius: Iuſtorum fortitudo ſeu militia eſt carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis contemnere, aduerſa mundi huius pro æterna felicitate diligere, proſperitatū blandimenta abijcere. Reproborum vero fortitudo atq; militia eſt, tranſitoria ſine ceſſatione diligere contra flagella conditoris inſenſibiliter perdurare, militiæ argumenta exquirere, vitam iuſtorum non ſolum verbis ac moribus, ſed etiam gladijs impugnare. Itaq; tam iuſtorum quàm impiorū vita aliquo modo militia nominatur: veruntamen vita iuſtorum multo conuenientius nuncupatur militia, quia ex vera & ſpiritali fortitudine deriuatur, ad verum quoq; & felicē ordinatur triumphū: imò deo ſeruire, regnare eſt: à virtutibus autem reſiſtere, iuſtos opprimere, & his quæ vere ſalubria ſunt præualere, viliſſima ſeruitus eſt potius q̄ vera militia. hinc quod ait ſcriptura, Militia eſt vita hominis ſuper terram, de bona

Iuſtorum militia.

Reproborū militia.

Iob.7

bona eſt intelligendũ militia qua aduerſarijs diuini honoris & humanæ ſalutis reſiſtitur. Talis autem reſiſtentia interdum tentatio dicitur. hinc pro eo quod S. Hieronymus tranſtulit, Militia eſt vita hominis ſuper terram, Septuaginta interpretes tranſtulerunt: Tentatio eſt vita hominis ſuper terrã. Senſus tamen redit in idem. propter quod 8. Moraliũ ſcribit Gregorius: Hoc in loco in tranſlatione veteri nequaquam militia vita hominis, ſed tẽtatio vocatur: ſed ſi vtriuſq; verbi ſenſus aſpicitur, eundem intellectum concorditer format. Quid enim nomine tentationis, niſi pugna cõtra ſpiritus malignos exprimitur? & quid appellatione militiæ, niſi exercitium contra hoſtes ſignatur? Hæc Gregorius. Nihilominus militia magis proprie reluctatio cõtra tentationes, q̃ tentatio appellatur: attamẽ vita hominis tẽtatio perhibetur, quoniã vita eorũ qui rationabiliter atq; fideliter cõuerſantur, & homines dici merentur, tot ac tantis tentationibus plena eſt, vt non immerito nuncupetur tentatio. Moraliũ. Gregor. 8

Articulus I. qd ſit tẽtatio & tẽtare.

Pſal. 25 PRoba me domine & tenta me. Sicut ait Guilielmus Pariſiēſis in tractatu ſuo de vitijs & virtutibus: Tentatio vno modo idem eſt quod experimentatio, & tentare eſt experimentū ſumere de re, vt innoteſcat vel ipſi tentāti, vel ipſimet rei tentatę, vel alicui alteri, vt dum homo aliquid quærit ab alio, vt experiatur & ſciat eius fidelitatē ſiue ſcientiam de qua extat incertus, ſic quoq; tentat equum, quem currere facit vt ſciat eius velocitatem. Deus vero tentare hominem dicitur, non vt ipſe illum agnoſcat; ſed vt homo ſibiipſi aut alijs innoteſcat, vt infra clarius exponetur. Secundo tentatio eſt idē quod impugnatio, & tentare eſt impugnare. Tenatio duplex. ſicq; tentatio duplex eſt, puta actiua qua tentat diabolus, & paſſiua qua homo tētatur, hoc eſt, impugnatur, mouetur aut allicitur ad peccandū. Prætereavt ex dictis in fine procemij patet, tentatio ſecundū Gregoriū tertio modo vocatur pugna cōtra ſpiritus malos. His conſonat quod in ſecunda ſecūdæ q. 97. aſſerit S. Thomas: Tentare eſt experimētum ſumere de tentato quod cōtingit dupliciter, vt puta verbis & factis, vt dū quis alterius

patien

patientiam probat verbis cū corripiendo & quaſi iniuriā irrogādo: quorū vtrūq; adhuc dupliciter fieri poteſt, videlicet manifeſte, ſicut dum aliquis tentatorē ſe eſſe fatetur, ſuā intentionē publice exprimēdo, & occulte ſiue inſidioſe, quando ſuā non pandit intentionem, vel bona intētione, & pro ſua informatione interrogare ſe ſimulat, quemadmodū in Euangelio ſcribæ & phariſæi Chriſtū tentaſſe leguntur, dicendo: Magiſter, ſcimus q̄a verax es & viam dei in veritate doces, & nō eſt tibi cura de aliquo: dic ergo nobis, licet cenſum dari Cæſari an nō? Itemq́; Quod eſt mandatū magnū in lege? Tertio dicitur aliquis quempiam tentare interpretatiue, dum etſi non intēdat experimentū de alio ſumere, aliquid tamen agit quod ad aliud nihil ordinabile eſt, q̄ ad experimentū ſumendum de illo, vt ſi quis cogat currere equū abſq; vtilitate & rationabili cauſa, hoc enim ad nihil vtile eſſe videtur, niſi ad experiēdū equi velocitatē. Similiter, ſi quis proponat alicui ſibi prorſus ignoto quæſtionem, quāuis non intendat experimentū de illius ſcientia ſumere, hoc tamen ob aliud non videtur fieri niſi ad Matt. 22

hoc. Amplius de multiplici acceptione & diuiſione atq; diſtinctione tentationis, diffuſe ſcribit Albertus libro de quatuor coæquæuis, inter cætera recte affirmans, quòd tentatio proprie appellatur motio ſeu inclinatio tentati ad electionem aut actionẽ eius quod tentans intendit, ſiue illud ſit bonũ, ſiue malum, ad ſumendũ agnitionem & experimentum de illo. communiter tamen tẽtationem accipimus pro inclinatione aut motione ad aliquid illicitum: & qui tali tẽtationi frequenter ſuccumbit, vocatur homo tentatus: ſicq; doctores tentationem accipiunt, quando remedia contra tẽtationes aſſignãt. Poſtremo, tentatio interdum vocatur quæcunq; afflictio ſiue aduerſitas.

Articulus II. Qui ſunt, à quibus homines tentari dicũtur, & qualiter tẽtare diuerſimode cõueniat deo & angelis, mundo, carni, dæmonibus atq; hominibus.

Eccl. 27 VAſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Difficultas iſta qua quæritur, qualiter tentare diuerſis diuerſimode aſcribatur, cõſurgit ex va

rijs

rijs autoritatibus ſcripturarum,quæ ſibi inui cem prima facie videtur eſſe cõtrarię.Nempe quòd deo non cõpetat tentare homines, apparet ex eo quod Iacobus proteſtatur apoſtolus: Nemo cum tentatur,dicat quia à deo tentatur. deus enim intentator malorum eſt ipſe namq; neminẽ tentat. Pręterea,ad Theſſalonicenſes ſcribit apoſtolus Paulus: Miſi ad cognoſcendum fidem veſtram, ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter. Vbi per eum qui tentat, deſignatur diabolus. ſicq; videtur quòd tẽtare cõueniat tantum diabolo. Vnde & Gloſſa ibidem: Officium,inquit, diaboli eſt tentare. quod itẽ probatur ex eo,quod fertur in Matthæo: Et accedens tentator (id eſt diabolus) dixit.Sed his rurſus cõtrariari videtur,quod apoſtolus Iacobus loquitur: Vnuſquiſq; tentatur à propria concupiſcentia abſtractus & illectus. Ex quo apparet, quòd vel ſoli carni, vel ei potiſſime tentare conueniat. Præterea quòd deo quoq; competat tentare, ex plurimis declaratur teſtimonijs ſcripturarum.In exodo em̃ ait Moyſes filijs Iſraël:Vt probaret vos, venit dñs. Idem in Deute.

Iaco.1 1.Theſſ.3 Mat.4 Iaco.1 Exod.20.

Addu-

Adduxit te dominus deus tuus, vt affligeret
Deu. 8 te atq; tentaret. Sic & in Geneſi narratur: Ten
Gen. 22 tauit deus Abrahã. Itaq; pro horũ cõcordan
tia aduertendũ, quod ſuper ſecundũ Sentent.
diſt. 21. aſſerit Thomas: Ad perfectã ratio-
nem tentationis tria concurrũt: primum eſt,
vt cognitio alicuius dubij per tentationem
accipiatur, ſiue pro certificatione tentationis
ſiue alterius. Secundũ eſt vt hoc ipſum ſit à
tentante intentũ. Tertium vt ipſemet tentãs
velit cognitionem rei illius accipere. Et tam
ſtricte ac proprie de tentatione loquẽdo, ten-
tare non cõuenit deo, cũ ipſe omnia ſciat, ſed
dæmonibus atq; hominibus conuenit ſic ten
tare: dęmones tamen in cognitione tali non
ſiſtunt, ſed referũt eam ad nocendũ ei quem
tentant. Homines vero in tali cognitione
ſiſtere queũt, poſſunt quoq; eã referre ad fi-
nem vlteriorem, videlicet ad nocendum ei
quem tentant, quod eſt hominum iniquorũ:
vel ad proficiendũ ſibiipſis aut alijs, quod
bonorum eſt hominũ. Porro deo conuenit
tentare ſecundũ duo prima prætacta, ad ten-
tationem proprie dictam requiſita: quoniam
tentat homines, vt per hoc qualitas horum
quos

quos tẽtat ſalubriter innoteſcat eis aut alijs, & tentando eos intendit hoc ipſum, ſicut ten tauit Abrahã patriarcham, vt ipſemet ſciret quanta eſſet virtus obediẽtiæ ſuæ, & inde deo regratiaretur atq; proficeret, ac alijs in exem plum imitationis proponeretur. Simili mo do tentauit virtuoſum Tobiam, prout Ra phael angelus ait eidẽ: Quia acceptus eras deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. vbi tentatio pro aduerſitate & excęcatione cor porali accipitur. Vnde legitur & ibidem pau lò anterius: Hanc tentationẽ ideo dominus permiſit euenire illi, vt poſteris daretur exẽ plum patiẽtiæ eius, ſicut & ſancti Iob. At ve ro mundus & caro tentant ſolum quantũ ad primum illorũ triũ, ad tentationem proprie ſumptã requiſitorũ. Mouẽt em̃ ad quędã il licita, vt per hoc accipiatur alicuius rei cogni tio. ſiquidẽ ex tali tentatione manifeſtatur an homo ſit virtuoſus, an vitioſus quãuis caro & mundus hoc non intendãt. Cum autẽ ca ro tentare hominem perhibetur, per carnem ſenſualitas quoq; ſeu appetitus ſenſitiuus cõ cupiſcibilis & iraſcibilis, & exteriores interio resq; ſenſus intelligũtur: per quæ omnia ho mo fr-

Tob. 12

Tob. 3

mo frequenter ad vitia inclinatur & tentatio nes incurrit: per mundũ vero intelligi poſſunt terrenæ diuitiæ, delitiæ & honores, atq; obiecta viriũ ſenſitiuarũ tam cognoſcitiuarum q̃ appetitiuarum, in quibus obiectis nõ eſt intellectiua cognitio: frequenter tamen in ſcripturis, pręſertim in Euãgelio ſancti Ioannis, nomine mundi, homines in hoc mundo viuentes ſignantur. Nec ſolũ impugnatur homo à propria carne & ſenſualitate, ſenſitiuiſq; viribus, ſed etiam à proprio intellectu ac volũtate, ſecundũ quod ex originali peccato infecti ſunt, ex quo peccato inflicta ſunt animæ quatuor vulnera, vtputa cõcupiſcentia (id eſt, pronitas ad inordinata deſyderia) ſenſitiuæ partis & carnis. quæ eſt in vi concupiſcibili, & infirmitas in vi iraſcibili, ignorantia in intellectu, & malitia in voluntate. Vnde propria voluntas & ignorantia ac curioſitas intellectus, ad multa vitia hominem mouẽt. Inſuper quędã tentationes hominis ſunt à cauſa extrinſeca: & hoc contingit dupliciter: Primo, dum cauſa illa mouet hominem ad peccandũ per modum obiecti, id eſt, ſicut obiectũ mouet potentiam, vt color, lux, ſeu

ſeu pulchritudo viſum, harmonia auditum, & ita eſt tẽtatio à mundo, cuius rebus vires animæ alliciuntur ad vitia, quemadmodũ in Sapientiæ libro ſcriptum eſt: Creaturæ factæ ſunt in tentationẽ hominũ, & in muſcipulam & laqueum pedibus inſipientium. Secundo fit iſtud per modũ cauſæ agentis, ſicut dum aliquid trahit hominẽ ad peccandũ, perſuadendo, terrendo aut blandiẽdo. & hoc rurſus dupliciter accidit: Primo ab inuiſibili cauſa, puta diabolo: ſecũdo à cauſa viſibili, ſcilicet homine. Alio modo oritur tentatio hominis à cauſa intrinſeca, hoc eſt, à carne, ſenſualitate ſeu improba volũtate. Ait nanq; Apoſtolus: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ. Porro ſecundũ Auguſtinũ, mundus (id eſt, acies hominum mundanorũ ac impiorũ) dupliciter tentat milites dei: primo proſpera & delectabilia promittẽdo, puta honores, diuitias, voluptates: ſecũdo, aduerſa & aſpera cõminando ſeu infligendo. quo cõtra ait ſaluator: Nolite timere eos qui corpus occidũt. Sed contra hæc duo ſerui Chriſti conſtanter perſiſtunt, ita quod nec proſperis ſeducũtur, neq; aduerſis deijciuntur, quod in beatiſſimis martyri

Sap. 14

Gal. 5

Matt. 10
Luc. 12

martyribus potiſſime eſt impletũ. Hinc ait Hieronymus Iuſti ac fortis viri eſt, nec aduerſis frangi, nec proſperis eleuari, ſed in vtriſq; medium obſeruare. Et rurſus: Per bonam & malam famam à dextris & ſiniſtris miles Chriſti progreditur, nec laude extollitur, nec vituperatione deijcitur, nec diuitijs tumet, nec paupertate confunditur, & læta contemnit & triſtia. Amplius, ſicut ait Albertus, quemadmodum deus, ita & angeli ſancti tentare dicuntur. Nec enim præfato modo deus tentauit Abrahã, Iob, Tobiam ac cæteros iuſtos, iuxta illud, Deus tentauit illos &
Sap. 3 inuenit illos dignos ſe, niſi per creaturã ſubiectam. Itaq; loquẽdo de tentatione inclinante ad vitia, vel cuius finis eſt decipere ac nocere ex intentione tẽtantis, ſic tentare eſt diabolo potiſſime conueniens: conuenit quoq; deinceps membris eius iniquis hominibus. Veruntamen diabolus nõ eſt ſemper proxima cauſa tentationis & immediatus tentator: quia vt aſſerit Origenes, quamuis non eſſent diaboli, adhuc homines inclinarẽtur ad venerea & multa illicita. Attamen tentationes carnis & mũdi frequenter à dæmonibus excitan

citantur atq; augentur, quoniam per delecta bilia carnis, & per proſpera aduerſaq; mũdi, tanquam per inſtrumenta quædam ac media tentant nos.

Articulus III. De hoſtibus animæ qui tentant nos.

SEnſus & cogitatio cordis humani proni ſunt in malum ab adoleſcẽtia ſua. Quicquid conatur hominem inducere ad ea quæ ſuæ contrariantur ſaluti, poteſt vocari hoſtis & aduerſarius eius. Hinc iniqui ſunt hoſtes animarum ſuarũ: & omnis qui peccat mortaliter, inimicus eſt ſuiipſius. Similiter, qui alium amat carnaliter aut proximũ ſcandalizat letaliter, aduerſarius eſt illius. Nam cupit aut infert illi quæ ipſius aduerſantur ſaluti, quod veræ opponitur charitati. Ideo dixit Pſalmiſta: Qui autẽ diligit iniquitatem, odit animã ſuam. Tobiæ quoq; ſanctus Raphael loquitur: Qui faciunt peccatũ aut iniquitatẽ, hoſtes ſunt animę ſuę. Hinc cõmuniter dici ſolet, quòd tres ſunt aduerſarij animæ, vtputa diabolus, mundus & caro, intelligendo per diabolũ quemcunq; ſpiritũ ma Gene.8. Pſal.10. Tob.12.

lignũ tentantem. & quamuis vnus & idẽ homo à diuerſis tẽtetur dæmonibus, vel ſimul
Pſal.90. vel ſucceſſiue (propter quod ait ſcriptura: Cadent à latere tuo mille & decẽ millia à dextris tuis) tamẽ quemadmodũ vnuſquiſq; homo à ſuæ natiuitatis exordio, imò ab exordio ſuæ generationis in vtero ſortitus eſt angelum tuum ſanctũ ſui cuſtodem, ita & angelũ malũ ſeu dæmonem aduerſantẽ, à quo aſſidue impugnatur à tempore quo vti incepit ratiõe, non tamen continue. Secundus aduerſarius animæ, loquendo in generali, eſt mundus .i. homines ſeculares, intimorati, carnales, ad vitia pertrahẽtes, ſeu bona terrena ſenſibiliaq; obiecta, in quibus aliquid amabilitatis & delectabilitatis cõſiſtit, per quod ad peccandũ alliciũt: hoc eſt, ad inordinatũ amorem, concupiſcentiam prauam & delectationẽ immũdam. Ideo ſcriptũ eſt in prima Ioãnis Cano-
1.Ioan.2. nica: Nolite diligere mundũ neq; ea quæ in mundo ſunt. quia ſi quis diligit mundũ, non eſt charitas patris in eo. Quod non eſt intelligendum, quaſi debeamus machinam mundialem aut proximos in hoc mundo degentes odire, cum iubeamur etiam inimicos diligere

ligere: ſed quod vanitates mundanas & voluptates impuras atq; inanes honores, & qcquid in mundo noſtræ aduerſatur ſaluti, debeamus odire, abhorrere ac fugere, ſecundum quod tale. Iuxta quem ſenſum ait ſaluator: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum ac matrem & fratres & ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tertius animę hoſtis eſt propria caro infecta cum ſua ſenſualitate & fomite, ad varias culpas inclinās, in qua viget lex peccati: quę caro aggrauat animam, & neceſſitatibus, indigentijs, occupationibus ac ſuperfluitatibus ſuis innumerabilia impedimenta virtutum ſpiritualiumq; profectuum, contemplationum & virtuoſorum internorumq; exercitiorum ingerit animæ. Hinc ad Romanos ſcribit Apoſtolus: Qui in carne ſunt. i. deſiderijs carnis & paſſionibus ſenſualitatis ſubdūtur, deo placere non poſſunt. & denuo: Si ſecūdum carnem (inquit) vixeritis, moriemini. Itemq;, Video (ait) aliam legē in membris meis repugnantem legi mētis meæ. Veruntamen, ſicut præcedenti articulo tactū eſt, non ſolū caro, ſed & voluntas propria ex originali peccato

Luc. 14.

Sapi. 9.

Roma. 8.

Ibidem.

Roma. 7.

per malitiam infecta & læſa, intellectus quoq; ex eodem peccato per ignorantiam vulneratus, hoſtes ſunt animæ ad multa vitia inclinantes eandẽ. Vnde ſanctus fatetur Bernardus: Tolle propriã voluntatem, & infernus non erit. In quem enim infernalis deſæuiet ignis, niſi in filios propriæ voluntatis? Hinc in quodam ſermone pulchre tractat de lepra propriæ voluntatis, & de proprij lepra conſilij, imò omnis creata eſſentia atq; potentia, eo ipſo quo creata eſt, & per cõparationem ad ſuam originem ex qua, id eſt, ad nihilum, defectibilis eſt, labilis & prona ad malũ, ac vanitati ſubiecta, quæ vanitas eſt diſtantia & defectus à ſummo & incõmutabili increatoq; eſſe, vt Alexander de Hales teſtatur. Vnde

Eccleſ.1. & Salomon loquitur, Vanitas vanitatum &

Roma.8 omnia vanitas. Apoſtolus quoq;, Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens. Ex quibus clariſſime innoteſcit, quàm indecens, illicita atq; cõtraria ſit omni creaturæ omnis ſuperbia, omnis confidentia in ſe. omnis pręſumptio de ſe, & omnis gloriatio vana. Poſtremo, quoniam originale peccatũ & fomes radicaliter & originaliter ſunt in carne, ita quod ani

ma

ma ex vnione cum carne, prætactam vulne rationē in viribus ſuis prædictis fomitemq́ incurrit: ideo per carnē dantur intelligi omnes potentiæ illæ ad vitia inclinantes, videlicet cōcupiſcibilis, iraſcibilis, intellectus, voluntas. Itaq; his hoſtibus ſuis & cūctis eorū tentationibus oportet animam viriliter relu ctari ac præualere, quatenus ita reſiſtat dæmonibus vt fugiant ab ea, carnem quoq; in ſuam redigat ſeruitutē, & ea quæ mūdi ſunt aſpernetur. quod qualiter fieri poſſit ac debeat, infra tangetur.

Articulus. IIII. De inchoatione, progreſſu & ordine diabolicæ tentationis in nobis.

DIxit ſerpens ad mulierem: Cur pręcepit vobis deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Quemadmodū magiſter Sententiarū libro II. ex verbis ſapientiſſimi Auguſtini diffuſe declarat, conſimilis inchoatio, progreſſus & ordo tentationū in nobis eſt, quas ex diaboli impugnatione incidimus, inchoationi, progreſſioni ac ordini tentationis primorū parentū: in qua dia- Gen. 3.

m 3 bolus

bolus in forma ſerpentis apparens, tentatio nem incepit, mulierem aggrediẽdo, interro gando, cibumq́ꝫ vetitũ ei offerendo & eam fallendo: cuius tentationis progreſſio fuit, ꝙ mulier ſuggerẽti diabolo audientiã ꝑbuit, credidit & conſenſit: cõſummatio autẽ fuit, dum & vir conſenſum dedit vxori, & cõtra diuinũ pręceptũ de fructu comedit prohibi to. Conformiter in nobis quotidie agitur, dum dęmon illicita ſuggerit ſenſualitati, ſen ſualitas vero ea proponit rationi ac volun tati: quæ dum conſentiũt, de illicito comede re perhibentur: ſicq́ꝫ ſecũdũ Gregoriũ, dia

Gregorius bolus in tali tentatione gerit ſimilitudinem officiũq́ꝫ ſerpẽtis, ſenſualitas mulieris, ratio

Auguſtinus. viri. Porrò, ſecundũ Auguſtinũ xij. de Tri nitate, per ſerpẽtem ſenſualitas deſignatur, cuius primus motus eſt ſæpe ſuggeſtio dæ monis, ex cuius impugnatione oritur pri mus motus: per mulierẽ vero ſignificatur inferior ratio, ita ꝙ delectatio cogitatiõis ſe cundũ rationẽ inferiorẽ eſt comeſtio mulie ris: per virũ autẽ figuratur ſuperior ratio, cuius comeſtio eſt cõſenſus in delectationẽ plenarius. Itaqꝫ teſte Gregorio, per hęc tria,

puta

puta ſuggeſtionē,delectationē & conſenſum homo in tentationē inducitur, tentationeq́ꝫ vincitur: qa per ſuggeſtionē tētatio inchoatur,per delectationē progreditur,per cōſenſum cōpletur: quod in tentationibus de rebus carnalibus, corporeis & mundanis prę ſertim intelligendū videtur. Prętereа,ſecundum doctores cōmuniter, in ſenſualitate nō eſt niſi veniale peccatū,in ratione vero inferiore tam veniale q̄ mortale peccatū conſiſtunt. Dum eñ ratio ipſa inferior delectationem prauam mox abijcit, cū eam aduertit, nec ex deliberatiōe ei cōſentit,culpa eſt venialis:ſi vero eam nō reijcit,ſed ex deliberatione conſentit in eam,eſt culpa mortalis.& talis conſenſus vocatur cōſenſus in delectationē moroſam,ita ꝙ delectatio nō vocatur moroſa ex tēporis diuturnitate,ſed ex deliberatiōe,dū poſt rationis deliberationē adhuc cōplacet delectatio mala:certū eſt quoqꝫ tam venialia q̄ mortalia peccata, in ſupiori ratione locū habere.Nā & primi aliq motus dicūtur eſſe ī ratiōe ſupiori,dū ex quadā ſubreptiōe ſubito cōcipitur aliqua cōſideratio aut cogitatio cōtraria fidei,ſpei aut charitati

In ſenſualitate non eſſe niſi veniale peccatum.

qui motus dum protinus repelluntur, venia lia ſolũ peccata dicuntur. Deniq;, ratio ſuperior & inferior nõ ſunt diverſę potentiæ, ſed eadem vis vocatur ratio inferior, in quantũ procedit ex argumẽtis & conſiderationibus rerum inferiorũ, circa quas moralis philoſophia verſatur, vt quod aliquid ſit agendum, quia ſic expedit vitæ humanę & ratio dictat: vitandum vero, quia ſuperfluum eſt & nociuum. & eadẽ vis appellatur ſuperior ratio, quantum intẽdit cauſis & conſideratiõibus ac motiuis diuinis, vt aliquid eſſe agendum quia à deo pręcipitur expedit ad æternam ſalutem: vitandũ vero, quoniam diſplicet deo & lege prohibetur diuina, atq; damnationem meretur perpetuam: ſuperior autẽ ratio inferiorem regere debet, quia conſiderationes inferiores, morales, humanæ ac naturales, per conſiderationes & rationes ſupernaturales diuinas ac ſupremas ſunt gubernandæ. Præterea aduertendum, quod primi motus ſenſualitatis cõmuniter dicuntur eſſe culpæ veniales: quod intelligendũ eſt de motibus primis, qui ex aliqua præuia imaginatiõe ſeu conſideratione procedunt, quoniam illi mo-

tus

tus aliquo modo ſubduntur rationi ac vo-
luntati, à quibus ſunt reprimēdi & præcauen
di. ſed motus primi qui ſunt purè naturales
& vocantur motus primo primi, non extant
aliquo modo culpabiles, quia ex cauſis pu-
re naturalibus oriuntur, nec aliquo modo
rationis ac voluntatis imperio ſunt ſubie-
cti, ſicut dum quis ex ſola naturali ſuperflui
tate naturæ patitur ſtimulum carnis, vel me
lancholicus ex malitia ſuæ complexionis ſu
ſtinet motum primū rancoris. ſed quando-
cunque quis ex prçuia inſpectione, imaginatio
ne aut cogitatione rei carnalis ſtimulatur, &
motum ſecūdo primū incurrit, ad minus eſt
veniale peccatum. & idem dicendum de pri-
mis aliorum motibus vitiorum.

Motus pri mi qui pri mo primi dicuntur.

Articulus V. Qualiter homo à dia-bolo, mūdo & carne varijs modis tentetur.

SObrij eſtote & vigilate, qa aduerſarius
veſter diabolus tanquam leo rugiens
circuit, quærēs quem deuoret. Dæmo
nes ad tentandum, impugnandum, deijcien-
dumque homines, vtūtur carne & mūdo tan
quam inſtrumentis ac medijs: quia per exte

1. Pet. 5.

Homines à dæmoni bus varie impeti.

riores interiores q́ꝫ ſenſus,& p appetitū ſenſi
I tiuū impugnāt nos varijs modis. Primo, ipſis ſenſitiuis potētijs obijciēdo ſeu rep̄ſentando obiecta delectabilia vel terribilia, proſpera vel aduerſa, quaten⁹ ad inordinatū & carnalem amorē, ſiue ad vitioſum, carnalem & mundanū timorē, ſiue ad aliā paſſionē vituperabilē nos accēdant, incitent aut inducāt.
II Scđo, ad ipſa exteriora obiecta, ſenſibilia & terrena nobis vndiq́ꝫ occurrētia, nos varijs modis afficiendo, ita vt inordinatè delectemur in eis, vel male cōtriſtemur de eis, atq́ꝫ ſupflue immoremur ſeu inhęreamus eiſdē.
III Tertio immoderatè nos occupādo circa talia etiā in diuino officio, & qn̄ ſpecialiter vacandū eſt deo ī or̄onibus, pſalmodijs & meditationibus ſacris. Inſuper, in corpora nr̄a agere poſſunt, & ea diuerſimode alterare, accendere & diſproportionare, ita q̄ inde ad libidinē, irā, acediā, timorē, audaciam, triſtitiā: & cōſimilia vitia excitamur: ſic & organa exteriorū interiorūq́ꝫ ſenſuū & appetitus ſenſitiui poſſunt multipliciter immutare & ita decipere, nō tamē poſſunt directe intellectū ac voluntatē imprimere: ſed q̄a in nobis eſt na

turalis ac iugis & maxima colligatio atq; cõnexio ſenſitiuarũ & intellectualiũ potentiarum, in tantũ ꝙ intellectiua nr̃a cognitio à ſenſitiua cognitiõe depẽdet, oritur ac procedit, & intellectus mediantibus phantaſmatibus quę ſunt in ſenſu interiori, tẽdit in actũ, idcirco ex hoc ꝙ dęmones ſenſitiuas vires indiſponũt, & earũ formas atq; phantaſmata turbant, impeditur & errat intellectus noſter, & ratio in actibus ac iudicijs ſuis: volũtas quoq; ex motib⁹ paſſionũ obtenebratur, errat ac labitur. Idcirco neceſſe eſt tentationibus, paſſionibus & immutatiõibus, quas inuiſibiles hoſtes cauſant in potẽtijs & organis ſenſitiuis, & in corporũ noſtrorũ cõplexionibus ac ſanguinibus efficaciter reluctari per remedia infra tangenda. Præterea, ꝙ præinductis modis tentet nos ſatanas per ſenſitiuas vires & earum obiecta, cõſtat ex verbis S. Cypriani dicentis: Circuit diabolus nos ſingulos, & tanq̃ hoſtis clauſos obſidet muros, explorat & tentat an ſit pars aliqua membrorum aut virium minus fida ac ſtabilis, cuius aditu ad interiora valeat penetrare: offert oculis formas illicitas ac faci

Per ſenſitiuas vires & earum obiecta tẽtamur.

ac faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſti-
tatem: aures per canora muſica tentat, qua-
tenus auditu ſoni dulciſſimi ſoluat atq; emol
liat Chriſtianum vigorem: linguā conuitio
prouocat, manū iniurijs laceſſentibus ad pe-
tulantiam cædis inſtigat: lucra proponit, vt
faciat fraudatorem: ingerit pernicioſa com-
pendia, vt animam pecunia capiat: honores
promittit terrenos, vt tollat cœleſtes: oſten
tat falſa, vt vera ſubripiat: dumq; latenter fal
lere nequit, aperte minatur, terrorem turbidę
perſecutionis intentans, ad debellandos dei
ſeruos ſemper inquietus & ſemper infeſtus:
in pace ſubdolus, in perſecutione violentus.
Quam ob rem cōtra vniuerſas diaboli tam
fallaces inſidias, contra apertas pugnas, per-
ſecutiones & minas ſtare animus iugiter de-
bet inſtructus, tam paratus ſemper ad repug
nandum q̄ paratus eſt ille ſemper ad impug
nandum. Hęc Cyprianus. Inſuper, quòd ten
tēt nos per corporis alterationem & ſangui-
nis variam commotionem, probatur ex ver
bis Auguſtini, dicentis quod dæmones im-
miſcent ſe ſanguinibus hominū ad excitan-
dum tentationem concupiſcentiarum. Con-
ſimiliter

Per corporis alteratione͂ &c. tentamur à diabolo.

ſimiliter grauant ad acediam & ſomnolentiam diſponendo, ſed & ſanguinis ebullitionem faciendo diſponũt ad iram: ſicq; ex tentatione diaboli poteſt ſanctis hoĩbus grauis tentatio carnis oriri, quẽadmodũ ſanctus refert Gregorius de beato Benedicto, q dum adhuc clauſus erat in antro, tantam inflãmationem & concupiſcentiam carnis ſubito incidit ex cuiuſdam memoria mulieris, quòd pene decreuit redire ad ſeculum. In quarto quoq; libro Vitaſpatrũ narratur de quodam ſancto anachoreta, quòd dum ex compaſſione permiliſſet cellam ſuã intrare de ſero fœminam quandam, quæ ſe finxit errare & periclitari in eremo, mox cœpit diabolus cor ſancti illius ſagittis concupiſcentiæ vulnerare: qui intelligens opus eſſe diaboli, accẽdit lucernam & miſit digitos ſuos in flammam, ne igne concupiſcentiæ vinceretur, combuſſitq; omnes digitos ſuos, & præ ardore tentationis non ſenſit. quod illa conſpiciens, expirauit: & reſuſcitata à ſancto viro, de cætero ſalubriter vixit. Deniq; differentiam tentationis quæ eſt à diabolo, ab ea quæ eſt à carne quidam aſſignant, dicentes quòd tentationes

Tentationis quę à diabolo, & quę à carne fit, differentia.

tiones diaboli frequēter naſcūtur præter ra tionem, vt ꝙ ſatiatus paulopoſt ſuſtineat famem, vel homo manſuetus pro leui cauſa grauiter iraſcatur, aut poſt longū ſomnum quis ſomnolentiā patiatur. Tentationes vero quæ ſunt à carne, multoties oriuntur ex quadam neceſſitate, q̄uis interdū in ſuperfluitatem excreſcāt, vt dum poſt ieiuniū refectio immoderāter appetitur, & vltra menſuram congruā ſumitur. Amplius, ꝙ tēpore diuini officij ingerāt nobis dęmones immoderatas memorias rerū, experimur quotidie & ſancto cuidam patri fuit oſtenſum: q vidit in ſpiritu, qualiter dęmones in diuino officio varias rerū & operationū imagines voluebant ante oculos fratrum in orationibus poſitorum: quos poſtmodum ſeorſum examinans, inuenit vnumquenq; in ſuis orationibus ea inaniter cogitaſſe, quorū ſimilitudines ante oculos eius viderat à dæmone præſentari, ſicut in Vitaſpatrum plenius recitatur. Ex quibus omnibus innoteſcit, neminem quantūcunq; perfectum, debere de viribus ſuis præſumere aut putare, quòd grauibus ac prædominantibus tentationibus

bus impugnari non poſſet, ſi permitteret Deus. Inſuper caro tentat animam ſeu hominem per ſingulos ſenſus, & per appetitū concupiſcibilem ac iraſcibilem, mouendo ad obiecta ſenſibilia ac terrena, & ad paſſiones varias circa ea, ſicut prætactum eſt. Similiter mūdus, id eſt, homines carnales, ſeu res mundanæ, circa quas homo non debet affici, occupari, moueri, niſi ſecundum rectæ rationis iudicium, ac iuxta diuinæ legis tenorem.

Articulus VI. An omnis tentatio ſit peccatum.

VNuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatū fuerit, generat mortem. In his verbis tangitur proceſſus culpæ à minore ad maius, vt ſit ſenſus: Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua. i. inordinata cupiditate, quæ ſecundum Apoſtolū radix eſt omniū vitiorū. ſicq; cupiditas proprie ſumi videtur pro priuato & improbo

Iacobi. 1.

1. Tim. 6.

improbo ſui ipſius amore, quẽ Auguſtinus omniũ vitiorũ vocat originem & radicem. Abſtractus, id eſt, auerſus à ſummo bono ac veræ ſalutis itinere: & illectus, id eſt, ad peccandum attractus amore inordinato. Porrò cõcupiſcentia cùm cõceperit, id eſt, ad delectationẽ & pręſertim ad cõſenſum perduxerit, parit peccatum mortale in his quæ ſunt contra præceptũ: peccatum verò cùm fuerit conſummatum. i. ad opus perductum, generat mortem, quia meretur æternam damnationem, quæ eſt mors infernalis miſeriæ, de
Apoc. 21. qua in Apocalypſi aſſeritur: Pars iniquorũ erit in ſtagne ardenti igne & ſulphure, quæ eſt mors ſecunda. Peccatũ quoq; quod per pœnitentiam non deletur, prauam conſuetudinem obſtinationemq; parit. Circa quæ
Tentatio tribus agitur modis. verba loquitur Beda: Tribus modis tentatio agitur, vtputa ſuggeſtiõe hoſtis, delectatione humanæ fragilitatis, conſenſu cordis. Primo etẽm concupiſcẽtia oritur, per quam incipit homo abſtrahi à vero bono, imò à prima veritate & incõmutabili ſummaq; bonitate. deinde cõcupiſcentię cõiungitur delectatio quædam, per quam homo in malũ

illicitur

illicitur manens adhuc infra terminos ve-
nialis peccati. Cumq́ delectationi cõſenſus
deliberatus acceſſerit, eſt culpa mortalis.
Porrò ſi hoſte ſeu mundo ſuggerente atq;
tentante, nõ delectamur in re de qua tentat,
nec cõſentimus eidem, nõ peccamus in tali
tentatione, imò talis tentatio eſt nobis mate
ria exercẽdæ virtutis, atq; occaſio meriti ac
triumphi, nõ culpa, prout magiſter Senten
tiarum lib. 2. ex verbis Auguſtini declarat.
Itaq; iuxta doctores cõcorditer, tentatio ab
extra nobis proueniens, vtpote à diabolo
vel à mundo, non eſt peccatum in ſe nec im
putatur nobis ad culpam, q̃diu noſipſi non
cooperamur taliter nos tentanti, neq; tenta
tioni per delectationẽ vel conſenſum, ſed re
ſiſtendo ei meremur atq; proficimus, ſicut
ait Apoſtolus: Deus faciet cum tentatione 1. Cor. 10
prouentũ. Tentatio autẽ quæ eſt ab intra. i. à
carne & fomite ſeu ſenſualitate, eſt ſemp pec
catum quando procedit ex aliqua prçuia ap
prehenſione, imaginatione ſeu cogitatu, vt
plenius dictum eſt. quocirca penſanda ſunt
verba Bonauẽturç, qui ait: De ortu actualis
peccati tenendũ eſt, quòd actuale peccatũ origi

nem trahit à libera voluntate per ſuggeſtionem, delectationē & conſenſum. Si autē ſuggeſtio & delectatio ſiſtāt circa cōſenſum, eſt veniale peccatum: ſi vero ſequatur conſenſus aut opus in his quæ lege prohibentur diuina, mortale peccatum eſt, quòd ſi conſenſus eſt, ſine opere, hoc contingit dupliciter: Primo, quòd vult in opus procedere, ſed non valet, & tunc voluntas reputatur ſiue pro facto: ſecundo, quòd non vult in opus procedere, ſed voluptuari in delectatione ſeu cogitatione. & tunc quamuis peccatum non ſit plene conſummatum, eſt tamen inter mortalia computandum. Cum enim peccatum dicat receſſum voluntatis à deo, in quantum nata eſt moueri ac regi ab ipſo & ſecūdum ipſum & propter ipſum, omne peccatum eſt inordinatio mentis aut voluntatis, in qua eſſe poſſunt virtus & vitium. Porro inordinatio iſta aut tanta eſt, ꝙ ordinem iuſtitiæ exterminat, & ſic eſt mortale peccatum, quoniam aufert vitam gratiæ ſeparando à deo, à quo viuificatur per gratiā anima iuſta: aut eſt tam modica quòd ordinem iuſtitiæ non perimit, ſed in aliquo

turbat

turbat ſeu lædit, & ſic eſt veniale peccatum, quia de ipſo poſſumus veniam citò & facili ter adipiſci, quia per ipſum homo gratiam non amittit, nec inimicitiam dei incurrit. Eſt autem ordo iuſtitię, vt bonũ ſummum & incommutabile præferatur bono commutabili, bonum honeſtum vtili, voluntas dei voluntati humanæ, ſicq́ iudicium rectæ ratiõis præferatur ſenſualitati. & quoniã lex dei pręcipit ordinem iſtum & vetat oppoſitum, idcirco dum bonum commutabile præfertur diuino, & bonum vtile honeſto, & voluntas noſtra præfertur voluntati diuinę, aut ſenſitiuus appetitus rationi, cõmittitur peccatum mortale. Dum vero bonum commutabile & creatum plus debito diligitur, non tamen bono increato præfertur, nec vtilitas præponitur honeſtati, nec voluntas noſtra diuinæ, nec ſenſualitas rationi, tunc eſt veniale peccatum quoniam quamuis hoc ſit præter legem, non tamen directe eſt contra legem. ſenſualis autem appetitus rectæ rationi non pręfertur, niſi dum ei à ratione conſentitur. Idcirco mortale peccatum citra ratiõis conſenſum nequaq́ incurritur,

ſi tamē ſenſualitas moueatur ordinatè,cum ordinatio illa ad malū inclinet, quamuis nō conſentiat ratio,peccatū eſt aliquod,quoniā aliqualiter lædit iuſtitiæ ordinē. Veruntamē vt tactū eſt ſupra,& Thomas ſcribit,motus cōcupiſcibilis poteſt dupliciter ſurgere:primo ex organi qualitate, ſicut organo calefacto inſurgit motus libidinis abſq; imaginatione.& iſte motus eſt purè naturalis,nec rationē culpę ſortitur,& hoc facere poteſt diabolus & poteſtate ſuę naturę,qua poteſt corporalia tranſmutare,niſi diuina cohibeatur virtute. Secundo motus cōcupiſcibilis ſurgit ex apprehenſione alicuius rei delectabilis.& ex hac parte appetitus cōcupiſcibilis participat in homine aliquid libertatis, ſecūdum ꝙ obedire poteſt imperio ratiōis:ſicq; in concupiſcibili vi poteſt eſſe peccatū ſed motū hūc exterquere nō poteſt diabolus.

Motus cōcupiſcibilis dupliciter ſurgit.

Articulus VII. An tentatio ſit appetenda.

Iudith. 8.

OMnes qui deo placuerūt, per multas tribulationes tranſierunt fideles: qui autem tentationes non ſuſceperunt in timo

re dei & in patientia, exterminati ſunt. Certum eſt quòd tentatio, in quãtum à tentante ordinatur aut tendit in malũ culpæ & in nocumentum tentati, non ſit appetibilis: ſed in quantum ille qui tentatur poteſt tentatione vti in bonũ, atq; ex ea conſequi fructũ multiplicem, ſic appeti poteſt, præſertim ſecundum quod neceſſaria eſt ad ſalutem, eo modo quo ait apoſtolus Paulus: Non coronatur niſi quæ legitime certauerit. Vnde & Iacobus dixit Apoſtolus: Omne gaudiũ exiſtimate fratres cũ in varias tentationes incideritis. & iuxta hunc modum appeti poſſunt aduerſa, nõ in quantũ aduerſa atq; pœnalia, ſed inquantum purgamur per ea, & ex eis proficimus ac multa bona conſequimur, q̃r per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Inſuper, nullus debet tentationes appetere, pręſumẽdo de proprijs viribus, ſed conſiderata defectuoſitate & inſufficiẽtia ſua, confidẽdo in deo & innitendo eius gratioſo auxilio, ita quod deus tentationem ſic moderetur, taliterq; aſſiſtat tentato, quòd non vincatur. Hinc in Vitaſ patrũ de multis ſanctis narratur, qui in ten-

2. Tim. 2.
Iacob. 1.

tationibus conſtituti non petierunt nec cu-
pierunt liberari ab eis, ſed pro gratia reſiſten-
di, efficaciter orauerunt, quia ex tentationi-
bus ſenſerunt ſe in multis proficere, prout
infra diffuſius oſtendetur.

Articulus VIII. De tentatione multiplici.

2.Cor.11
VII. ſunt ſpecies tentationis.

Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto, Richardus de ſancto Victore, ponit ſeptē ſpecies ſeu potius modos tentationis:
1 quarū prima eſt importuna, qua homo tam aſſidue ac improbe impugnatur, vt eā à ſe amouere vix queat. Nam frequēter abiecta nō ceſſat reuerti, & omī pene hora hōiem inquietat, quatenus quē nec vi nec fraude ſubuertit, improbitate atq; frequentia inceſſante alliciat ad cōſenſum, quēadmodū gutta cauat lapidē nō vi, ſed ſæpe cadēdo, & tellus ab vnda paulatim cōſumitur, iuxta illud
Iob.14. beati Iob: Lapides excauāt aquę, & alluuiōe terra paulatim cōſumitur. Contra tentationē huiuſmodi neceſſe eſt indeſinenter infatigabiliter

biliterq́ pugnare, vt infra vbi de tentatio- num remedijs tractabitur, exponetur. Secū- II da ſpecies tētationis vocatur dubia, quoniā ambiguitatis obſcuritate animū ſic inuol- uit, vt nequeat clare diſcernere qd certi de- beat de re vnde tentatur ſentire: ſicq́ facit mentē diuerſimode fluctuare, & de eadē re nunc iſtud, nūc illud, opinari, ita vt illud He- liæ in libris Regum, mētibus ſic tētatis obij- ci poſſit: Vſquequo claudicatis in duas par- 3.Reg.18 tes? Et homo ſic fluctuās illud Iob dicere va- Iob.20. let: Idcirco cogitatiōes meę varię ſuccedūt ſibi, & mēs in diuerſa rapitur. Quocirca ſcri- ptum eſt in Eccleſiaſtico. Non vētiles te in Eccl.5. omnē ventū, eſto firmus in via dn̄i & in ve- ritate ſenſus tui. Hinc & Apoſtolus Ephe- Ephe.4. ſios hortatur: Non iam ſimus paruuli flu- ctuātes, nec circūferamur omi vēto doctri- næ. Tertio tētatio dicitur ſubita quę iudiciū III pręuenit ratiōis, intantū vt cor tētati præuē- tum impetu huiuſmodi belli, eius inſidias per conſiderationē nō queat anticipare, imò frequēter ſentiat ſe iaculo prauæ delectatio- nis trāſfigi, anteq̄ circūſpectionis ſuo ſcuto poſſit ſe ſuis viribus pręmunire, ita vt illud

Thre.4. Threnorum poſſit proferre: Velociores fue
runt perſecutores noſtri aquilis cœli. Sic ex
2.Reg.11. intuitu Berſabee ſubito trāſfixus eſt Dauid
huiuſmodi telo. Quarta vocatur occulta, q̃a
IIII per eam mens quadam caligine ita fuſcatur,
vt negligenter ſe habeat vbi ſolicita eſſe
debuerat, nec ea quæ ſibi proponuntur, de-
bita diligentia perſcrutetur, imò perniciosa
& noxia multa acceptet tanquam ſalubria:
& heu multa multoties per neglige̅tiam ta-
lem committimus mala atq; omittimus bo
na, quæ forſan toto te̅pore vitæ huius nun
quam rite dijudicamus, ſicq; male ſecuri ſu̅
Pſal.18. mus. Hoc ſanctus Dauid conſidera̅s, dixit:
Delicta quis intelligit? ab ocultis meis mun
2.Cor.4. da me. Vas quoq; electionis: Nihil, inquit,
mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtifica-
tus ſum. imò & magnus ille Iob qui fidu-
Iob.27. cialiter dixit, Neque reprehendit me cor
meu̅ in omni vita mea, profundius penſans
quanta habeat homo peccata occulta, quę
ipſummet latent, deprecatus eſt dominum:
Iob.13. Reſponde mihi quantas habeo iniquitates
& peccata, ſcelera mea & delicta oſte̅de mihi.
V. Quinta tentatio nuncupata eſt violēta, quę
adeo

adeo fortis eſt, tamq; acriter & acute impug
nat, vt videatur ſuperari vix poſſe aut ſuſti
neri, intantum vt & Apoſtolus fateatur, Su 2.Cor.1.
pra modũ grauati ſumus ſupra virtutẽ, ita
vt tęderet nos viuere. Vnde & ſanctus Iob
dixit: Quaſi erupto muro irruerunt in me. Iob.30.6.
& rurſus: Quæ eſt fortitudo mea vt ſuſti-
neam? & quis finis meus vt patiẽter agam?
In tali ergo conflictu oportet ad dominum
in fortitudine cum inſuperabili confidentia
exclamare ac dicere: Etiam ſi occiderit me, Iob.13.
in ipſo ſperabo. Sexta vocata eſt frauduletã, VI
quę animum vehemẽter obſcurat ac fallere
nititur, & quãdoq; in errore pertinaciter fi-
xit, dum mala ac peſſima ſub ſpecie bonorũ
& optimorum proponuntur & acceptantur.
ſicq; noxia defendũtur, & de damnabilibus
malis tanquam de vere ſalubribus mẽs læ-
tatur. Hinc Salomõ loquitur: ſunt viæ quæ Prou.4.
videntur homini bonæ, & nouiſſima earum 2.Cor.11
ducũt ad mortẽ. Nempe & ſatanas ſe tranſ-
figurat in angelum lucis. Quid horribi-
lius dici poteſt, quàm quòd inde damnatio
prouenit, vnde ſalus ſperabatur æterna?
Septima appellatnr perplexa, dum ſimul & VII.

tempore vno impugnatur homo vitijs multis, vt ſi vicerit vnum, vincatur ab alio: & ſæpe artifex tentator tam callide contra hominem prēliatur, vt vnde robuſtius vni peccato diſponit reſiſtere, inde grauius in aliud dilabatur, vt ſi quis ſimul de vitio gulæ & vana gloria impugnetur, quo fortius vicerit gulam, tanto plus impetetur per gloriam vanam. Deniq; prætactæ tentationes interdum impugnant hominem ſigillatim, interdum permixtim, & quædam earum ſimul: & iuxta hoc neceſſe eſt vel ſimul vel ſucceſſiue diuerſa virtutum arma contra ipſas aſſumere.

Poſſunt quoque his ſeptem tentationibus
Pſal.90. coaptari ea quæ leguntur in Pſalmo, quo dicitur: Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno &c. Ad primam nanq; tentationem quæ dicitur importuna,
Pſal.5. pertinet tanquam remedium ſcuto circundari, veritate dei, illuminatiōe ſpiritusſancti, vt importunæ, improbæ atq; aſſiduæ tentationi pro medela obijciatur veritas ſcripturarum,
Actu.14. dicentium quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare regnū cœlorū. & quòd
2.Tim.3. omnes qui volunt pie viuere in Chriſto, per

ſecutio

ſecutiones tentationesq́ patientur. Itemq́ʒ, Eſto fidelis vſq; ad mortẽ & dabo tibi coronam vitæ. Porro ſecunda tentatio quæ ambigua ſeu dubia appellatur, deſignatur quũ dicitur: Non timebis à timore nocturno: In caligine etenim noctis homines frequẽter verentur, putãtes ſe videre exercitũ hominum, cũ videant ſummitates monticulorũ aut arborum: ſic qui dubia tentatione vexatur ex defectu claritatis veræ cognitionis, frequenter timet vbi non eſt timendũ: & ſegnior fit ad bene agendũ, dum pro certo non nouit an illud quod facit, ſit om̃ipotenti acceptũ. Per ſagittã demũ volantẽ in die, intelligitur tentatio tertia quę dicitur ſubita, quæ inſtar ſagittæ emiſſæ ferit antequã prævideatur. Quarta quoq; tentatio quæ vocatur occulta, inſinuatur quum ſubditur, A negocio perambulante in tenebris. Quemadmodum enim tale negocium verſatur in tenebris noctis, ſic occulta tentatio in tenebris falſitatis At vero quarta tentatio quæ dicitur violenta, exprimitur quum in Pſalmo illo ſubiungitur, Ab incurſu. Quo nomine impetus violentiæ deſignatur. Sexta

Apoc. 2.

Pſal. 90.

Ibidem.

Ibidem.

vero tentatio quæ fraudulenta nominatur, tangitur dum ſequitur, A dæmonio meridiano, quia vt patuit, in hac tentatione frequenter mala ac peſſima ſub ſpecie bonorũ ac optimorum perſuadentur, & angelus tenebrarum in angelum lucis trãsfiguratur.
2.Cor.11 Et quoniã ſeptima tentationis ſpecies, quæ nominatur perplexa, plures in ſe tẽtationes complectitur & circa diuerſa vitia occupatur, recte ipſa intelligi datur quum ſubditur: Cadent à latere tuo mille & decem millia à
Pſal.90. dextris tuis. Præterea quædã ſunt tentationes de carnalibus vitijs, quædam vero de peccatis ſpiritualibus impugnantes & quædam de vitijs manifeſtis, quædam de vitijs palliatis ſpeciẽ quandã virtutũ habentibus nos impugnant. Sanctus autẽ Bernardus ſuper Cantica ponit quatuor genera tentationum, quorũ primũ eſt de inordinato timore, quo homines trepidant aggredi viã arctam ceu religionis ingreſſum ac corporis caſtigationem & contra peccata conflictum, non attendẽtes auxilia gratiarũ, magnitudinem præmiorum, conſolationem ſpiritusſancti, aſſiſtentiã angeli ſancti, & quam
dulce

dulce fiat cordi proficienti Chriſtoſeruire qui ait veriſſime: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Iugum enim meum ſuaue & onus meum leue. Hoc genus tẽtationis vocatur timor nocturnus. Secũdum appellatur ſagitta volans in die, id eſt, tentatio laudis humanæ & gloriæ vanæ, quæ leuiter volat, ſed nõ leue vulnus infligit. Tertium eſt negotium perambulans in tenebris, puta hypocriſis, quæ fingit & ſimulat quod non eſt. Idcirco in tenebris verſatur erroris, & ex ambitione ac deſiderio laudis humanæ ſeu proprij cõmodi appetitu ſolet procedere. Hæc hypocriſis maledicta non ſolũ virtutes beata remuneratione euacuat, ſed & in tenebras infernales hypocritam inſenſatum ac vilem præcipitat. Poſtremo, ei qui hæc tria tentationum vicerit genera, imminet quartum, ne ſub ſpecie boni fallatur, nec indiſcreto debilitetur feruore, nec immoderato zelo iudicet, aſpernetur aut arguat proximum, ſed vera compaſſione diſcretioniſꝗ; radio decoretur in omnibus, atꝗ; rationabile obſequium perſeueranter in finem ſuo offerat creatori.

Matt. 11.

Rom. 12.

Articu

Articulus IX. De magna & multiplici vtilitate tentationum.

Iacob. 1. OMne gaudiũ exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtrę patientiam operatur. patientia autẽ opus perfectũ habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Hæc eſt ſaluberrima prorſus monitio ſtrenuiſſimi pugnatoris, vt ex incidentia tentationum quantumlibet multarũ atq; magnarum, non ſolũ non contriſtemur nec puſillanimes aut diffidentes efficiamur, ſed potius gloriemur in domino, qui nos paternaliter viſitat & in pręſenti exercet, caſtigat, humiliat, purgat, informat, ne æternaliter pereamus. Oportet namq; in aduerſis gaudere, in quantum neceſſaria ſunt aut vtilia ad ſalutem. Præterea, quamuis iuxta præhabita, tentatio quæ eſt à carne & ex præuia imaginatione, ſit ad minus veniale peccatum, nec quantũ ad hoc ſit de ea gaudendũ, ſed contriſtandum, atq; pro eius plenaria extirpatione aſſidue laborandũ, tamen & ipſa eſt electis occaſio boni multiplicis, cum & omnia

coope-

cooperentur prædeſtinatis in bonum, qui Roma.8.
ex ſuorum conſideratione exceſſuum & culparum profundius ſeipſos humiliant, cautiores redduntur & deo frequenter cordialius regratiantur, atque in eius amore validius inardeſcunt: ſicq; vbi abundauit ini- Rom.5.
quitas, ſuperabundat & gratia, vt ait Apoſtolus. Tentatio autem quæ directe à deo infligitur, ordinatur ſemper ad profectum tentati ſicut aduerſitas: tentatio vero quæ à diabolo & à mundo infertur, quamuis in eo qui tentatur, rationem non habeat culpę quamdiu tentatus non cooperatur ei per delectationem, neq; per conſenſum aut executionem, eſt tamen tendens & inclinans ad malum culpæ, nec vtilis eſt in ſe, ſed ex adiutorio gratiæ dei & prudentia eius qui bene vtitur tali tentatione, eſt materia atq; occaſio vtilitatis multiplicis & copioſę fructuoſitatis. Verum reprobis & peruerſis omnia cooperantur in malum, qui de ſua correctione & tribulatione fiunt peiores, de quibus Ieremias dicit deo: Percuſſiſti eos & non doluerũt, attriuiſti eos & renuerũt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra

petram,

petram,& voluerunt reuerti. Itaq; loquendo de tentatione in generali, dicendum quòd tentatio primo vtilis eſt ad inſtruendum. Inducit enim tentatū ad ſuiipſius recognitionem, & docet eū qualiter debeat alijs qui tentantur conſulere: ſicq; efficit hominem in ſpirituali militia (hoc eſt, in pugna contra aciem vitiorum & dæmonū) eruditū expertum & promptū. Hinc cōmuniter dicitur, q̄ tentatio tentatū illuminat ſicut & tribulatio.
Iere.6. Vnde in Ieremia vbi noſtra habet translatio, Erudire Ieruſalem, Septuaginta interpretes tranſtulerunt, Per omnem dolorem & flagellum erudieris Ieruſalem. Quocirca ſcribit Hieronymus: Dum crebris anguſtijs ſubiacemus, huius verſiculi recordemur, quatenus p aduerſa redeamus ad cor,
Iſaiæ.28. iuxta quod loqtur Iſaias: Sola vexatio dabit
Iſaiæ.26. intellectum auditui. Et rurſus ad dominū: In tribulatione, inquit, murmuris doctrina
2.Mac.9. tua eis. Hinc ſecundo Machabæorum de Antiocho recitatur, quod grauiſſimis afflictus doloribus cœpit ad agnitionē ſui venire. In Eccleſiaſtico quoq; aſſeritur: Qui
Eccl.34. non eſt tentatus, quid ſcit? Qui non eſt expertus

pertus, pauca recognoſcit. Vir in multis expertus, cogitabit multa. & Salomon ait: Virga & correctio tribuit ſapientiam. Nempe vt teſtatur Gregorius: Oculos quos claudit culpa, aperit pœna. Secundo, tentatio hominem examinat, an creatori ſuo fidelis ſit atq; obediens, quemadmodum exterior pugna militis contra aduerſarios ſui regis demonſtrat an ſit regi ſuo fidelis. Niſi enim hoſti regis ſui reluctetur, infidelis ſuo domino reputatur. In cuius rei figura ſcriptũ eſt in Iudicum libro: Dimiſit dominus Chananęos, vt in eis experiretur Iſraelem, vtrum audirent mandata domini an non, & vt diſcerent poſteri eorum certare cum hoſtibus, haberentq; conſuetudinẽ prędiandi. Sic ergo oportet nos diſcere dimicare contra tẽtationes & tentatores iniquos, & ſic deuenire ad conſuetudinem ſacrorũ conflictuum, per quam in omni tentatione deo auxiliante faciliter prævaleamus, imò & delectabiliter cõtra hoſtes diuini honoris ac noſtræ ſalutis certemus, quemadmodum primo Machabæorum de ſtrenuiſſimo Iuda & fratribus eius narratur, quòd præliabantur prælia Iſrael cum lætitia. Iudi. 3.

tia. Nam & teſte Philoſopho, ſignum virtutis eſt delectatio fiens in opere. Itaque in tentationibus & aduerſis oſtendamus fidelitatem noſtram ad dominum deum noſtrum, qui modo iam tacto non ceſſat ſuos examinare electos, iuxta illud Sapientiæ: Tan-
Sap.3. quam aurum in fornace probauit electos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos. Amicitia quippe & fidelitas in aduerſis monſtran-
Eccl.6. tur: propterea ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico: Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum. Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in tempore tribu-
Matt.13. lationis. De tali homine ait Saluator: Hic eſt qui verbum dei audit & cum gaudio suſcipit illud, ſed non habet in ſe radicem. Facta enim tribulatione & perſecutione, continuo ſcandalizatur: ſic multi in proſperitate gratias agunt deo, ſed in aduerſis deficiunt, prout de vnoquoque tali fertur in Pſalmo:
Pſal.48. Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Tertio, tentatio tentatum humiliat, quia ex hoc quòd ipſum illuminat ad cognoſcendũ ſeipſum & propriam infirmitatem ſiue virtutem, facit eum aſpernari ac vilipendere ſe-

metipſum

metipſum, eo quòd ad reſiſtendum impedimentis ſuæ ſalutis, atq; ad abijciēda vana, fœda ac vilia tam tardus debiliſq; conſiſtat: & quia tam cito ac faciliter mouetur ad paſſiones & vitia, neq; in paruis ac minimis victor extiterit, cū amici dei in magnis ac maximis tentationibus fuerint tam conſtantes. Si autē præualuerit, admonet eum tentatio & eius victoria, vt deo regratietur humiliter, dicens: Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Psal.61. Hinc aſſerit Proſper: Ad magnam vtilitatem hominum reſeruata eſt & exurgit materia certaminum, vt non ſuperbiat ſanctitas dum pulſatur infirmitas. Vnde & beatiſſimum vas electionis de ſeipſo fatetur: Ne magnitudo 2.Cor.12 reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ. Gregorius quoq; diſſeruit: Pia diſpenſatione nobiſcum agitur, vt tentationibus impugnemur, ne virtutibus quibus proficimus extollamur. Itemq;: Dum vitia nos impugnant, virtutes in nobis proficiētes humiliāt. Hinc in Threnis faſſus eſt Ieremias: Ego vir vidēs Thre.3. paupertatē meā in virga indignationis tuæ.

Hęc ratione ſolent diſcreti ſpiritualeśq; viri ſubditos ſibi ſeu ſibi chariſſimos fortiter & frequēter increpare atq; aduerſitatibus exercere ne ex ſpiritali intumeſcāt profectu, ſed iugiter humiliēt ſemetipſos. Vnde recitat Caſſianus de quodam Paulo abbate, qui in præſentia quaſi innumerabilium patrum ac fratrum in ſuo refectorio comedentiū, vnū ex fratribus ſuis ſecū miniſtrantem edentibus, tam dire abſq; illius culpa percuſſit ad genā, quòd ſonus per totum refectorium audiebatur & ictui pallor ſeu liuor ſucceſſit: nec tamē vlla turbatio orta fuit in fratris mente, nec ſignum impatientiæ alicuius in facie. Quarto, tentatio purgat hominem à vitijs multis: fugat enim ſtultitiam, extirpat præſumptionem, iactantiam arrogantiamq; repellit, eo quod faciat hominē intueri ac noſcere ſemetipſum. Vnde ait Gregorius: Tentatiōis inquietudo interrogat an homo in quiete poſitus deum veraciter diligat. Etenim tentatus pondere preſſus, à vana ſuarum virium præſumptione compeſcitur, à iactantia cohibetur, ab elatione frenatur, dum propriā imbecillitatem, inſufficientiam, ac diuini ſubſidij indigētiam

experitur,

experitur, ſicq́ cum ſancto Iob proteſtatur: Iob.6.
Ecce non eſt auxilium mihi in me. Hinc ait Gregorius: Nemo ſibi innoteſcit niſi tentatus, nec vires ſuas quis in pace recognoſcit. Hinc refert Caſſianus de quodam eremita inexperto ac indiſcreto, qui fratrem quēdam tentatum ſua imperita reſponſione pene ad deſperationē induxit: quo cognito, ſanctus quidam anachoreta fratrem illum ſapienter conſolans, orauit deum vt tentationem fratris illius in ſenem illum conuerteret: quo facto, cœpit ſenex ille inſtar inſanientis diſcurrere: quem ſanctus ille accedens, ſciſcitabatur cur taliter agitaretur. Quod dum ille dicere verecundaretur, inſtruxit eum ſanctus ille ac increpauit: ſicq́ ſenex ille cœpit ſe vere cognoſcere & omnem præſumptionē abijcere. Quinto, tentatio facit hominē ad deū confugere, exclamare atq́ ſubſidium implorare: iuxta quod ſcriptum eſt: Et clamauerūt ad dominū cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Dum enim tentatus ex pōdere atq́ moleſtia ſuę tētatiōis propriam fragilitatem ac infirmitatem agnoſcit, cernit ſe viribus ſuis reſiſtere ac prævalere Pſal.106.

non poſſe: idcirco de viribus ſuis diffidens confugit ad deum, & ſperans in miſericordia ac ope ipſius inuocat eius ſubſidium, qui
Pſal.49. ait in Pſalmo: Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Ideo ſcri-
Iſaiæ.26. ptum eſt in Iſaia: Domine, in anguſtia requiſierunt te. Imò tentatio, pœna, afflictio & quæcunque aduerſitas facit hominem feſtinare ad deum & cito cõuerti, quemadmodum
Oſeæ.6. dominus ait in Oſea: In tribulatione ſua ma
Pſal.15. ne conſurgent ad me. & Pſalmiſta: Multiplicatæ ſunt inquit, infirmitates eorum, poſtea
Pſal.31. accelerauerunt. Itemque: Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Sexto tentatio facit hominem coram deo ſolicitum, ſicque negligentiam & torporem, diſſolutionem & periculoſam ſecuritatem expellit. Timor nanque periculi quod ſentitur, efficit diligentem & cuſtoditum: & qui impugnatur expugnari veretur: ideo qualiter reſiſtat ſolicitatur & quærit conſilium. Hinc ſu-
Pſal.25. per illud, Proba me domine & tenta me, aſſerit Gloſſa: Niſi tentaremur, negligentes eſſemus. Huic tentationi aſſcribitur, quòd hominẽ conſeruat in gratia & virtutes eius cu-

ſtodit. Septimo, ſpiritalem profectum producit. qui enim impugnari ſe ſentit, ad repugnandum accẽditur: ſicut & naturalia fortius agunt, dum à ſuis contrarijs eis reſiſtitur. Nam ignis flatu repreſſus, latius ſe diffundit, & aqua occurrente ſui curſus obſtáculo magis impellit. ſic homines boni ſentientes obſtacula ſuorum profectuum ac repugnacula deſideriorum ſuorum feruentium, validius inardeſcunt ad bona: quemadmodum glorioſus martyr Laurentius præſentatis ſibi omnium tormentorum generibus dixit: Has ego epulas ſemper deſideraui. Sanctiſſimus quoq; præſul Martinus, cũ tyrannus imputaret ignauiæ quòd noluit ſeculo militare, ſed Chriſto, reſpondit: Si hoc ignauię deputatur, ego in nómine Chriſti cuneos hoſtium inermis cras penetrabo. Sic & ſtrenuiſſimus præliator, magnus pater Antonius, à dæmonibus crudeliſſime flagellatus, & velut mortuus à loco quo fuit percuſſus ſublatus, fecit ſe illuc deferri, & dixit dæmonibus: Ecce hic ſum, non fugio veſtra certamina. Hinc loquitur Auguſtinus: vita noſtra in hac peregrinatione eſſe non valet

S. Laurentius.

S. Martinus.

ſine tentatione: quia profectus noſter per tentationẽ efficitur, nec ſibi quiſquã innoteſcit niſi tentatus: nec poteſt niſi qui vicerit, coronari: nec vincere poteſt niſi certauerit, nec certare niſi tentetur. Vnde & Leo Papa teſtatur: Nulla ſunt opera virtutum ſine experimentis tentationum, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Octauo, tẽtatio confert ſpem placendi deo. vnuſquiſqꝫ enĩ quo amplius diſplicet vita ſua diabolo, tanto acrius ſolet impugnari ab illo: idcirco quo grauius quis tentatur, tanto plus fiducia eius in domino augeatur. Vnde ait Gregorius: Aduerſarius noſter quãto plus rebellare ſibi nos conſpicit, tãto plus nos debellare contendit: illos autem impetere minus curat, quos quaſi hæreditario iure poſſidere ſe cernit. & rurſus plerunqꝫ contingit, quòd qui plus in cõtemplatione rapitur, tentationibus amplius impugnetur, quemadmodum quibuſdam digne proficiẽtibus frequenter accidere ſolet: quos dum compunctio afficit aut contemplatio ſupra ſe rapit, ſtatim tentatio ſequitur, ne de ſuo profectu aut contemplationis altitudine extollantur.

2. Tim 2. Leo Papa.

Recte

Recte ergo dixit Apoſtolus: Virtus in infirmitate perficitur.& Auguſtino teſtante,grauiſſima tẽtatio eſt nulla tẽtatione pulſari.Nono,tentatio tentationem expellit, dum vna aliam eijcit:ſicut tentatus de vana gloria,tentationem ſuperat gulæ: & quidã ſtimulo carnis grauiter impugnatus,à confratribus ſuis de induſtria multipliciter iniuſiatus,ſtimulũ carnis oblitus fuit. Decimo, per tentationẽ Chriſto aſſimilamur,qui propter nos à mundo atq; diabolo multipliciter fuit tentatus. Vndecimo, per tentationem fit homo proximis exemplaris,qui eius exemplo ad patientiam ac reſiſtentiã contra tentamẽta animantur, vt patet de ſancto Iob. vnde de Tobia habetur:Hanc tentationẽ permiſit dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplũ patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob. Duodecimo, per tentationem,conſolationem & tranquillitatem meremur, prout in Tobia dicitur deo: Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt fletum exultationẽ infundis. Merito igitur dixit apoſtolus Iacobus:Beatus vir qui ſuffert tentationem. Deus nanq; pugnantibus pro ſe gratioſe aſſiſtit. Tertiodecimo, tẽtatio

2.Cor.12 · Matt.4. · Iob.2. · Tob.2. · Tob.3. · Iacob.1.

facit hominem etiam in hoc mundo famoſum & glorioſum, ita q alij innitūtur ei vt ſu
Apoc.3. ſtentamento. Hinc in Apocalypſi dominus loquitur: Qui vicerit faciam illum columnam in templo meo. & ſancto Antonio dixit ſaluator: Quia viriliter dimicaſti, in toto orbe te faciam nominari. Quartodecimo, tentatio facit hominē cunctis dæmonibus triūphantē, Hinc beatiſſimi anachoretæ: Macharius, Moſes, Paſtor & eis conſimiles, nō plus timuerunt dæmones q̃ muſcas. cum enim magnus ille Macharius nocte quadā in templo dormiens, idolorū caluariam quandam ſuo capiti ſuppoſuiſſet, diabolus cernēs eius fiduciam, ex caluaria illa cœpit alteri dæmoni reſpōdere, Porro, Macharius nil penitus metuens, caluariam capite ſuo tundebat, dicens diabolo: Fac ſi aliquid potes. Quintodecimo, tentatio coronationē acquirit. Cum
Iacobi.1. enim dixiſſet apoſtolus Iacobus, Beatus vir qui ſuffert tentationē, adiecit: Quoniā cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, imò toties coronari meremur, quoties tentationi præualemus, ſicut in Vitaſpatrū deſcribitur de ſancto quodā eremita q in viſiōe noctis

vidit

vidit ſeptẽ coronas ſup diſcipuli ſui caput deſcẽdere, q̃m ſeptẽ vicibꝰ diſcipulus ille no cte illa reſtiterat cogitatiõibus ſuis & patiẽtiã habuit. Sunt autẽ & alij multi ſalubres effe ctus ex tẽtationibus prouenĩẽtes: quod cum ita ſit, nõ recuſemus tẽtari, ſed vitemus tenta tionibus ſuperari, id eſt, in tentationẽ induci. Hæc etem dicta ſunt, vt ad perferendũ atq; vincendũ tẽtatiões animemur & accẽdamur.

Arti. X. De quibuſdã occultiſſimis & cal lidiſſimis tentationibus atq; inſidijs inimici.

ABſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitã. Sicut ſan ctus ait Gregorius, pedica in terra abſcondi tur, dum culpa ſub terrenis commodis oc cultatur. Hoſtis quippe inſidians oſtendit menti humanæ in terreno lucro quod appe tit, & occultat peccati laqueũ vt hominis ani mum ſtringat, quatenus videat quod concu piſcat, nec tamen conſideret in quo culpæ la queo pedem ponat. Porro, decipula à decipiẽ do vocata eſt. & tũc ab antiquo hoſte ſupſe mitã decipula ponitur, quãdo in actiõe huius mundi voluptas fallẽs paratur. Sunt autem Iob. 18.

innume

Multæ in ſidię dæmonum. innumerabiles fallaciæ, occultiſſimæ quoq; inſidiæ dæmonum. Prima eſt, hominem diu-
I. turna & aſſidua tentatione fatigare ac tædio quodā obruere, quatenus paulatim ducatur non ſolū in tentationē, ſed etiā in deſperatio nem aut diffidentiā, ita vt putet ſe nō pertinere ad deū, nec curari ab eo, quē toties inuocat ſe vt à tali tētatione dignetur eripere, nec tamē exauditur ad votū: ſicq; ſuſpicatur deum de ſuo non curare periculo, vel adiutorio omnipotentis diffidit, quorū vtrunq; perniciosiſſimum eſt. Iſti non penſant fidelitatem ac prouidentiam dei ad homines, nec vtilitates quę eis ex diuturna tētatione pro ueniunt, qua indigent vt eorum ſuperbia pe
II. nitus eradicetur. Secūda verſutia diaboli eſt ipſa extraneitas tentationis, dum quoſdā electos inconſuetis, fœdis & abominabilibus tentamentis impugnat, vt tāto plus arbitrentur ſe à deo relictos, quanto plus opinantur alios ita non fuiſſe tentatos, vt ſunt tentationes blaſphemiæ & cōtra fidem, & de iniectione manus violentæ in ſeipſum, atq; de vitijs ignominiæ contra naturam. Iſti non aduertunt quod viſibiles hoſtes ex ſua malignitate fre-

te frequenter proijciũt in caſtra obſeſſa quaſ-
dam materias fœtidiſſimas, impuriſſimas ac
penitus venenatas: ſic inuiſibiles inimici ex
inuidentia ſua immittunt cordibus aliquorũ
cogitationes prorſus abominabiles, inſoli-
tas & nefandas: & omnibus quibus poſſunt
ac permittũt vt modis, ipſos impugnãt. Illi
tamen inde non maculantur, quamdiu talia
deteſtantur nec delectantur in eis. imò tan-
to glorioſius coronari merentur, quãto mo-
leſtiora ac abominabiliora ſunt illa ad tole-
randum. Tertia dęmonũ aſtutia eſt, qua hoc III.
ſolum intendunt, vt hominẽ trahant ad mu
tandum ſtatũ ſeu locum ſuũ in quo ſe bene
habet, vt intret locũ aſſumatq́; ſtatũ in quo
capi poſſit ab ipſis, quemadmodum piſces
atq́; cuniculi ſtrepitu quodam terrentur, vt
egrediantur receptacula ſua in quibus à cap
tione ſecuri ſunt, & ſic cadant in retia. Hinc
in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: Si ſpiritus haben Eccl.10.
tis poteſtatem aſcenderit ſuper te, tu locum
tuum nõ deſeras. & Paulus: Non deſeramus, Heb.10.
inquit, collectionem noſtram ſicut conſuetu
dinis eſt quibuſdam. Veruntamen bonũ eſt 1.Cor.12
chariſmata meliora ſectari & pericloſa vita-
re

IIII. re conſortia. Quarta aſtutia eius eſt,qua conatur quoſdam per ſanctorū exēpla incitare ad inchoandū aliqua magna bona, in qbus conijcit eos nō perſeueraturos, aut inquiete & ſcandaloſe victuros,vt dum inconſtantes, inquietos indiſciplinabiles inducit ad religionis ingreſſum,vt inde apoſtatādo plurimos ſcandalizent & grauius peccent, aut perſeuerando in religione multos inquietent ac turbent.Per talem calliditatem ſimię capiuntur, dum venatores in earū pręſentia ſe calceant calceis magnis & ponderoſis, eosq́ fortiter pedibus ſuis aſtringunt. quo facto, exuunt eos ac ibi relinquunt, & abeunt. tunc venientes ſimiæ ſimiliter induunt & aſtringūt pedibns ſuis calceos illos.quo viſo, venatores irruunt ſuper eas, fugere, imò nec pro-
V. gredi valentes, & capiunt eas. Quinta verſutia eſt, dum ſub ſpecie boni ſuadent periculum, quemadmodum quoſdam inducit ad immoderatam diuitiarū adeptionē, vt opera miſericordiæ magis exerceāt. interim vero inficit eos cupiditatis affectu,varijsq́ peccatis,quæ diuitijs & earum acquiſitioni anne-
VI. xa ſunt. Sexta, dum ſub colore & prætextu

virtutum

virtutū vitia perſuadet, vt crudelitatē ſub ſpecie æquitatis, ſolicitudinēq; ſuperfluā ſub colore prudentię, ac nimiā remiſſionē ſub pietatis prætextu. Septima & periculoſiſſima verſutia eſt, ceſſatio ab omni tentatione, quā ceſſationem aliqui cupiunt imperiti, à quorum impugnatione deſiſtit, vt eos ad periculoſam inducat ſecuritatem, per quam timor dei amittitur: deinde ex tali ſecuritate naſcūtur negligentia atq; acedia: elatio quoq;, ſi ſe putant ſanctos quoniam non tentantur: deinde contemptus & dijudicatio fratrum, præſertim eorum qui impugnantur, & de miſericordia circa eos. VII.

Articulus XI. De his quæ debent nos animare & accendere ad reſiſtendum viriliter omni tentationi.

IN duit ſe Iudas loricā ſicut gigas, & accinxit ſe arma ſua bellica, in prelijs ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis. 1.Mach.8 Videmus q̄ milites in pręſentia regis ſui fortiſſime pugnant, pugiles quoq; tāto robuſtius pręualere conantur, quanto à pluribus dimicare conſpiciuntur. Primum ergo, quod inflammare

nos debet ad reluctandum ſtrenuiſſime omni tentationi, eſt præſentia atque aſpectus regis omnipotentis, qui cum vniuerſa cœleſti militia noſtrum intuetur certamen. Tanti ergo regis intuitu & amore, & propter totius ſupernæ curiæ intuitionem, & ſpecialiter propter angelos ſanctos animarum noſtrarum cuſtodes, accendamur ad ſanctā ſpiritualem militiam inuictiſſime exequendam, ne aduerſarijs noſtræ ſalutis cedamus aut occumbamus. Hinc ait Ambroſius: Deus ipſe omnium rector ac dominus, cum omni angelorum militia certamē tuū inſpicit & expectat, ac finem præſtolatur conflictus, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. Sic & de beato Antonio Athanaſius ſanctus refert: Dum quadam fuiſſet nocte à dæmonibus crudeliter laceratus, repēte deſcendit lux grandis, tenebras fugans ac dæmones: moxque curatus & Chriſtū aduenisse intelligens dixit: Vbi eras bone Ieſu, vbi eras? quare à principio non affuiſti vt ſanares vulnera mea? Cui ſaluator reſpondit: Antoni, hic eram, ſed expectabam videre certamen tuū, Denique de hac re Gulielmus Pariſienſis

Exemplū diui Antonij ex Athanaſio.

Gulielmus Pariſienſis.

riſienſis in ſumma ſua de virtutibus & vitijs, ſcribit: Ad expugnandum tentationes incitare nos debet magnitudo ſpectaculi, in quo poſiti ſumus certantes. quemadmodum de duobus contra alterutrum dimicantibus patet, quorũ vtriq; aſtat tota ſua cognatio, orãs pro ſuo vt vincat: ſic tota cœleſtis curia pro nobis certantibus ſolicita eſt & orat pro nobis, ac inſpicit nos: totaq; horrenda ſocietas tentantium dęmonum intuetur, ac nititur vt vincamur. O quàm glorioſum eſt, in tot ſanctorum præſentia præualere. Secundũ quod
II. debet nos animare ad iſtum conflictum, eſt fidelitas quam creatori ac regi noſtro tenemur, atq; eidem contra hoſtes ſuos oſtendere obligamur, ad hoc vt eius honorẽ ac gloriam totis viribus defendamus, nec aduerſarijs eius præbeamus conſenſum, nec ſimul cum illis cõtra ipſius honorem pugnemus: neq; nosipſos quos ſibi conſecrauit in templa, & quos poſſidet tanquam viua atq; digniſſima caſtra, permittamus à ſuis aduerſarijs ſuperari, dicente Apoſtolo: Templũ dei ſanctum eſt quod eſtis vos. & rurſus: Si quis templum dei violauerit, diſperdet illũ deus. 1. Cor. 3. Eodem.

Hinc ſanctus ait Hilarius: Hoc potiſſimũ debeo deo, vt eum omnis ſenſus, mens & virtus mea loquantur ac venerentur, quatenus ſicut totum quod ſum & habeo ab eo ſuſcepi, ſic totum ad eius honorem & obſequium conuertatur. Itaq;, ſicut miles cui rex ſuus dedit arma, equum ac ſtipendium, quatenus pro repub. contra ſuos hoſtes prælietur, eſſet ſuo regi infideliſſimus & totus ingratus, ſi aduerſarijs eius ſociaretur & conſentiret ac cooperaretur ad impugnandum ea quæ ſui ſunt regis: ſic totus infidelis & ingratiſſimus deo eſt, qui dæmonibus vitijsq; conſentit, & corpore ſuo ac anima & viribus ſuis ac rebus conceſſis vtitur ad creatoris iniuriam & offenſam iuxta diabolicam ſuggeſtionem, & violat ac corrumpit templa & caſtra dei, alias perſonas ad vitia inducẽdo.
Roma. 6. Idcirco Romanos hortatur apoſtolus: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis cõcupiſcentijs eius: ſed neq; exhibeatis mẽbra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ deo.
III. Tertio quod ad pugnam ſanctam inflammare nos debet, eſt quòd ipſemet deus omnipotẽs ad repugnandum

dum tentationibus & peccatis nos inuitat & exhortatur per inſtinctus diuinos, per angelos ſanctos, per ſcripturas & per ſuos vicarios ac miniſtros, imò quòd inſuper aſſiſtentiam ſuã & opem nobis promittit, dummodo ipſum fiducialiter ac inceſſabiliter inuocemus. Impleat igitur vnuſquiſq; quod deus per Pſalmiſtam hortatur: Expecta dominum, viriliter age & confortetur cor tuũ, & ſuſtine dominum. Quartum eſt nobilitas brauij ac triumphi, pretioſitasq; coronæ, quas rex cœlorum præualentibus pollicetur: quas ſi rite attenderemus, vſque ad ſanguinem tentationibus & peccatis reſiſteremus: & omne gaudiũ exiſtimaremus, diuerſas tentationes incidere, cum dicat Apoſtolus: Id quod in pręſenti eſt mométaneũ & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis. & item: Non ſunt condignæ paſſiones huius tẽporis ad futurã gloriã. Ecce qualiter currunt & laborant, qui pro modico terrenoq; brauio currũt aut certant, quod tamen vnus dũtaxat ſortitur. Cur ergo tam tardi ſumus & negligentes ad currendum

Pſal.2.6

IIII.

Iaco.1.

2.Cor.4.

Roma.8.

in via mandatorum altiſſimi, pro brauio felicitatis æternæ, quod non ſolum velociori curſori, ſed vnicuiq; perſeueranter pro ſuo poſſe currenti promittitur. Vnde dixit Apo-
1.Cor.9. ſtolus: Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt apprehendatis.
V. Quintum eſt magnitudo confuſionis acerbitasq́; pœnarum, vilitas delectionis ac ſeruitutis eorum, qui tentationibus ſuperãtur & vitijs obſequuntur, quibus debetur ac imminet æterna damnatio, ſumma cõfuſio: qui & nunc iugo peccati, ſeruituti diaboli, corruptioni fœditatiq́; carnis ſubduntur, & omni bruto decies millies viliores ac deteriores cenſentur, nec digni ſunt pane quo veſcũtur, nec aëre quem reſpirant, nec terra quam calcant. Hinc ſacratiſſimus Apoſtolici ordinis
2.Pet.2. princeps in ſua II. teſtatur Canonica: Iniqui ſunt ſerui corruptionis. A quo enim quis ſu
Roma.6. peratus eſt, huius & ſeruus eſt. Vas quoq; electionis: Serui, inquit, eſtis eius cui obedi-
VI. ſtis. Sextum eſt copioſitas exemplorũ. Omnes etenim ſancti qui ſimiles nobis fuerunt mortales, & viriliter pugnauerũt contra aciẽ
vitio

vitiorum ac dæmonum, proponuntur nobis in exemplum: & turpe ac valde damnabile nobis eſt in illo ſuccumbere bello, in quo tot virgines ac puellæ tenerrimæ, tot adoleſcentes ac iuuenes, multi quoq; vtriuſq; ſexus ſenes præualuerunt, imò turpiſſimũ nobis eſt, quòd in paruis & minimis ſuperamur atq; in pace ſuccũbimus, cum tot ſanctę puellæ tam immaniſſima tyrãnorũ ſupplicia, tam acerrimas mũdi ac dæmonũ tẽtationes glorioſiſſime vicerint. ideo recte ait Gregorius: Quid inter hæc nos barbati dicemus, qui puellas per ferra & martyria ire ad regna cœlorũ videmus? quos elatio inflat, iracundia ſuperat, impatientia deijcit, auaritia vincit. Hinc ad Hebræos ſcribit Apoſtolus: Ideo & nos, tantam habentes impoſitam nobis teſtium nubem, per patientiam curramus propoſitum nobis certamẽ. Iacobus quoq; Exemplum, inquit, accipite longanimitatis & patientiæ prophetas, qui locuti ſunt in nomine domini. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem domini vidiſtis. Septimũ eſt exemplaris præceſſio Chriſti: valde enim confortantur & animantur pugnatores ac milites ad bellãdum,

Gregorius. Heb. 12. Iaco. 5. VII.

dum vident regem ſuum in acie ipſos præcedere, formamq́ præliandi opere ſtrenue demonſtrare: ita & nos agnoſcentes quàm victorioſe ac ſapienter Chriſtus rex noſter omnem tentationem diaboli, omnem perſecutionem mundi & amariſſimam pro noſtra ſalute pertulerit mortem, debemus ad ſpiritalia prælia ſemper eſſe parati ac feruidi: & ſi deus ac conditor noſter tanta pro nobis fecit ac pertulit, nequaquam debemus ſalutem noſtram negligere, nec ad reſiſtendum tentatiõibus ac peccatis tardi ac deſides eſſe.
Hebr.12. Hinc quum dixiſſet Apoſtolus: Per patientiam curramus nobis propoſitũ certamen. mox addidit: Aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt nõ fatigemini animis veſtris deficientes. Vnde & ipſemet dominus loquitur: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. &
Ioan.12. Ioan.14. item: Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me.

Articu

Articulus XII. De abuſionibus & imperitijs quæ in ſpiritali pugna contingūt.

ACcipite armaturā dei, vt poſſitis reſiſtere in die mala, & in oībus pfecti ſtare. Non ſolū Vegetius in libro de Re militari, ſed etiā ſanctus Thomas in libro ſuo de Regimine regum, Aegidius quoq; in volumine ſuo de Regimine principum docent, quàm neceſſaria ſit in exteriori corporaliq; bello, bona & ordinata diſpoſitio pugnatorum, & apta armatura eorum atq; peritia belli, imo (vt ſcriptū eſt) Melior eſt ſatientia q̄ vires, & vir prudēs q̄ fortis. Idcirco vt Salomon proteſtatur: Conſilijs tractanda ſunt bella & cum diſpoſitione bellū initur, quod vtiq; in ſpiritali militia cōtra vniuerſa mūdi & carnis ac dæmonū tentamēta eſt maxime obſeruandū, & tāto plus, quāto periculoſius ac damnabilius eſt in ſpiritali prælio ſuperari. Ephe.6. Sap.6. Prou.24.

Itaq; ſicut in bello corporali prima ſtultitia eſt, inepta diſpoſitio exercitus & nimia diſtantia pugnatorum abinuicem: ita in prælio ſpiritali prima fatuitas eſt inordinatio mentis & eius turbatio, & proximorum ſeparatio Primā in corporali bello ſtultitia.

per rancorem:quocirca hortatur apoſtolus:
1.Cor.14. Omnia decenter & ſecūdum ordinem fiant
Gal.5. in vobis. Itemq́;, Per charitatem ſeruite in
1.Cor.10 inuicem. & rurſus: Non quæ ſua ſunt ſingu-
li quærentes,ſed quæ aliorū, Prȩliantes ergo
aduerſus diabolum & peccata, ſint per chari
tatem connexi ac mutuo ſe iuuantes, orādo,
hortando,corripiēdo exemplariterq́; viuen-
Ioan.17. do. Hinc ait vnigenitus dei: Pater quos de-
diſti mihi, volo vt ſint vnum, id eſt,per cha
11 ritatē vniti. Secunda in corporali bello ſtul-
titia eſt, diſſentio exercitus à principe mili-
tiæ, & vnius partis aduerſus aliam: ſic in pu
gna ſpiritali periculoſiſſima atq; præcipua
ſtultitia Chriſtianorum eſt rebellio ſubdito-
rum cōtra prȩlatos, atq; diſcordia mutua pro
1.Cor.1. ximorum. hinc monet Apoſtolus: Idipſum
dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſma
Roma.15 ta. & denuo: Vnanimes, ait, vno ore honori-
Hebr.13. ficetis deum. Itemq́;: Obedite præpoſitis
Marc.9. veſtris & ſubiacete illis. Hinc iuſſit ſaluator:
Pacem habete inter vos. Hinc quoq; ſolitu-
do eſt periculoſa, niſi valde ſpecialis affuerit
Eccl.4. gratia. Propter quod in Eccleſiaſte ait ſcri-
ptura: Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet

ſubleuan

ſubleuantem: & ſi quiſpiam præualuerit con tra vnum, duo reſiſtent ei. Vnde & in Prouerbijs habetur: Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Prou.18. Tertia in corporali bello ſtultitia eſt, inarmatum & imparatum ad bella procedere, nec ante pugnam armari: ſic in ſpiritali pugna fatuitas eſt, non vere armatum virtutibus ac peritia reſiſtendi anteq̃ tentationes proueniunt, imò non eſſe indeſinenter omni virtute munitũ, cùm tota hæc vita ſit tentationibus plena, & in medio laqueorum ac hoſtium ambulemus. III. Hinc Chriſtus dixit diſcipulis: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationẽ, & rurſus: Sint lumbi veſtri præcincti, &c. Matth.26 Mar.14. Luc.12. Ideo iuxta ſcripturam in die bonorũ & pacis memores ſimus malorum & tentationis, ad ea nos præparando, Eccl.11. Eccl.2. quemadmodum in Eccleſiaſtico inducitur: Fili accedens ad ſeruitutem dei ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quarta in corporali bello ſtultitia eſt, viam IIII hoſtibus aperire, & eis confœderari ad deſtruendũ ſeipſum ac ſuos: ſic in ſpiritali pugna ſtultiſſimum eſt tentationibus conſentire ac ſponte tranſire ad lacũ iniquitatis foueãq;

perditionis, in quas tentator præcipitare co
Ephe.4. naturtentatum. Ideo monet Apoſtolus: No
Iaco.4. lite locum dare diabolo. & Iacobus ſanctus:
Reſiſtite, inquit, diabolo, & fugiet à vobis.
V. Quinta corporaliter pugnantium inſipien
tia eſt, hoſtibus laborioſe reluctari, quos poſ-
ſent ſine bello ſibi ſubijcere: ſic ſtulti ſunt, qui
tentationes & vitia poſſunt ſilendo & quie-
ſcendo proſternere, contra eos grauem aſſu-
munt conflictum: nempe iniurias & cõuitia:
quas poſſent taciturnitate ac patientia ſupe-
rare, volũt mala ſimilia rependendo vlciſci.
Ideo Salomõ dixit: Ne dicas, reddam malũ
Prouer.20 pro malo: expecta dominum & liberabit te.
1Theſſa.5 Apoſtolus quoq; Nulli malũ pro malo red
VI dentes. Sexta in corporali pugna ſtultitia eſt,
non repugnare per contraria ſaltem in caſu,
vt ſi caſtra incendãtur nõ apponere aquam:
ſic in ſpiritali militia ſtolidum eſt, per ſimilia
non per contraria reluctari: ſicut agunt, qui
per odium & loquacitatem odio & loquacita
ti reſiſtunt, cum potius per charitatem & mo
deratam loquelã aut taciturnitatẽ repugna-
Roma.12 re deberent, quemadmodũ ſcriptum eſt: No
li vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Salua

Saluator quoq; præcepit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Atq; Pſalmiſta, Poſui, inquit, ori meo cuſtodiam, cum cõſiſteret peccator aduerſum me. Vnde in Eccleſiaſtico. ſcriptum eſt: Non liti ges cum homine linguato, nec cum iracũdo facias rixam. Septima ſtultitia eſt, ſumere arma nimiũ põderoſa: propter quod Dauid depoſuit arma Saul: ſic ſpiritaliter ſtolidũ eſt, exercitia proprias vires omnino excedentia contra tentationes ar ripere, vt faciunt qui vltra quàm ferre queunt incipiunt vigilare, ieiunare, orare, ſicq; in breui ita debilitantur, quòd paulopoſt inutiles fiunt, hoc aliqui agunt, quaſi putantes quòd meritis ſuis ac viribus poſſint præualere diabolo, quibus conſultius eſt, vt corpora ſua moderate affligant, & totam ſuam ſpem ponant in domino, eius ſubſidia ſemper humiliter implorantes, ac illud Apoſtoli, rationabile obſequium veſtrum, implentes. Octaua ſtultitia eſt, in ipſo congreſſu abijcere arma: ſic ſpiritaliter ſtulti ſunt, qui tentatione inchoante aut perdurante virtutum abijciunt armaturam, patientiæ clypeum, cordis conſtantiam

Matt. 5. Pſal. 38. Eccl. 8. VII. 1. Reg. 17 Rom. 12. VIII.

tiam dei timorem, quocirca hortatur Apoſto lus: Stabiles eſtote & immobiles, abundan

IX tes in opere domini ſemper. Nona ſtultitia eſt, non reſiſtere inimicis in locis ad hoc ap tioribus, vt ſunt loca anguſta & alta, vbi pauci multis poſſunt reſiſtere: ſed in locis pa tentibus vbi faciliter hoſtes ingrediũtur: ſic ſtulti ſunt qui tẽtationibus non reſiſtũt, ſtan do in ſublimitate ſapientiæ ac virtutum, atq; in arcta via ſalutis, ſed in actibus valde re miſſis & laxis, in quibus multa mala admix ta ſunt, & dæmonibus patet acceſſus ad ani

X. mam poſſidendam. Decima ſtultitia eſt, non expugnare hoſtes adhuc impotentes ac de biles, ſed expectare quouſq; inualeſcant: ſic ſtultũ eſt non reluctari tentationi in eius prin

Gene.3. cipio, cum dictum ſit ſerpenti tentanti: Ipſa, ſcilicet ratio, cõteret caput tuum: quia princi

XI. pio mali ſtatim eſt reſiſtendũ. Vndecima in ſipientia eſt hoſti nimis appropinquare, cum à remoto facilius expugnetur: ſic inſipiẽtes ſunt qui contra tentationes voluptatum vo lunt reniti, cogitationes atq; materias earun dem nimis intra ſe reuoluendo, cum melius

XII. ſuperentur ſe à talibus elongando. Duode

cima

cima eſt, fugere hoſtem, qui magis inſequitur fugientem: ſic ſtolidum eſt cedere tentatori & eius iacula in aduerſis nimis timere, cũ tamen ad ſuſtinendũ aduerſa debeamus eſſe parati. Tertiadecima inſipiẽtia eſt, proprium inimicum contra ſe confortare, & eum reputare amicum, & ea quæ vere expediunt reputare nociua: ſic fatuum eſt proprium corpus delicate nutrire, atq; ad concupiſcentias incitare, & ea quæ propriæ carni ac proprio ſenſui propriæ quoq; voluntati repugnant, vt ſunt caſtigationes corporis, reprobationes proprij ſenſus ac repreſſiones propriæ volũtatis, odire, cum tamen omnino ſalubria ſint. Idcirco qui talia vitant, contra ſuos pugnãt amicos. Quartadecima ſtultitia eſt, ibi ſibi minus de armatura prouidere, vbi maiora inſtant pericula: ſic inſipientes ſunt, qui contra ea vitia minus ſe muniunt, ad quæ ex naturali diſpoſitiõe aut praua cõſuetudine promiores exiſtunt, imò ſuæ vitioſitatis materiã ſibi accumulant, ſicut auari deberent ſe ad opera miſericordię liberaliter dare, qui tamẽ non ceſſant ſibi tẽporalia congregare: ſic iracundi ad manſuetudinem magis debent ſe exer

XIII. (margin, beside "parati. Tertiadecima")
XIIII. (margin, beside "amicos. Quartadecima")

exercere. Itaq; vt in ſpiritali proficiamus militia, vniuerſas has fugiamus ſtultitias.

Articulus XIII. De generalibus tentationum remedijs & de primo illorum.

4.Reg.6. NE timeas, plures em̄ nobiſcū ſunt, q̄ cum eis. Sciens creator pijſſimus defectuoſitatem & fragilitatem naturæ humanę, nequaq̄ permitteret homines ab inuiſibilibus hoſtibus impugnari, niſi copioſa remedia ac gratioſa auxilia prouidiſſet & contuliſſet hominibus ad reſiſtendum & præualendum atrociſſimis & callidiſſimis, fortiſſimis & quaſi infatigabilibus aduerſarijs illis. Remedia tentationum duplicia. Horum remediorum quædam ſunt generalia ad omnium tentationum ac vitiorum victoriam obtinendam idonea: quædam vero ſpecialia ſunt ad ſpecialium vitiorū atq; tentationum eradicationem pręſertim valentia. Nunc itaq; de cōmunibus illis remedijs eſt tractandum, quorum primū & valde efficax ad reſiſtendum inflammans eſt diligenter conſiderare quales ſint hoſtes noſtri, & quæ ſit eorum intentio, & quis finis. Primo itaq; perpēdamus, q̄ dæmones nos tētantes ſunt

omnino malitioſi, inuidioſiſſimi, crudeliſſimi implacabiles, callidiſſimi, & ex ſua natura valde robuſti ac infatigabiles ad nocēdum, quorum tota intentio eſt, vt ſuis impugnationibus à deo creatore noſtro & à charitate & gratia eius atq; ab ęterna ſalute nos in ęternum auertant ac ſecum omni vitiorū ſpurcitia inquinent, ſicq; ad perpetuam nos perducant damnationem. Ex hac conſideratione incitemur ac roboremur, proponamus ac decernamus nunquam conſentire ſuggeſtioni illorum, ſed inceſſabiliter illis reſiſtere, & tanto plus, quanto certius ſumus quales ſint, quid quærant, quò tendāt, & quantum nos odiant, quāto etiam clarius eſt, nihil ſtultius, nihil iniquius ac damnabilius eſſe quàm talibus hoſtibus conſentire, conformari, cooperari. Itaq; ſi à prædonibus, à latronibus nos præſeruamus ac fugimus ne terrenas diuitias & temporalem corporalemq; vitam auferant nobis, quanto plus debemus nos cuſtodire ab infernalibus illis prædonibus atq; latronibus, q nobis conātur auferre vitam gratię, omne meritū vitę æternę, vniuerſas virtutes & beatitudinē æternalē, imò
ſummum

ſummum, infinitum & incommutabile bonum, deum creatorem & ſaluatorem noſtrū? Deniq; ſtrenui pugnatores tanto fortius incitantur ad reſiſtendum hoſtibus ſuis, quanto certius noſcunt illorum inuidiam contra ſe, & quanto grauiora mala ſibi inferre nitūtur. Ex tali nanq; conſideratiōe, ſicut in libris Machabæorū deſcribitur, inclytiſſimus ille Iudas ac fratres ipſius conſueuerunt adiutores ſuos hortari ac animare ad pugnandum fortiſſime aduerſus æmulos ſuos gentiles, qui intenderunt ſancta eorum deſtruere, mulieres ac paruulos captiuare, viros occidere, bona diripere, territoriū poſſidere. hinc etem
1. Mach. 3 magnanimus Iudas dixit: Melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ & ſanctorum: ſic etiam fertur, quòd Carthaginenſes maluerunt occidi, quàm Romanorum imperio ſubdi. Conformiter ciues Saguntì confœderati Romanis, potius elegerunt in primis vxores ſuas ac ſobolem, deinde ſeipſos præcipitare in ignē, quàm in Carthaginenſium redigi ſeruitutem. Nos igitur potius eligamus omnem laborem, tribulationem, aduerſitatem, irriſionē, imò & mor

tem

tem perfecte, quàm dæmonum ſuggeſtioni obtemperare, & crudeliſſimorũ atq; inuidiſſimorum hoſtium volũtati nos conformare, eorumq; ſubijci iugo, ac deſeruire nefando imperio. Verũtamen propriam ignorãtiam, fragilitatẽ & defectuoſitatẽ penſantes, ipſorum quoq; calliditates, experiẽtias, vires, nequitias milleq; artes prudenter conſiderantes, ſciamus ac corã altiſſimo fateamur nos proprijs viribus non poſſe illis reſiſtere ac prævalere. Ideo coram deo nos ſemper humiliemus, atq; in ipſo indeſinenter ſperemus, & ipſius auxilium cum omni feruore & inſtantia imploremus.

Articulus XIIII. De ſecundo remedio tentationum, quod eſt inceſſabilis inuocatio dei & ſanctorum.

CLamauit ad me & exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eũ & glorificabo eũ. Hæc eſt promiſſio benigniſſimi dei, qui nec mẽtiri poteſt neq; mutari, nec fallere neq; falli. Itaq; quo maior eſt aduerſariorum noſtrorum furor, rancor, crudelitas contra nos, & quo maior eſt eorum calliditas

Pſal. 90. Nume. 23. Mala. 3.

& poteſtas,quo etiam maior eſt noſtra infirmitas,ignorantia, inſtabilitas ac pronitas ad peccandum, tanto affectuoſius & inceſſabi-
Matt.6. lius oportet nos exorare omnipotentem,ne nos induci permittat in tentationẽ, id eſt ad delectationem aut conſenſum tẽtationis, ſed ſtatim & indeſinenter nobis ſubueniat,nosq́ præſeruet & protegat à delectatione & conſenſu illicitis,atq; corroboret & conſeruet ad reſiſtendum viriliter,ad pugnandum & preualendum ſalubriter,ſicq́ iuxta ſancti Bernardi doctrinam habeamus ſemper ad manum tutiſſimũ orationis refugiũ, cum dicat
Lucæ.18. ſaluator: Oportet ſemper orare & non deficere,quatenus ſicut hoſtis indeſinenter tentat ſuggerendo ,ſic indeſinenter reſiſtamus orando: imò & quando actualiter aut ſenſibiliter non tentamur, ad futuras tentationes per orationes nos præparemus ne lędamur, ſed triumphemus in illis. hoc dominus noſter Ieſus Chriſtus in oratiõe quam proprio ore nos docuit,iugiter eſſe petendũ inſinuauit, dicendo: Et ne nos inducas in tentationem. Conſiderantes ergo propriam infirmi-
Matt.6. Luc.11. tatem & defectuoſitatem, hoſtiumq́ noſtrorum

rum robur & indefeſſam ferociam, implacabilem quoq; contra nos inuidiam & furorem, oremus cum deuoto Ioſaphat rege dicentes: In nobis ò domine non tanta fortitudo, vt tantis aduerſarijs poſſimus reſiſtere: ſed cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Audiamus & imitemur Pſalmiſtã qui proteſtatur: Ad dominũ cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Itemq; De tribulatione mea inuocaui dominum, & ad deum meũ clamaui, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: ſic & de præfato pio Ioſaphat rege ſecundo Paralipomenon fertur: Ioſaphat rex timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum dominum. Ita & nos agamus: & quãto periculoſius eſt à dęmonibus quàm ab hominibus ſuperari, & æternã damnationẽ q̃ tẽporalem mortem incidere, omniq; ſpiritali opulentia gratiæ & virtutum ac meritorum, quàm terrenis opibus ſpoliari, tanto affectuoſius atq; inſtantius deprecemur ab inuiſibilibus hoſtibus præſeruari & eripi, q̃ à viſibilibus redimi inimicis. Etenim q̃ cõpũcte & feruide oporteat

1 Para. 20

Pſal. 119.

Pſal. 17.

2. Par. 20

Deu.4. nos inuocare altiſſimum, docet nos Moyſes in Deuteronomio: Cum quæſieris dominũ deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde & tota tribulatione animæ tuæ quæſieris eum. Deniq; quàm libenter exaudiet nos dominus deus noſter, cõtra aduerſarios ſui honoris ac noſtræ ſalutis præliantes & exortantes, conſtat ex hoc, quòd ipſe toties nos hortatur & inuitat ad orãdũ, auxiliumq; promittit, dummodo perſeueranter ac confidenter oremus. Et quoniam conſpicit hoſtium noſtrorum malignitatem, verſutias ac rancores aduerſus nos, ineffabilem quoq; magnitudinem periculi noſtri, omnem etiam imbecillitatem, labilitatem & ignorantiam noſtrã: idcirco cõpatitur nobis deus, & paratiſſimus eſt iuuare, dummodo quod in nobis eſt faciamus: quod ex multis ſcripturarum teſtimonijs & exemplis facile eſt probare, præſertim cum & ipſe deus omnipotẽs tam pronus ſit etiam à corporali tribulatione & viſibilium
Exo.3. hoſtium afflictione eripere. Vnde in Exodo dominus ait ad Moyſen: Vidi afflictionẽ populi mei in Aegypto, & clamorem eorũ audiui, & ſciens dolorem eorum deſcendi vt li-

berem eos. Præterea Moyſe exorante ſub- Exo.14.
merſi fuerunt Aegyptij, filios Iſraël inſe-
quentes. Eodē quoq; ſancto viro manus ſuas Exo.17.
extendēte in cœlū cum prece ad dominū, Io-
ſue & filij Iſraël ſuperauerunt Amalechitas:
retrahente autem Moyſe manus ſuas, prępua
luit Amalech. per quod ſignatum eſt, quòd
homine tentato ad dominū feruide procla-
mante, ſuperatur tentator: ſi autem à diuini
inuocatione auxilij ceſſet, tētator mox præua
let. Ex eiſdem verbis id etiā innoteſcit, quòd
oratio feruens prælati idonei pro ſubditis fu
ſa, valde auxiliatur eiſdem. Statim ergo vt
nos tentari ſentimus, ad orationē ſurgamus,
& proſtrati in terram vel erectis in cœlū cor
de, vultu ac manibus, opem & aſſiſtentiam
dei cum omni affectu & lachrymis implore-
mus, cum Pſalmiſta dicentes: Deus in adiu- Pſal.69.
torium meū intende: domine ad adiuuādum
me feſtina. Vnde de ſancto & innocente Hu
gone Carthuſienſe epiſcopo Linconienſe in
ſua narratur legenda, quòd in cella ſua ad pe
des Ieſu inſtar beatiſſimę Mariæ Magdalenę
deuotiſſimę ſedens, cum grauiter tentaretur,
dominū feruentiſſime exorauit toto corpo

re proſtratus in terram, pectus tundens, vultum lachrymis rigans, & fortiter ingemiſcens. Hinc quidam ſanctorum patrum retulit, dicens: Audiui frequenter dæmones inter ſe conferentes, & de his quos tentabant loquentes, dixitq; vnus eorum: Ego duriſſimum hominẽ habeo, qui ſtatim vt ſenſerit ſe tentari, conſurgens ad orationem proſternit ſe, & ego confuſus abire cõpellor. Alius dæmon dixit: Ego hominem habeo bene flexibilem, qui ſuggeſtionibus meis audientiã præbet, & immoratur. Hinc denuo in Vitaſpatrũ recitatur de fratre ſtimulo carnis tentato, qui ad vnum ſeniorem accedens, retulit ei quod patiebatur: ſenex vero conſolabatur fratrem: qui ad cellam reuerſus, tẽtabatur vt prius: ſicq; ſenẽ multoties acceſſit, & rediens impugnabatur vt ante. Rogauit igitur ſenex deum, vt ei cauſam tam aſſiduæ tentationis fratris illius oſtẽdere dignaretur: quem dñs exaudiuit, & vidit dęmones ante fratrem illũ ſtantes, & ei repræſentãtes ſimilitudines rerũ & actuũ, de qbus ſtimulabatur, ipſumq; fratrẽ ſedentẽ immorantẽ, & quodãmodo delectantem in illis. Cumq; frater pro cõſilio rediſſet

ad

ad ſenem locutus eſt ei ſenex. Tu ipſe in culpa es, quoniã ſedens delectaris in phantaſijs rerum, quæ tibi monſtrãtur ab hoſtibus: ſed ſurge, & cogitatiõibus illis abiectis, cõuerte cor tuũ ad dñm, & inuoca illũ: quod cũ frater feciſſet, tentationẽ deuicit. Nempe vt ſanctus diſſeruit Auguſtinus, Oratio eſt animæ tribulatæ ac ſanctæ ſubſidiũ, angelo bono ſolatiũ, diabolo ſuppliciũ, deo obſequiũ, quę cũ feruens, perſeuerãs ac humilis fuerit, cœlos vtiq; penetrabit, & vacua nõ redibit, vt deuotiſſimus ſcribit Bernardus q rurſus fatetur: Nemo orationẽ ſuã paruipẽdat: dico eñ vobis, q deus eã nõ paruipẽdit: ſed vnũ ẽ duobus ſperare debemus: quia aut faciet quod oramus, aut quod nouit nobis eſſe vtilius. Oratio quid. Eccl. 33.

Articulus XV. de tertio tentationũ remedio, quod eſt, firmiter ſperare in deo.

ADiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, qui ſperauerunt in eo. Fidelis, verax ac pius dominus qui hortatur ac iubet vt cõfidamus in eo, & reprobat confidentes in ſeipſis aut in ſibi ſimilibus: ipſe Pſal. 36.

nequaquam relinquet confidētes in ipſo dū modo perſeuerent in ſpe ſancta, & ipſa ſpes ſit formata, nō informis, id eſt virtuoſis decorata operibus, vtputa ex gratia & operibus bonis procedēs. Alioqui ſperare in deo, & ab eius iniuria ac offenſa nō ceſſare, eiusq́ quotidie præuaricari præcepta, non eſt ſpes vera, ſed præſumptio vana. Itaq; ex propriæ imbecillitatis & defectuoſitatis conſideratione de proprijs viribus diffidentes confugiamus in omni tentatione & tribulatione ad deum totius fontē clementiæ, & in eius omnipotente pietate ac gratia actualiter confidamus, quòd ſcilicet nos ad eius miſericordiam fugientes, & in ea ſperantes nō deſeret, hancq́; confidentiam principaliter concipiamus ex pietate ipſius, ſecundario autē ex meritis noſtris, ſine quibus ſpes eſſet informis, præſumptuoſa, inanis, ſic tamen quòd ipſa merita noſtra cum omni humilitate & gratiarum actione aſſcribamus pietati & gratiæ dei, cuius dona ſunt merita noſtra, quia ab ipſo infunduntur virtutes qbus meremur: nec ſine actuali motiōe & excitatione ipſius poſſumus aliquid meritorie operari: ſitq́; to

ta

ta ſpes noſtra immobiliter ac principaliter fi xa in deo. In ſanctis autē tanquam in mediatoribus & adiutoribus noſtris apud altiſſimum, ſicq́; in omni tentatione ſperemus, q̄ deus nos adiuuabit, defendet ac triumphabit, & quòd eius pietate, ope & gratia efficaciter reſiſtemus, atq́; victoriam ſortiemur, & taliter id ſperemus, & nihilominus quod in nobis eſt faciamus, tota diligentia atq́; indu ſtria nobis poſſibili bona agendo ac mala vi tando, & dei adiutorium implorando, quemadmodum Regū quarto fertur de piiſſimo 4.Reg.19 Ezechia, quòd veniente contra ſe rege Aſſyriorum, totam ſpem ſuam fixit in domino, & tamen quicquid potuit humana induſtria ac potentia fecit aduerſus illū, ſicq́; orando dicamus: In te dn̄e deus eſt tota noſtra fiducia: à te adiuuari confidimus, in tua pietate & gratia conſiſtit ſpes noſtra: propter tuam bonitatem & pietatē immenſam nos tueri digneris. Tibi omne bonum & omne meritum noſtrum aſſcribimus. Non derelinquas ſperantes in te, imò da nobis in te ſemper ſyncere ac tibi placenter ſperare. Tuo gratioſo auxilio confidimus mala vitare, bona perage-

re aduerſa æquanimiter pati, & præualere in omni tentatione diaboli, carnis ac mundi. Itaq; quicquid tentationis & aduerſitatis cõtigerit nobis, credamus ex diuinæ prouidentię diſpoſitione pro noſtro meliori nobis accidere: ideo inde non murmuremus, ſed tanquam munus à domino diſpenſatũ gratan-

Iob.1. ter ſuſcipiamus, cum beato Iob confitentes: Sicut domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum. Vnde & venerabi-

Iudith.8. lis illa Iudith ſapientiſſime dixit: Non vlciſcamur nos pro his quę patimur, ſed reputãtes peccatis noſtris hęc ipſa ſupplicia eſſe minora, flagella domini quaſi ſerui qui corripimur ad emendationem, & nõ ad perditionem

Gregorius. noſtram eueniſſe credamus. Hinc ait Gregorius: Quiſquis aduerſitate, tribulatione, tentatione've frangitur, à quo factus ſit minime contemplatur: qui enim quod nõ erat fecit, factum ſine gubernatione non deſerit: & qui benigne hominem condidit, cõditum iniuſte affligi nequaq̃ permittit, nec ſinit neglecte perire quod eſt, qui quod nõ fuit, creauit vt eſſet. Deniq; ad ſperandum in deo, in omni euentų ſcriptura ſacra & ipſemet deus

in

in ſcripturis copioſiſſime nos hortatur: ſpe-
rantibus quoq; auxilium & ſalutem vberri-
me pollicetur. Ait nanq; deus de ſuo fideli in
Pſalmo: Quoniã in me ſperauit, liberabo eũ, Pſal.90.
protegã eũ, quoniã cognouit nomen meũ, &
Pſalmiſta: Sperent (inquit) in te qui nouerũt Pſal.9.
nomen tuũ quoniam nõ derelinquis quęren
tes te domine. Hinc per Ieremiã dominus Iere.39.
loquitur: Liberabo te, & erit tibi anima tua
in ſalutem, quoniã in me habuiſti fiduciã. In
Eccleſiaſtico quoq; inducitur: Reſpicite fi- Eccl.2.
lij nationes hominum, & ſcitote quia nullus
ſperauit in dño & confuſus eſt: permanſit in
mandatis eius, & derelictus eſt: & quis inuo-
cauit illũ, & deſpexit eũ: Propterea ait Bernar
dus: Tu es dñe ſpes mea. Quicqd agendũ, Pſal.70
quicqd declinãdũ, quicqd tolerandũ, quicqd
optatũ, tu es dñe ſpes mea. Hæc vna mihi
omniũ promiſſionũ fiducia: hęc tota expecta
tionis meæ ratio: prætẽdat alter meritũ: ſuſti-
nere ſe iactet põdus diei & æſtus: ieiunare ſe Mat.20.
bis in ſabbatho dicat: poſtremo nõ eſſe ſicut Luc.18.
cæteri hominũ ſe glorietur. Mihi adhærere
deo, bonum eſt: ponere in domino deo ſpem Pſal.72.
meam. & rurſus: Si mihi pręmia promittũtur
per

Pſal.16. per te domine, hęc obtinere ſperabo: ſi inſur-
Gala.5. gant aduerſus me prælia: ſi ſæuiat mundus: ſi terreat malignus: ſi caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo.

Articulus XVI. De quarto tentationum remedio, quod eſt contritio capitis tentatoris ac tentationis, & quòd ſeipſum in omnibus coram deo humiliare ſit valde accommodum, ad præualendum omni tentationi.

Pſal.17. PErſequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Confringā illos, nec poterunt ſtare Cadent ſubtus pedes meos. Hæc iuxta ſpiritalem ac myſticum intellectū ſunt verba ſtrenui pugnatoris aduerſarijs ſuæ ſalutis magnanimiter reluctantis, & ſunt hæc verba potius verba bonę ſpei quàm aſſertionis incautæ, in quibus pręſuppoſito per omnia dei auxilio confidenter proponit & pie pręſumit ſe conculcaturum & deuicturū inuiſibiles hoſtes vitiorumq́ acies, & quicquid deo ac ſaluti cōtrariatur, non ignorans quàm vere di-
Rom.9. xerit Paulus apoſtolus, Deus conteret ſatanam

nam ſub pedibus veſtris velociter. Iacobus Iaco.4.
quoq;: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis,
hinc rurſus Apoſtolus monet. Nolite locū Ephe.4.
dare diabolo. hoc implet, q nec per delecta-
tionē nec p cōſenſum admittit diabolica tēta
mēta, ſed celeriter mox vt ſenſerit ea, diſſen-
tit, abhorret, aſpnatur & reijcit aut reprobat
illa. Quemadmodū primo Machabęorū de 1.Mach. 12.
magnanimo Ionatha recitatur, quòd nō de-
dit inimicis ſuis tempus aut ſpatiū vt ingre-
derentur fines ipſius: ita & nos non permit-
tamus dæmones aut peccata per delectatio-
nem aut conſenſum ingredi corda noſtra: &
hoc eſt conterere caput ſerpētis tartarei, qui
totus mobilis lubricusq; conſiſtit: & vbi ca
put ſuum intruſerit, cito totus illabitur. Cui
in Geneſi dn̄s ſub perſona mulieris de eccle Gen.3.
ſia & vnaquaq; fideli anima loqtur: Ipſa cōte
ret caput tuū. Hoc caput eſt tētatiōis exor
diū ſeu ipſa ſuperbia, vitiorū origo & radix,
aut cordis peccatū ex quo peccata oris ope-
risq; naſcuntur. Itaq; prauæ ſuggeſtioni pro
tinus reſiſtamus, eam mox reprimendo, de-
teſtando, vitando atq; ad meditationes ſalu-
bres mentem celerrime conuertendo, iuxta
quod

quod dicitur: Principijs obſta. Ait quippe
Grego- Gregorius: Si cogitatiõi iniquę in corde na-
rius. ſcenti feſtinãter non reſiſtatur, per ipſam mo
ram qua remanet, roboratur. Idcirco dum
adhuc paruula ac debilis eſt, extirpetur, cum
Ier. 4. per Ieremiã dñs dicat: Vſquequo morabũtur
in te cogitatiões noxiæ? In qbus verbis non
reprehendit ꝙ veniũt & naſcuntur in corde,
ſed ꝙ morãtur in eo. hinc vnus patrũ aſſe-
ruit: Non ſumus anticipatores cogitationũ,
Hiero- ſed reluctatores earũ. Vnde hortatur Hiero
nymus. nymus: Dum paruus eſt hoſtis interfice eũ,
vt malitia & neqtia elidãtur in ſemine, ne ex-
creſcant. Inſuper caput infernalis ſerpẽtis, id
eſt ſuperbia, ſpecialiſſime & in primis eſt con
terenda & cõculcanda, cũ ipſa ſit omniũ vi-
Tob. 4. tiorũ origo, in qua initiũ ſumpſit omnis per
ditio: & quia omnipotẽs, cui nullus valet reſi
ſtere, reſiſtit ſuperbis, ideo vbi ſuperbia ha-
Iaco. 4. bet locũ, patet ingreſſus diabolo, & plurima
1 Petr. 5. introducit peccata: quę oĩa vitat qui ſuper
biam ſemper abhorret ac proijcit, quẽadmo-
Tob. 4. dum Tobias hortatur: Superbiam nunq̃ in
animo tuo aut in verbo tuo dominari per-
Eccl. 10. mittas. Etenim corã deo & hoibus odibilis

eſt ſuperbia: ideo ait ſcriptura: Quid ſuperbit terra & cinis? ſuperbus nanque à deo relinqui meretur: & iuſte relinquitur, quoniã magnus & fortis in oculis ſuis exiſtens, propriã vilitatẽ ac fragilitatẽ nõ penſat: ideo nec ad dei confugit auxiliũ, atque in vitiorũ voraginem, & in viliſſimã diaboli & peccati ſeruitutem collabitur. Hinc ad ſuperandũ omnẽ tẽtationẽ pręcipue cõfert ſeipſum in oĩbus profunde humiliare, vilipendere, accuſare, propriã inſufficientiã, fragilitatẽ, defectuoſitatẽ recognoſcere, & fateri: humilibus enim gratia datur, augetur & conſeruatur, ac diuinæ pietatis auxiliũ copioſe porrigitur. Ideo ſanctus teſtatur Hieronymus: Nihil ab incũte pueritia ita vitaui, ſicut ſuperbo corde & recta ceruice incedere. Sanctus quoque Bernardus: In veritate, inquit, didici nil ita ad gratiã promerendã atque augendã, ad victoriã obtinendam ita proficere, vt ſi omĩ tẽpore inueniaris non altũ ſapere, ſed timere. Hinc dum beatiſſimus pater Antonius vniuerſos dæmonũ laqueos vidiſſet extẽtos, & gemẽs clamaſſet: Domine qs euadet hos laqueos? audiuit vocẽ de cœlo dicentẽ: Sola humilitas.

Eodem

1. Petr. 5.

Iaco. 4.

Hieronymus.

Bernardus.

Rom. 11.

Humilitatis vis.

Ideo

Ideo ſemper & præſertim in omni tentatione humiliemus noſipſos, & vilia ſentiamus de nobis, & coram deo nos humillime proſternamus, noſtra vitia confitentes, noſtrã infirmitatẽ & in omne malũ procliuitatẽ deflentes, ſicq́ miſericordiã dei iugiter inuocãtes,
Pſal.78. dicẽdo: Adiuua nos deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui domine libera nos: non nos deſeras, nec hoſtibus tradas.
Dan.3. Sic ſancti tres pueri orauerũt poſiti in camino ardẽti: In ſpiritu humilitatis & animo cõtrito ſuſcipiamur à te domine. Ita & nos in omni tẽtatione deum cum omni humilitate & confidentia inuocemus, diuino adiutorio nitentes, & deo omnem victoriam aſſcribentes. Hinc de glorioſa humilitate ſanctus loquitur Auguſtinus: O medicinam om̃ibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia deprauata corrigentẽ. Poſtremo caput ſerpentis, id eſt culpam cordis in ipſo corde ſuffocare curemus ne erumpat in verba malitiæ, nec mõſtretur per ſigna, neq́ procedat in opera, imò cogitationem illicitam, affectionẽ peruerſam, negligen

gentiam & omnem omiſſionem culpabilem per ſaluberrimas meditationes, deuotas orationes ac alijs modis iam tactis ac tangẽdis opprimamus ac ſuperemus.

Articulus XVII. De quinto & præcipuo tentationum remedio, quod eſt dominicæ paſſionis conſideratio.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. Quemadmodũ in Numerorũ libro deſcribitur, cum filij Iſraël in deſerto ob ſua facinora occiderentur ſerpentum morſibus ignitorum, iuſſit Moyſi deus: Fac ſerpentẽ æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eũ, viuet. Quo facto præfiguratum eſt, quòd ſicut filij Iſraël ſerpentem æneum intuendo à morſibus ſerpentium corporalium curabãtur: ſic fideles Chriſtũ pro ipſis crucifixũ per fidem formatam aſpiciendo, à tẽtationibus & læſionibus infernalium ſerpentium eruuntur. Nempe paſſio Saluatoris, liber eſt totius cœleſtis magiſterij, omniumq́ꝫ virtutum, in quo vniuer

Ioan.3.

Num.21.

ſarum virtutũ exẽpla & documenta legũtur, diſcũtur ac imitãda tradũtur. Nonne in paſſione Chriſti relucẽt ardẽtiſſima charitas, humilitas profundiſſima, patiẽtia maxima, inuicta conſtãtia, obediẽtia ſumma? Etẽm propter nos factus eſt patri obediẽs vſq; ad mortẽ: & cum adhuc inimici eſſemus mortuiq; peccatis, recõciliauit nos deo patri in ſanguine ſuo, & animã ſuã poſuit pro nobis, offerẽs ſemetipſum oblatione & hoſtiã deo in odorẽ ſuauitatis, & tanq̃ agnus corã tondẽte obmutuit, ſtans facie inclinata, ore ſilente, mẽte mitiſſima corã Pilato atq; Herode. De quocũq; igitur vitio impugnemur, protinus acerbiſſimã & ignominioſiſſimã Chriſti paſſionẽ intueamur: & ſi de voluptatibus carnaliũ vitiorũ tentamur, mox omnẽ amaritudinẽ dominicę paſſiõis diligẽtiſſime recordemur, dicẽtes ſinguli ad ſelpſum: Nunqd te ſeruũ viliſſimũ decet aut fas eſt turpiter delectari & voluptatibus deſeruire, cũ dominus deus creator, rex, Saluator & iudex tuus pro tua ſalute tam amariſſimã pertulerit paſſionem? Si impatientia aut iracundia nos impugnat, recogitemus q̃ patientiſſime atq; mitiſſime Chriſtus

Phil. 2.
1. Ioan. 3.
Ephe. 5.
Iſa. 53.
Iſa. 53.

ſtus in omĩ ſua ſe habuerit paſſiõe, imò & pro Lucæ.23.
crucifixoribus ſuis orauit. Si nos impugnat
inuidia aut odiũ, aduertamus quantũ filius
dei dilexerit nos, quantã nobis charitatẽ in
ſua paſſiõe mõſtrauit, qualiter pro iuſtis & in-
iuſtis, pro amicis & inimicis mori dignatus
ſit. Deniq; ex conſideratiõe obediẽtiæ Chri-
ſti omnẽ inobediẽtiã, rebellionẽ, duritiã pror
ſus vitemus. Fortitudo & conſtãtia Saluato-
ris omnẽ carnalẽ mollitiẽ, inordinatũ timorẽ,
effœminatã inſtabilitatẽ expellat à nobis. Au
diamus ipſum dicentẽ: Qui vult venire poſt Lucæ.9.
me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam
quotidie & ſequatur me. Nempe vt ait Apo Gal.5.
ſtolus: Qui ſunt Chriſti, carnẽ ſuã crufixe-
runt cum vitijs & concupiſcentijs. Princeps 1.Pet.2.
quoq; Apoſtolorũ: Chriſtus, inquit, paſſus eſt
pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt ſe-
quamini veſtigia eius. Idcirco diſcipulus quẽ
diligebat Ieſus, diſſeruit: Qui ſe dicit in Chri 1.Ioan.2
ſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe
ambulare. Si hæc rite penſemus nequaquam
vanitatibus, voluptatibus, riſibus, iocis, lu-
dis, pigritijs aut cæteris vitijs in nobis lo-
cum præſtabimus, imò omni tentationi de

talibus nos pulſanti ex eorum attenta recordatione ſtrenue reſiſtemus. deuotioni, compunctioni actibusq́ pœnitentiæ inſiſtamus. Præterea cum paſſio Chriſti ſit nobis multipliciter conſideranda, videlicet ad recordandum, ad compatiendum, ad imitandū, ad gratulandum, ad admirandum, ad contemplandum, ad diligendū. Si paſſionem domini noſtri cum pia compaſſione fideliq́ imitatione attendimus, omnem delectationem immundam, conſolationem mūdanam, diabolicam elationem, omnem rancorem, iram, impatientiam & torporē abijciemus. Debemus itaq́ paſſionem Chriſti quotidie, imò aſſidue meditari: Primo, ad recordandū, ne ex obliuione beneficij tanti, ſimus ei ingrati. Secundo, ad compatiendum, eo quòd ipſe mitis & innocens agnus dei, tot & tanta pro nobis ſuſtinuit. Tertio ad imitandū, quatenus præfatas virtutes quas ipſe in ſua oſtēdit paſſione excellētiſſime imitemur pro poſſe, atq́ exemplo Saluatoris ac regis noſtri corpora noſtra crucifigamus, id eſt in actibus pœnitentiæ caſtigemus, vitia & concupiſcentias carnis mortificemus: In aduerſis tanquam in om-

nibus

Paſſio Chriſti multipliciter nobis eſt cōſiderāda.

I Iere. 11.

II

III

Gal. 5.

nibus diuitijs gloriemur. Quarto, ad gratu- IIII
landum, inquantū paſſio Chriſti tam fructuo Pſal.118.
ſiſſima fuit noſtra redẽptio: ſicq; cum Apo-
ſtolo fateamur: Nos autem gloriari oportet Gal.7.
in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo
eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra. Quinto, V
ad admirandum quòd vnigenitus filius pa-
tris ęterni vere ęqualis deo patri voluit tam
amariſſimam & ignominioſiſſimam mortem
pro noſtra ſubire ſalute, Sexto, ad regratian- VI
dum, vt pro ſua benedicta paſſione & noſtra
gratioſa redemptiõe ſaluatori totis viribus
regratiemur, imò & eius intuitu ac amore li-
benter agamus & patiamur ſecundum bene
placitum eius. Septimo, ad contemplandum VII
altitudinem diuini conſilij ſuper modo no-
ſtræ redemptionis, immenſitatem quoq; pie
tatis diuinæ, quæ tam miſericorditer nobis
ſubuenit, ſed diuinæ rigorem iuſtitiæ in hoc, Iſa.53.
quòd deus maluit vnigenitum ſuū ſic pati,
quàm peccata hominū nõ vlciſci. Poſuit enī Rom.8.
in eo iniquitatem omniū noſtrū, & propter
ſcelus populi ſui percuſſit eum, nec proprio
filio ſuo pepercit, ſed pro omnibus nobis tra
didit illum. Octauo, ad diligendum, vt ex VIII

conſideratione horum quæ filius dei pro nobis ſuſtinuit, & ex intuitu tantæ dilectionis ſuæ ad nos accēdamur totaliter in eius amore. Si ita his modis paſſionem Chriſti quotidie diligenter contemplari non deſiſtamus, omnem vtiq; tentationem faciliter virtute ac merito paſſionis ipſius vincemus, mundum quoq; cum vanitatibus ſuis & carnalia oblectamenta cordialiter cōtemnemus cum

Gal. 6. Apoſtolo proferētes: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mūdus crucifixus eſt, & ego mundo. Itaq; ego ſtigmata domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto. Inſuper vt tam compaſſiue, deuote & condecenter paſſionem Chriſti valeamus recogitare, debemus cordium noſtrorum diſtractiones abijcere, & ea in deo recolligere atq; defigere: debemus quoq; mentes noſtras Chriſto per amorem feruentem vnire, eiusq; paſſionem tam attente meditari, ac ſi præſentialiter ac corporaliter videremus eum ſic trucidari: & item penſare quàm pœnale eſſet nobis talia tolerare. Præterea contēplari debemus, quis, qualis & quantus ſit, qui ita pro nobis dignatus

Circūſtantiæ in dñi paſsione contēplandæ.

tus eſt pati: quæ,qualia & quanta ſuſtinuit, à quibus,qualibus & quantis pertulit ea: pro qua cauſa, quo fructu, quo fine. Debemus ergo attendere,quis ſit ille qui pro nobis eſt paſſus, vtputa quòd ipſe in vnitate perſonæ eſt verus deus & verus homo. Si ergo magnum & omni gratiarum actione condignum eſſet, ſi aliquis angelus vel purus & ſanctus homo pro nobis ſic paſſus fuiſſet nonne incomparabiliter magis eſt reputandũ & regratiandum, condolendum & imitandum, ammirandum, intuendum & diligendum, quoniam ipſemet dominus deus talia pati dignatus eſt in humanitate quã pro nobis aſſumpſit. Debemus quoq; attendere qualis ſit, vtputa totus innocens,pius,manſuetus,amoroſus,obedientiſſimus, corpore quoq; tenerrimus & paſſibiliſſimus. Et quantus: videlicet q ipſe ſit omnium dominus, rex regum atq; altiſſimus omniũ, & tamen propter nos dignatus eſt fieri opprobriũ omnium & abiectio plebis, & apparere miſerrimus ac viliſſimus vniuerſorũ. Amplius eſt penſandũ, à quibus eſt paſſus, puta à populo peculiari ac proprio, cui tam multa ac pręcipua benefi- Pſal.22.

cia contulit, & à quibus, ſcilicet à crudeliſſi-mis, ſceleratiſſimis viliſſimisq; ribaldis: & à quantis, quia à multis millibus ſpernabatur ac irridebatur in præcipuo feſto ac celeberri mo loco: & ex qua cauſa, quia ad delendum peccata noſtra: quo fructu, quoniam genus humanũ redemit, & omnibus nobis ſuper-erogantiſſime meruit, ita quòd eius meritis
Ioan.1. indeſinenter iuuamur, & de plenitudine eius omnes accepimus, atq; ex opulentia & the-ſauro meritorum ipſius indulgentiæ copio-ſæ inceſſanter præſtantur: & quo fine, quia vt nos ab ęterna damnatiõe eriperet, cœleſtis q; gloriæ conſtitueret in æternũ hæredes. Hæc omnia rite, moroſe & affectuoſe perpendere non ſolum eſt efficaciſſimum ad ſuperãdum omnia tentamenta, ſed etiam ad proficiendũ in omni virtute & gratia, imò ad pertingen-dum ad Euangelicę legis perfectionẽ, ad con templationẽ altiſſimam. Hæc omnia electus
Auguſtinus. & felix, imò illuminatiſſimus Auguſtinus be ne & profunde conſiderauit, qui dixit: In-ſpice vulnera filij dei in cruce pendẽtis, ſan-guinem morientis, charitatem ac pretiũ re-dimentis, cicatrices reſurgẽtis. Caput habet

inclina

inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſunt cogitare: hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit fixus in cruce. Hinc & alius quidam in perſona Chriſti ſatis deuote locutus eſt: O homo vide quę pro te patior: non eſt dolor vt dolor quo crucior: Ad te clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus afficior: vide clauos, quibus confodior: & cum tantus ſit dolor exterior, maior tamen eſt dolor interior, dum te tam ingratum experior. Hæc verba à multis aſcribuntur ſancto Bernardo: ſed Albertus magnus & Bonauētura ſuper Sententias, aſſerunt ea edita à Philippo cancellario Pariſienſi, quod verius reor. O quàm vere beatus dixit Gregorius: Nihil tam graue eſt, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reuocetur. Hoc eſt quod & Caſſiodorus ait: Si paſſio redemptoris ad memoriam reducatur, nil tam durū quod non æquo animo ſuſtineatur. Parua ſunt omnia quæ toleramus, ſi recordemur Gregorius.

quid biberit, quid pertulerit in patibulo ille, qui nos inuitat ad beatitudinem & gloriam regni cœleſtis. Ipſe pro nobis opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam crucemq́; ſuſtinuit: & nos miſerrimi ad noſtrã confuſionẽ vno verbo deijcimur, modiciſſima iniuria fatigamur, imò pro proprijs vitijs corripi & corrigi vix dignamur. Erubeſcamus ergo ſalubriter, & emendemus nos fortiter, ac contra omnia tentamenta & vitia nos armemus, atq; armati ſtemus indeſinẽter, conſideratione aſſidua & interna paſſionis filij dei, dicẽtes ei: Paſſio tua domine Ieſu Chriſte eſt vltimũ meum refugium ac ſingulare remedium. Deficiente mihi ſapientia, non ſufficiente mea iuſtitia, ſuccũbentibus meritis meis, illa ſcaturit ac medetur, ſuccurrit & conſolatur: Ideo cũ defecerit virtus mea, non cõturbabor neq; diffidam, ſed ſcio quid auxiliante te faciam:
Pſal. 115. Etenim calicem ſalutaris accipiã, paſſionem tuam ad memoriã meam reducam. & te dñm inuocabo. Itaq; quicunq; & quotieſcunq; aliqua cogitatio praua, affectio vilis, tentatio quæuis mentẽ noſtrã pulſauerit, mox domi-

nicæ paſſionis memoriã aſſumamus:& ſi id in conſuetudinẽ duxerimus,mirabilem inde fructũ atq; profectũ ſentiemus & conſequemur,imò & conſolationẽ præcipuã:nec erit nobis tam facile manũ aut pedẽ mouere, ſicut paſſionẽ Chriſti recolere,ac per eam omnem tentationem ac vitium expugnare.

Articulus XVIII. De ſexto generali tentationum remedio, quod eſt conſideratio diligens dignitatis humanæ naturæ, quã habet in donis naturę, & multo plus ex ſupernaturalibus donis gratiæ.

QVę ſocietas luci ad tenebras? aut quę conuẽtio Chriſti ad Belial? aut quis conſenſus templo dei cũ idolo? aut quę pars fideli cũ infideli? Quãto quis plura, maiora & ſublimiora dona ab omniũ creatore ſuſcepit, tanto grauius peccat dum viliſſimo iugo diaboli ſeruitutiq; vitiorũ ſubdit ſeipſum. Vt ergo ò homo vere magnanimis ſis & vitijs atq; dæmonibus ac ſpurcitijs carnis ſubijci dedigneris, attende excellentiã tuæ naturæ, quia præ cæteris corporeis creaturis ſplendore intellectus,ſpontanea volũtate ac 2.Cor.6.

libero

libero arbitrio, naturalibus quoq; ſcientijs, es ornatus inferioriſq; mundi dominus conſtitutus: quia hæc om̃ia ſubiecit creator ſub pedibus tuis, imò cœleſtia corpora, planetæ
Pſal. 8. ac ſydera in tuum obſequium ſunt creata,
Deu. 4. quemadmodũ in Deuteronomio ait ac iubet ſcriptura: Ne oculis eleuatis ad cœlum videas ſolem & lunã, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit dominus deus tuus in miniſterium gentibus cunctis. Noli ergo peccando cunctis brutis vilior fieri, imò incomparabiliter eis deterior effici. Quę beſtia tam crudelis & inſana, vt occidat ſeipſam? Cur ergo tu particeps rationis per peccata mortalia propriam interficias animã? Prętérea vide quãta ſit dignitas tua per ſupernaturalia beneficia Chriſti, per chariſmata ſpiritusſancti, per virtutes infuſas & merita felicitatis æternæ, per quæ omnia factus & conſecratus es templũ, thro
Rom. 8. nus ac manſio dei, & non ſolum ſeruus, ſed etiam filius adoptiuus regis æternæ, hæres regni cœleſtis, æterni ſapientiæ ſponſus, miles ac membrum Chriſti, amicus altiſſimi, & quod ſuper omnia eſt mirandum, tua natura

in Chriſto vnita eſt verbo æterno vero deo in vnitate perſonæ, per quod angelis ſanctis honorabilis eſt effectus. Cur ergo teipſum ita vilificas, & à cœleſti dignitate tam miſerabiliter damnabiliterq́ degeneras? Quemadmodum enim per charitatem & dona gratiæ gratū facientis effecta eſt anima tua ſponſa Chriſti, ita per mortale peccatum fit adultera diaboli. Si materialem baſilicam conſecratam prophanare, polluere, demoliri, incendere grauiſſimū crimen cenſetur: quàm damnabile & enorme eſt, viuū & intellectuale templum ac thronum creatoris vitijs ſordidare, concupiſcentiarum igne accendere, dæmonibus exhibere ſpiritaliterq́ deſtruere? Vide ne tibi conueniat quod ait propheta: Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus. & alter: Qui nutriebantur, inquit, in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Hoc quippe cōtingit, dum homo eccleſiaſticis ſacramētis renouatus, ſpiritalibus alimonijs mēte refectus, virtuoſis exercitijs enutritus, ad carnalia redit & cū ſpiritu ceperit, carne cōſummatur. Hinc vnus philoſophorum locutus eſt: tanta vilitas eſt peccati

Pſal. 48.
Thre 4.
Gal. 3.

peccati, quòd quamuis poſſem impune pec-care, non tamē peccarem. & rurſus: quamuis ſcirem ꝙ dij mihi ignoſcerent, tamē peccatū ob eius deformitatem vitarē. Vnde & Tul-lius ſcripſit: Omnē fœdationem animi repri-mit in conſpectu poſita humana natura. Itaq;
Hierony-mus. recte dixit ſanctus Hieronymus: Sola apud deū libertas eſt, non ſeruire peccatis: ſumma apud deū nobilitas eſt, clarū eſſe virtutibus.
Gen. 1. Tu ergo qui adorādę deitatis imagine es or-
Roma. 8. natus, ac ſummæ trinitatis ſimilitudine ſubli-
Titum. 2. matus, ad æternā beatitudinē conditus, præ-
Apoc. 5. tioſo ſanguine dei incarnati redēptus: cui ad
Heb. 1. cuſtodiā deputatus eſt angelus ſanctus: qui in Chriſto renatus es, & ſupernaturalibus donis gratiæ decoratus, attēde beneficia tibi collata, ne tantorū largitori bonorū inuenia-ris ingratus. Ex horū conſideratiōe omī ten-tatiōi reſiſte, nec in viliſſimā impietatis foueā te præcipitari permittas. Vult creator omīpo-
Mala. 1. 2. Cor. 1. tens in rationali creatura tanq̄in imagine per virtutū ſimilitudinē relucere. A te dignatur
Matt. 5. & vult pater vocari, ideo iubet te ei aſſimila-ri: Ipſe em̄ pater miſericordiarū præcipit mi-
Pſal. 10. ſericordem te eſſe: ipſe qui iuſtus eſt, iuſtum te eſſe

te eſſe requirit: ipſe locutus eſt: Sancti eſtote, Leuit.11.
quoniã ego ſanctus ſum. & vnigenitus eius
dixit: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœ- Matt.5.
leſtis perfectus eſt.

Articulus XIX. De ſeptimo tentationũ remedio, quod eſt cõſideratio ſcripturarũ, vera diſcretio & ſapiẽtia ſalutaris.

OMnis ſcriptura diuinitus inſpirata vti- 2.Tim.3.
lis eſt ad docendum, ad arguendũ, ad
corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt
perfectus ſit homo dei, ad omne opus bonũ
inſtructus. Quemadmodum in Iob ait ſcri- Iob.33.
ptura: Semel loquitur deus, & ſecundo idi-
pſum non repetit, quoniam in ſcripturis in-
ſtruit vnumquenq;: ſacra enim ſcriptura eui
denter copioſeq; inſtruit, qualiter homo in
omni vita ſua debeat ſe habere, qualiter om
ni tentationi & vnicuiq; peccato ſit reſiſten-
dum, qualiter recedendũ à vitijs, & inſiſten-
dum in virtutibus. Hoc dominus & Salua- Marc.4. Luc.4.
tor apertiſſime docuit, qui per allegatiões ſcri
pturę diabolicis reſtitit tentamẽtis. Quo exẽ
plo docemur, vt vnicuiq; tentationi ac vitio
congrua ſcripturæ teſtimonia opponamus,

vt, ſi

vt ſi inuaſerit nos ſuperbia, mox dicamus:
Eccl.10. Odibilis corã deo & hominibus eſt ſuperbia.
Iaco.4. 1.Petr.5. Itemq́ꝫ: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus
Eccl.10. autem dat gratiã.& rurſus: Initiũ om̃is pecca
Iob.14. ti eſt ſuperbia. & iterum: Quia diabolus eſt
1.Cor.4. rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Innumera-
Ioan.5. biles penè ſunt huiuſmodi autoritates ſcrip-
turæ, quibus tanquã imperforabilibus cly-
peis reijcienda ſunt iacula tentationũ ſuper-
biæ & gloriç vanæ, vt cum denuo fert ſcrip-
tura: Quid habes quod nõ accepiſti? ſi au-
tem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acce-
peris? & rurſus: Quomodo poteſtis vos cre
dere qui gloriã ab inuicem accipitis? Confor
miter, ſi de inuidia impugnemur ſiue de ira,
Iob.5. reſpondeamus illud Iob, Paruulũ occidit in-
uidia,& virum ſtultum iracundia. & quod ite
Eccl.7. rum ait ſcriptura: Putredo cordis & oſſium
inuidia, & ira in ſinu ſtulti quieſcit. Si autem
1.Ioan.3. tentetur quis de odio, dicat illud Ioãnis apo
ſtoli: Omnis qui odit fratrem, id eſt proximũ
ſuum, homicida eſt. Si de luxuria, dicat cum
Heb.13. Paulo: Fornicatores & adulteri regnum dei
non poſſidebunt. Sicq́ꝫ ſingulis tentamentis
ac vitijs opponenda ſunt conuenientia ſcri-
pturarum

pturarum eloquia: propter quod ait Hugo: Nihil in vita dulcius ſentitur, nihil auidius ſumitur, nihil ab amore mundi mentem ſic ſeparat, nihil cõtra tentationes mentem ſic roborat, nihil ſic iuuat & excitat ad omne opus bonũ atq; ad omnem laborem, vt ſtudium ſacræ ſcripturæ. Itaq; recte locutus eſt S. Ambroſius: Ignorãtia periculoſiſſimũ eſt peccatũ. Qui eñ ignorat qualiter ſit contra vitia reluctandũ, protinus vincitur: & q neſcit ſacri eloquij documẽta, tentationibus facile ſupatur. Hinc Salomõ dixit: Omnis ſermo dei ignitus clypeus eſt oñibus ſperãtib⁹ in ſe. Si ergo tentationũ acerbitas, abundantia, aſſiduitas & prolixa duratio nos infeſtẽt, penſemus quod in Apocalypſi dominus monet ac pollicetur: Eſto fidelis vſq; ad mortẽ, & dabo tibi coronam vitę. & alibi: Qui perſeuerauerit vſq; in finẽ, ſaluus erit. Itemq;: Non coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Deniq; omnis peccãs ignorãs eſt, & aliquo modo errans: quia etſi in generali agnoſcat quod verũ eſt, errat tamen iudicando in particulari: atq; ad hoc tendit tentator, vt falſitate ſuæ tentationis ac peccati caligine cor-

Ambroſius. Prou. 30 Apoc. 3. Matt. 10. 2. Tim. 2

ſ da noſtra

Ioan.3. da noſtra obſcuret. propter quod in Ioanne ſcriptum eſt: Omnis qui male agit, odit lucem. Verum contra hanc obſcurationem vtiliſſima eſt notitia, imò actualis conſideratio ſcripturarum, radius diſcretionis, ſapientia ſalutaris: hæc etenim tanquam clariſſima lumina tenebras hoſtium fugant, & rationem ab erroneo præſeruant iudicio, ne apparens bonum quod in veritate eſt malum, preferat vero bono: & vt generalem notitiam circa particularia applicet congruenter, & deum in cunctis præ oculis habeat. Hinc quippe ſcriptum eſt: Sapientiam non vincit
Sap.7. malitia. & vt aliqui legunt: Sapientia vincit malitiam. vnde in Iſaia legitur: Non occi-
Iſa.11. dent, & non nocebũt in omni monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia domini.
1.Cor.14 Inhæreamus ergo indeſinenter luci ſapientiæ, veræ diſcretioni rectæq; rationi, nec precipitanter quicquam agamus, ſed decenter & ordinate omnia faciamus: ſapientia nanq; eos qui ſe obſeruãt à doloribus liberat, ſuaq; luce ſic mentem perfundit, vt ſalubriter & acute inter vera & falſa, inter bona & mala diſcernat. Veruntamen non ſufficit informis

&

& nuda notitia, imò talis frequenter inflat ſcientia. Deprecemur ſapientiæ fontem, intelligentiæ atq; iuſtitiæ ſolem, vt per vnctionem ſpiritus ſancti nos illuſtrare dignetur, quatenus cum affectu & efficacia conſideremus ſcripturas, ſicq; dicere per experientiam valeamus: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Hinc Pſal. 118. ſanctus pater Antonius: In omnibus (inquit) quæ agis, teſtimonium adhibe ſcripturarum. Et de electo homine ait Propheta: In lege domini meditabitur die ac nocte. Si Pſal. 1. ita egerimus, tentationibus nunquam dabimus locum: ſed quidquid deo diſplicere nouerimus cum diligentia ſumma vitabimus. hoc eſt quod in Tobia docetur: Omnibus diebus vitæ tuæ deum in mente habeto, & caue ne aliquando conſentias peccato. Tob. 4. Poſtremo quemadmodum prudentes ſeculi huius libros ſcripſerunt de re militari & de arte pugnandi, quam in prælijs fortitudini multitudiniq; exercitus prætulerunt: ſic veram ſpiritalis militiæ peritiam docet ſcriptura, inſinuando quibus virtutibus & actibus efficatius reſiſtatur diabolo

ſ 2 prout

prout dictũ eſt ſupra, & infra dicetur. Et vt in ſpiritali militia dominum cum ingenti fiducia, humilitate, feruore ac perſeuerãtia inuocemus, imò vſq; ad ſanguinẽ & mortem reluctemur tẽtationi ac vitio, & quaſi á facie colubri, imò imcomparabiliter plus fugiamus peccata, ſicq; per propria exercitia virtuoſa artem & peritiam iſtam ſalubrem diſcamus, & ita vtraq; manu vtamur pro dexterà, non ſolum per proſpera, ſed etiam per aduerſa proficientes.

Eccle 21

Iudic.3

Articulus XX. De octauo tentationum remedio, quod eſt conſideratio damnorum & nocumentorum, quæ homo incurrit conſentiendo tentationi.

QVi faciunt peccatum & iniquitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ. Iſta ſunt verba Raphaëlis in Tobia, quemadmodũ enim diligere eſt alicui bonũ velle, ita odire eſt alteri velle malum. Porrò, inter genera mali malum culpę eſt peſſimum, idcirco qui conſentit peccato aut amat ſeu efficit illud, aut bonum virtutis omittit ad quod tenetur odit ſeipſum, & hoſtis eſt animæ ſuæ, ſicut ait.

Tob.12.

Pſalmi

Pſalmiſta: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pari ratione qui conſentit tentationi ad vitiũ inclinati, eſt ſuæ animæ inimicus. Porrò peccatum ſub ratione peccati & mali non poteſt amari, cum bonum ſit appetitus obiectum: ſed peccatum inquantũ apparet bonum, propter delectationem ſibi annexam ſiue aliã cauſam appetitur. Aliqua autem bona & competibilia eſſe videntur, quæ ſi bene & plene conſiderentur, abhorrentur atq; vitantur in quantum ſunt materia, incitamentum occaſio've peccandi & impedimenta proficiendi, ſicq; Chriſtus in Euangelio conſuluit relinqui diuitias, propriam voluntatem, propinquos, vxorẽ, cum iſta nõ ſint mala neq; illicita in ſe: peccata vero in ſeipſis ſunt mala ac vetita, ideo fugienda: & quãuis aliquo modo alliciant, ſi tamẽ rite penſemus, quæ & quanta damna, & nocumenta infligat peccanti, abhorrebimus ea omnino. Sapienter igitur ac profunde cõſideremus effectus læſionesq; vitiorum præſertim mortalium. Nullum enim peccatum mortale tam paruũ eſt, quin homo per illud ſeparetur à ſummo incõmutabili & incircunſcriptibili bono gra-

Pſal. 10.

Luc. 14.

tiam quoq; gratum facientem, charitatem ſeptemq; dona ſpiritus ſancti & cætera ſpiritalia ac ſupernaturalia ſpiritus ſancti chariſmata charitati inſeparabiliter iūcta amittat, ſicq; dei inimicus cōſtituatur, ſeruus diaboli & peccati reddatur, ęterna felicitate priuetur, perpetuam quoq; damnationē incidere mereatur. Cum ergo ſciamus tam ineffabiliter magna ac odibilia damna & incōparabilia nocumenta peccato eſſe annexa & ipſum concomitantia, nonne infinitæ ſtultitiæ eſt ꝙ vnq̄ conſentimus tentationi vitiū ſuggerenti? Idcirco omnis qui peccat, eſt ſtultus: atq; vt Salomon conteſtatur: Taliū ſtultorū infinitus eſt numerus. Nonne ſtultus ac furibūdus, omniq; bruto peior, ferotior ac inſipiētior reputaretur, qui omnia bona ſua ex inimicorum ſuorū ſuggeſtiōe proijceret in abyſſum, & demembraret ac trucidaret ſeipſum, etiā quāuis ex hoc non ſequeretur aliud damnū? quāto magis inſenſatiſſimus eſt cēſendus, qui tentationi conſentit, & ex ſuggeſtione diaboli ſeu alia inſtigatiōe peccat mortaliter, ac per hoc animam ſuā ſpiritaliter necat, ferociter perimit, æternæ damnationi exponit & obligat,

Eccle. 1.

omniq;

omniq; ſpiritali opulētia ſpoliat cā, ita ꝙ quæ erat ſui creatoris Saluatoris q; ſponſa, hæres, amica & filia, ſole & aſtris ſplēdidior ac ſupnaturali decore ineffabiliter ſpecioſa, peccādo fit inimica dei, mēbrū, adultera ancilla & captiua diaboli, tenebroſa, fœda ac fœtida, imò & mortua coram deo, & omni cloaca turpior coram illo. Propterea in omni tētatione omniq; hora intueamur profunda hæc ipſa peccata, damna & nocumenta, ita vt magis velimus, eligamus millies trucidari ac mori q̄ conſentire tentationi. Itaq; perpendamus q̄ vile ac fatuū ſit tentationi ſuccūbere: q̄ damnoſum & impium ſit peccare: q̄ irrationabile ſtolidumq; conſiſtat vitia præferre virtutibus, bona creata, caduca & vana creatori dignitatis immēſæ, & propter momētaneū oblectamentū ſeipſum æternæ calamitati ſubijcere, ſicq; omnem tentationē cum infinita deteſtatione abijciamus. Quis enim vellet per vnam noctē omi delectatione carnali ad libitum frui, & pro ea nocte ſequēti in fornace iacere ardenti? Noli ô homo teipſum per conſenſum tentationis & impiam voluptatem diaboli illaqueare, ſpiritaliter excæcare,

 propriam

propriam animam trucidare, viliſſime vēdere, prorſus depauperare, ad infernale ſupplicium ſponte procedere, creatori ac Saluatori tuo ingratam odibilemq́ꝫ efficere, atqꝫ expulſo fideliſſimo ſpiritu ſancto & refutato angelo bono, inuidioſiſſimis & crudeliſſimis hoſtibus tuis in te locum & manſionem præbere.

Articulus XXI. De nono tentationum remedio, quod eſt intenta conſideratio mortis.

Marc. 13. VIgilate, neſcitis enim quādo dominus veniat, ſero an media nocte, an galli cātu, an mane: necum venerit repēte, inueniat vos dormientes. Qui vitam præſentem attendit celeriter finiendam atqꝫ celerrime inceſſabiliterq́ꝫ feſtinātem ac decurrentem ad mortem, deteſtatur ac vilipendit impiarum ſuggeſtiones tentationum quæ ad mortem pertrahunt infelicem, & in hora mortis anguſtias pariūt intolerabiles ac remorſus grauiſſimos, dolorem de malo præterito, timorem morte acerbiorem de imminente diuini rigoris iudicio, ac inferni aut ſaltem purgatorij diro ſupplicio. Deniqꝫ cū agnoſat certiſſi-

me ſe moriturum in breui,neſciatq́; quamdiu ſubſiſtet hic,an poſt modicũ tollet eum hinc factor ſuus: aduertit quàm breuis ac momẽtanea ſit omnis huius vitæ vilis voluptas & vitioſa tranſgreſſio comparatione ęternitatis & æternę damnationis,mortẽ vltiuámq́; mortale ſequentis, ideo reſpuit tentationibus & peccatis conferre aſſenſum,loquens cum Salomone:Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid fruſtra deciperis? Itemq́;, Melius eſt ire ad domũ luctus,quàm ad domũ conuiuij:In illa enim puta in domo luctus. hoc eſt in exercitio pœnitentię,in congregatione ſuorum peccata defl entiũ,in ſchola ſapientiũ ac virtutũ finis cunctorũ admonetur hominũ, & viuẽs homo cogitat qd futurus ſit,vt puta cinis & puluis iuxta quod dicitur: Memento ô homo quoniã puluis es & in puluerem reuerteris.Aduerte igitur & perpẽde tuę conditionis fragilitatem, tuæ naturæ mortalitatem,tuæ vitæ incertitudinẽ,breuitatẽ,pericula,fallaciã mundi ineffabilẽ,mortis acerbitatem,morientis diſpoſitionem cordis corporisq́; preſſuras acerrimas,tentationes agonizantis, horribilem exitũ ac dæmonum tunc Eccle.2. Eccle.7. Gene.3.

 f 5 occur-

occurſum,quę omnia ſi digne penſaueris, nequaquam tentatationi tribues locũ: ſed protinus ſufflabis in eam,& exufflabis eandem, atq; cum ſanctiſſima Agatha tentatori magnanimiter reſpondebis: Mens mea ſupra petram ſolidata eſt,& in Chriſto fundata, verba tua venti ſunt, ſuggeſtiones tuę pluuiæ ſunt, impugnationes tuæ Chriſto auxiliante, me obruere non valebũt. O tu miſer ſine ſenſu, & intellectu ſalubri, quomodo ſuggeris, vt vana & vilia animã inquinantia, atq; ad æternam damnationem trahentia amem, & creatorem meũ ac Saluatorẽ propter illa inſipientiſſime, & inique relinquam? Ecce q̃ vere aſſerit Auguſtinus: Nihil ſic reuocat à peccato, vt frequens meditatio mortis. Hieronymus quoq;: Platonis (inquit) ſententia eſt, omnẽ ſapientium vitam eſſe meditationem mortis aſſiduam. Debemus ergo & nos mente pręmeditari, quid in breui ſumus futuri, & quod ſiue volumus ſiue nolimus, lõge abeſſe non poteſt. Qui ſe recordatur quotidie moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. Denic;, conſideratio horũ facit hominẽ ſic viuere quolibet die, quaſi in eo ſit receſſu

rus

rus à vita præſenti. Vnde ait Gregorius: Ad hoc cōditor noſter latêre nos voluit finem noſtrum, diemq́ noſtræ mortis nobis eſſe incognitum, vt dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur, & tanto vnuſquiſq; ſit feruentior in operatione, quãto incertior de vocatione, vt dum horam mortis præuidere non poſſumus, ad illam nos ſine intermiſſione paremus. Hinc Climacus loquitur: Quemadmodum panis eſt neceſſarius homini præ cæteris cibis, ſic diligens conſideratio mortis præ exercitijs cæteris. & de hoc refert exemplum notabile: Fuit (inquiens) in monte hoc Oreb, ſolitarius quidam in omni negligentia viuēs, qui tandem grauiter infirmatus, migrauit quaſi vnius ſpatio horæ, perfectè à corpore, qui reuerſus ad ſe, rogauit nos omnes exire ab eo, quo facto obſtruens ianuā cellulæ ſuę, manſit in ea duodecim annis, nemine penitus alloquens, neq; aliud q̃ panem & aquam guſtãs: ſedens, & ad ea quæ vidit in extaſi, ſtupens ſic manſit, mœrens ita quòd nunq̃ proprium morem & apparatum mutauit, & lachrymas calidas iugiter fudit. Cumq; migraturus erat ad

dominum,

dominum, portam ſui habitaculi deſtruẽtes intrauimus & multũ rogãtes vt ſalubre aliquid diceret nobis, hoc ſolum ab eo audiuimus ignoſcite mihi, nemo mortis memoriã habens, poteſt peccare. Nos autem ammirabamur hominem prius tam negligentẽ, tam repente in melius feliciter tranſmutatum. Cumq́ eũ ſepeliſſemus, requirẽtes die ſequẽti ſanctas eius reliquias, nequaquam inuenimus eas: per hoc certificante nos deo de illius ſtudioſa fructuoſaq́ pœnitẽtia & ſalute. Poſtremo narratur in Vitaſpatrum. ꝙ Theophilus Alexandrinus patriarcha & archiepiſcopus in hora obitus ſui dixit: Beatus es abba Arſeni, quĩa ſemper hanc horã habuiſti prę oculis. Vt ergo & nos beati fieri omniq́ tentationi reſiſtere valeamus, mortem oculis cordis inceſſabiliter proponamus.

Articulus XXII. De decimo tentationum remedio, quod eſt profunda conſideratio tam vniuerſalis quàm particularis iudicij dei.

Iob.9. DEus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt, ſub quo curuantur qui portãt orbem: quan

quantus ergo ego ſum, vt reſpondeam ei & loquar verbis meis cum eo? Quia innumerabilia atq; enormia ſcelera fierēt in hoc mūdo vltra ea quæ fiunt, niſi homines timore iudicum terrenorum refrenarentur, certiſſimum eſt. Verum vt ait Gregorius, ſi tantū timetur iudicium pulueris, id eſt corruptibilis hominis, quantum metuendum eſt iudicium omnipotētis? & quamuis credatur iuſtus & ſanctus deus vniuerſos homines iudicaturus, attamen quia nō ſtatim punit peccantem nec cito exercet iudiciū, ſed vſq; ad diem nouiſſimum differt iudicium vniuerſale, & vſq; ad mortem ſingulorū iudiciū particulare, miſerrimi & inſipientiſſimi homines ſine diuinæ æquitatis formidine non ceſſant peccare, vel quoniam longe reputant adhuc diſtare finale illud commune iudicium, vel quia adhuc in vita hac ante mortem ſuam ſe emendare & pœnitere proponunt, & de miſericordia dei ſtolide præſumentes: propter quod Salomon dixit: Quia non cito profertur contra malos iudicium, abſq; vllo timore filij hominum perpetrant mala. Si iſti inſipientes eſſe probantur tanto ſe committen- Eccle.8.

tes

tes periculo, non penſantes quàm incerta, fallax & breuis ſit vita hæc, & quàm multi improuiſi ac ſubito de hac vita tollantur, atq; q̃ pauci eorum qui tempore iuuentutis & ſanitatis damnabiliter viuunt, in fine vitæ pœniteant vere. Præterea non aduertunt quàm breue ac momẽtaneum ſit omne tempus ſeculi huius, non ſolum quo nos in eo ſubſiſtimus, ſed etiam quod vſq; ad diem nouiſſimũ protendetur reſpectu ſequẽtis æternitatis infernalis q; pœnæ, cum finiti ad infinitũ nulla ſit comparatio. Hoc igitur attendentes intueamur & formidemus finale illud iudiciũ in fine mundi futurum, quod eſt reuera metuendiſſimũ, ſicut ait Apoſtolus: Horrendũ
Heb. 10. eſt incidere in manus dei viuentis. atq; beatus Iob loquens deo: Quis mihi tribuat vt
Iob. 14. in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus? Et ſi adhuc tam offuſcata & obtuſa eſt anima noſtra vt tẽpus vſq; ad vniuerſale iudiciũ duraturũ non valeamus quaſi tam breue ac modicum apprehendere ac metiri: tempus tamen reſiduũ vitæ noſtræ penſemus eſſe permodicũ, præſertim cõparatione ad perpetuitatem concomitantem

tantem: ideo tanto præcordialius ac penetrabilius formidemus noſtrum particulare iudicium, quo mox poſt egreſſum à corpore à ſummo iudicabimur iudice, iuxta illud Apoſtoli ad Hebreos: Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudiciū: Hebr. 9.
quanto breuius & nobis incertius eſt tēpus reſiduum vitę noſtræ. Ecce quàm vehementer metuūt homines iudiciū quo mors tēporalis ac corporalis infligitur. Nonne ergo incomparabiliter magis eſt formidandū diuinæ maieſtatis iudiciū, quo ſpiritalis ac æternalis mors, puta infernalis dānatio pro mercede ac vltione imprimitur? Ideo conſideratio huius iudicij & eius formido ab om̄i diſſolutione, vanitate, impietate ac tentationū conſenſu nos reprimant, ab intimorata tranſgreſſione nos retrahant, & coram deo reddant ſolicitos, cuſtoditos & fructuoſos.
Conſidera quàm pauēdum ſit iudicari ab eo, in quem peccatum commiſſum eſt, qui eſt iudex, teſtis & pars: cuius ſapientiam nihil latet, cuius potentiam nemo euadit, cuius iuſtitia nullam culpam quantūlibet paruam deſerit impunitam aut indiſcuſſam: à cuius Apoca. 1.

autori

autoritate atq; ſententia nullus poterit appel
lare: qui agnoſcit nos in multis ac magnis
eſſe culpabiles, de quibus noſipſi nō ſumus
conſcij nobis. Attende q̃ formidoloſum ſit
pręſentari & aſtare iudicandū tribunali iudi
cis ſummi, atq; incertā ab ipſo præſtolari, ſen
tentiā, qui proprio ore deprōpſit: Multi vo
Matt.20. cati, pauci electi. Quo conſtat, ꝙ compara
tiue loquēdo pauci damnationis æternæ eua
dent ſententiam. Inſuper imaginemur quali
ter in hora vniuerſalis iudicij totus mūdus
in igne conflagrationis ſtabit, ac deſuper iu
dex diſtrictiſſimus reſidebit, angelorum ſan
ctorum ac omniū beatorū vallatus agmini
bus, horrēdumq; chaos inferni infra hians
patebit. O quàm intolerabile, confuſibile &
amarū, deſperatione & omni calamitate ple-
niſſimum erit in die illo à iudice adorādo in
vniuerſorum electorū ac reproborū præſen-
tia increpari ac iudicialem illam audire ſen-
Matt.25. tentiam, Ite maledicti in ignem æternū. Ho
rum conſideratione ſancti viri frequēter cō-
puncti fuerunt ac territi, reſiſtēres fortiſſime
omni tentationi ac prauitati. Vnde ſanctus
fatetur Hieronymus: Quoties diem illum
conſide

conſidero, toto corpore contremiſco: ſiue enim comedo ſiue bibo, ſiue aliud aliquid facio, ſemper mihi videtur tuba illa terribilis ſonare in auribus meis, Surgite mortui, venite ad iudicium. Hinc abbas Helias, Ego (inquit) tres res timeo, vtputa egreſſionem animæ meæ á corpore, præſentationem eius coram iudice, & prolationem ſuæ ſententiæ. Abbas quoq; Ammonius, Vade (ait) cogita & loquere ſicut incarcerati. Illi nanq; interrogant, vbi eſt iudex? quãdo venturus eſt? atq; in ſuarum expectatione pœnarũ plorant: ſic debet homo animam ſuam quotidie obiurgare, dicendo: Væ mihi quoniam aſtare habeo ante Chriſti tribunal, & ei meorũ actuũ reddere rationẽ. Amplius de hac re Climachus terribile narrat exemplũ: quod quamuis in alijs opuſculis recitaſſe me recolam, hic nihilominus illud tangã: Itaq; ait, fuit in monte hoc Sinai monachus nomine Stephanus habitans, ſolitariam & quietam agens ac diligens vitam, ieiunijs, lachrymis ac alijs bonis maxime decoratus, q in monaſterio ſub obedientia plurimis vixit annis. Deinde deſiderio pœnitentiæ acrioris anachoreticam, *Stephani eremitæ vita.*

id eſt, omnino ſolitariam, abſtractam & contemplatiuam vitam aſſumpſit in loco valde remoto & pene inacceſſibili, ac omni humano carente ſolatio, vbi anguſtiſſimam & ſuperarduam duxit vitam. Poſtmodum ſenex ad ſuã rediјt cellam in monte Synai ſitam, in qua infirmatus eſt infirmitate quã obijt: qui ante vnum ſui obitus diem factus in extaſi mentis, apertis oculis reſpexit ad lectuli ſui dextram & ſiniſtram, & tanquam ad reddendam rationem ab aliquibus requiſitus, dixit aſtantibus quos videbat, audientibus cũctis qui aderãt: Verum eſt ꝙ in hoc peccaui, ſed confeſſus ſum, & tamdiu pro huius culpæ indulgentia ieiunaui. Interdũ vero dixit, nequaquã, ſed mentimini: iſtud non feci. Et rurſus quãdoq; ait: iſtud ſic eſt, ſed defleui & domino miniſtraui. Aliquãdo quoq; reſpondit: calumnioſe me accuſatis. Porro, ad aliqua dixit: ſic eſt: & ad hoc reſpondere non valeo: ſed deus miſericors eſt. O eia vir anachoreta, qui per annos circiter quadraginta fuerat monachus, & in deſerto leopardum ad ſe venientem paſcebat, de aliquibus culpis dixit: ad hoc reſpondere nõ ſcio nec valeo. Et hic

tantus

tantus receſſit in tali exactiõe rationis à corpore, certũ non faciens quod fuerit eius iudicium & quis finis: & quamuis omnino ſperandum ſit, quòd feliciter exſpirauit, hoc tamen exemplo inſtruimur quantum nos imperfecti & defectuoſi debeamus dei iudiciũ formidare, qui quaſi infinite à vita tanti anachoretæ deficimus & diſtamus.

Articulus XXIII. De vndecimo tentationũ remedio, quod eſt infernalium tormentorum penſatio.

DAbo impios in vexationem & maledictionem, & in ſtuporem & ſibilum & opprorium ſempiternum, eo quod non obedierunt mihi, dicit dominus per Ieremiam. Iere.24.
Multi timore pœnarum ab exceſſibus, voluptatibus, ac peccatis retrahũtur & fugiũt: & ſi temporale aut breue ſupplicium facit à vitijs abſtinere, quanto magis æternæ damnationis conſideratiõ debet nos ab omni tentationum conſenſu auertere: penſemus quanta miſeria, quàm intolerabilis pœna, quantus horror eſſet vnicuiꝗ noſtrũ à grandi dracone circũplecti, eius ſpiris cõſtringi,

veneno ipſius repleri, inter illius amplexus & oſcula ad vnam horā iacere: quis pro omnibus mundi diuitijs atq; delicijs vellet per vnum diem hoc ſuſtinere? Quis inter ignitos ſerpētes, deformes bufones, turpiſſimas ranas vellet in vaſe vno per vnū diem includi pro cunctis honoribus ſeculi? & vbi eſt fides noſtra? ſi credimus pro vno mortali peccato æterna infligi tormenta cunctis præfatis iam ſupplicijs non ſolum extenſiue incōparabiliter grauiora, imò etiam intenſiue ineffabiliter acerbiora ac magis horrenda, quid eſt quòd vnq̄ peccare audemus, aut (quod ſtolidius eſt) in peccato manere, niſi ꝙ infinita eſt ſtultitia, excæcatio atq; peruerſitas noſtra? Imaginemur ante nos ſtare clibanū incēdio plenum calidiſſime calefactū, ſulphureo, foetidiſſimo ac æſtuantiſſimo igne repletū, & in medio eius iacere hominem nudum nunq̄ inde exiturum nec inibi moriturū, ſed in tanta afflictione ęternaliter permanſurū, qui prę ſuarum acerbitate poenarū nil aliud intelligere queat niſi quòd ſua miſeria in æternū durabit: attendamus nunc q̄ poenale & intolerabile nobis eſſet intueri illum miſerrimum in

tantis

tantis acerbitatibus, deſolationibus ac deſpe rationibus conſtitutum, audire clamores illius, videre qualiter ſe hinc inde iactaret, q̃ miſerabiliſſime quoq; videret mortẽ & non eſſe appeteret. Quòd ſi tam intolerabile eſſet nobis hoc cernere, q̃ intolerabile erit ſentire? Præterea ſi credimus ſancto Auguſtino dicẽti, ꝙ etiam pœna purgatorij omnem præſentis vitę pœnam excedat, quamuis martyres ſancti immaniſſima ſupplicia ſint perpeſſi: nõ ſolum ex conſideratione & horrore infernalium tormentorũ, verum & purgatoriarum pœnarum debemus ab omni tẽtationũ conſenſu ac vitiorum exceſſu penitus abſtinere: horum conſiderationem attẽtam, iugem memoriam, ingentem formidinẽ imprimamus indelebiliter cordibus noſtris, ſicq; vana & vilia oblectamenta ſpernamus, & omnẽ creatoris iniuriam & offenſam vitemus, cunctis tentationibus mundi ac carnis atq; diaboli infatigabiliter reſiſtamus, quemadmodũ nutrix ablactare volẽs infantulũ, vberibus ſuis ſupponit ſinapium aut ſimile quid amarum, quatenus infans amaritudine deguſtata ceſſet appetere vbera. Certe ſi horum, hoc eſt

Purgatorij pœnæ acerbitas.

Simile.

mortis ac diuini iudicij, purgatorij & inferni, & præſertim paſſiõis Chriſti acerbitates, amaritudines, afflictiones intente & aſſidue meditemur, nequaq̃ tẽtationi aut vitio negligentiæ vel torpori locũ præbebimus vel conſenſum. O quanta eſt infernaliũ tormentorum acerbitas, perpetuitas, generalitas atq; diuerſitas. Nonne in inferno eſt intolerabile frigus, inextinguibilis ignis, immortales edaciſſimi ac monſtroſiſſimi vermes, palpabiles ac horrendiſſimę tenebræ, confuſio vitiorũ, deſperatio omniũ bonorũ, pœnalior ſenſibili ſupplicio reproborũ, acutiſſima fames, grauiſſima ſitis, flagella cædentium, moleſtiſſima viſio dæmonum, moleſtiſſima quoq; ſocietas, immundiſſimus locus, clamor & dentium ſtridor, odium omnis boni honeſti, blaſphemia dei ſanctiſſimi, mors ſine morte, defectus ſine defectu, atq; incomparabilis pœna damni. O quàm inſenſati ac miſeri ſunt, qui pro temporali proſperitate breuiq; voluptate tot & tantis exponunt, vendunt ac obligant ſe tormentis, in quibus vna hora videtur centum annis prolixior, vnaq; dies longior mille annis. Intueamur hæc viua, certa & clara

fide

fide quaſi prǫſentialiter ea cōſpiceremus, nec diabolicis ſuggeſtionibus fallaciſſimis vnq̃ credamus, quia neſcimus diem neq; horã: & quanto quis diutius manet in vitijs, tãto ad pœnitendum veraciter ęfficitur magis ineptus. In ipſo quoq; articulo mortis moleſtiores ac periculoſiſſimæ inſtant tentationes, in quibus tũc prǫualere, defendi & adiuuari nō promeretur, q dum ſanus & iuuenis eſt, dñm non veretur, nec iuſte ac timorate in om̃ibus conuerſatur. Ideó quidqd boni valeamus inſtanter, perſeuerãter ac feruide operemur. Matt.25.

Articulus XXIIII. De alijs decem generalibus tentationum remedijs.

IN om̃ibus exhibeamus nos ſicut dei miniſtros in multa patientia per arma iuſtitię á dextris & ſiniſtris. Supra decimo articulo tacta ſunt aliqua, quæ omnem Chriſtifidelem incitant, animant & accendunt ad reluctandum omni tẽtationi viriliter, & de vnoquoque illorum poſſet hic formari ſpecialis articulus, ſed prolixitas eſt vitanda: breuiter autem tangendo dicendũ, quód duodecimum generale remedium, valens ad 2.Cor.6.

reſiſtendum omni tentationi ac vitio, atq; ad proficiendum in omni virtute, eſt conſideratio præſentiæ iudicis ſummi vbiq; præſentis & omnia clariſſime ſemper ac diligentiſſime intuentis: ſi ergo præſentia & aſpectus iudicis terreni retrahit ſubditos à tranſgreſſiõe præceptorum illius, quanto magis ex conſideratione præſentiæ & aſpectus dei Saluatoris ac iudicis noſtri omnipotentis debemus cum omni ſolicitudine ac feruore omni tentationi iugiter repugnare, ac illud Apoſtoli adimplere: Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti. Deniq; ſi in præſentia garſiõis viliſſimi erubeſceremus turpiter loqui & obſcœna peragere quantæ irreuerentiæ, impudẽtiæ, ſtultitiæ, excæcatiõis & peruerſitatis eſt, ſummo adorandoq; deo ac iudice præſente & inſpiciente fœda & impia cogitare, appetere, loqui aut agere? Quæ adultera inuenitur tam impudica, vt vidẽte ſuo marito fornicetur cum alio? Quàm vilis ergo vitioſa, impudẽs atq; damnabilis eſt anima Chriſto in baptiſmo & pœnitentia per fidem & charitatem deſponſata, quæ ipſo relicto ac contuẽte cum carne & mundo, cum dæmonibus & vitijs fornicatur

2.Tim.2.

nicatur? Inſuper, nonne rex terrenus arbitraretur ſibi maximam irrogari iniuriam, ſi quis ex ſua familia ipſo aſtante, prohibente ac cominante violaret ipſius præcepta? Valde ergo iniurioſum eſt deo ſublimi ac ſancto, ꝙ eo vidente, præſente atq; æterna ſupplicia cominante audemus tranſgredi eius præcepta. Quę cum ita ſe habeant, debemus ex conſideratiõe pręſentiæ ſummi dei ac iudicis metuendiſſimi omnem tentationem & iniquitatem abijcere, viriliter agere, ac reuerenter coram altiſſimo in omnibus conuerſari, illud Heliæ frequẽter penſantes: Viuit dominus, in cuius conſpectu ſto hodie, vt cum pſalmiſta ex ſentẽtia dicere valeamus: Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meę in conſpectu tuo. Amplius, ex conſideratione præſentiæ ac venerabilitatis angelorum ſanctorum & omnium beatorũ nos intuentiũ ſic agere & ita nos habere debemus. 4.Reg.3. Pſal.118.

XIII Tertiumdecimum tẽtationũ remedium eſt conſideratio magnitudinis præmij & gloriæ brauij, honoris, laudis, meriti ac profectus eorum qui tentationes viriliter perſeuerãterq; vincunt: quia ex tali victoria proficiunt in

hac vita in charitate & gratia ac meritis vitę æternæ, fiuntq́ triumphatores inuiſibilium hoſtium, mundi quoq́ & carnis ac vitiorũ, & inclyti milites Chriſti, amici & filij dei, ſicq́ diligũtur, reputãtur & honorãtur à rege vniuerſorũ & ab omnibus ſanctis eius atq́ ęternæ felicitatis ſortiuntur coronã. Hinc tali vi-
Apoc. 2. ctori Chriſtus in Apocalypſi multa promittit: Vincenti, inqens, dabo edere de ligno vi-
Eodem. tę quod eſt in paradiſo dei mei. & rurſus: Vincenti dabo mãna abſconditũ, & dabo illi calculũ candidũ, & in calculo nomen meũ ſcriptum, quod nemo ſit niſi qui accipit. Itemq́:
Apoc. 3. Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis, & confitebor nomen eius corã patre meo. Itaq́ nullũ tẽpus nobis longũ videatur, nullus labor difficilis, nullũ certamen graue, quo tantam beatitudinem, tantam fructuoſitatem adipiſci valeamus, imò intuitu tanti meriti tantiq́ ineffabilis prǽmij cum iucunditate & feruore omni tentationi & culpæ infatigabi-
2. Tim. 3. liter reluctemur cum Apoſtolo confitentes: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meũ ſeruare: Vt cum eodem finaliter dicere valeamus ad laudem omni-

potentis

potentis: Bonum certamen certaui, curſum 2.Tim.4.
conſummaui, fidē ſeruaui, ſupereſt mihi corona iuſtitiæ. Indeſinenter ergo penſemus q̄ ſtultum & impiū ſit tanta merita ac præmia per tentamenta ac peccata amittere, ſempiterna gloria pro breui delectatione ſeipſum priuare. Quartumdecimum tentationum re- XIIII
mediū eſt, conſideratio ſtrenuitatis fidelium dei pugilum ac militum, qui in tentationibus inclyte præualuerunt: qui cum fuerint nobis ſimiles in natura, & non viribus ſuis ſed dei auxilio triūpharunt, debemus eorum animari ac confortari exemplo, ſicut de hoc ſcriptū eſt plenius ſupra, idcirco pertranſeo.
Quintumdecimum tentationū remedium XV
eſt, conſideratio fidelitatis quā deo & regi ſaluatoriq; noſtro tenemur, q in ſeipſo tam venerabilis eſt, & tot & tāta nobis beneficia eſt largitus, quòd nulla tētatione debemus nos ab eius fidelitate ac ſeruitute auertere, nec eius aduerſarijs adhærere, nec ipſis cooperari ad iniuriam fideliſſimi dei regis & Saluatoris noſtri. Sextumdecimum eſt timor XVI Eccl.3.
dei, quoniam timor retrahit à peccato atq; ſollicitat ad vitandū pericula & peccata, ſicq; parit

parit diligentiam bonam,quæ negligentiam
Eccle.7. pellit,& tentamentis reſiſtit. Vnde Salomon
conteſtatur. Qui timet deum,nihil negligit.
Eccle.27. atq; in Eccleſiaſtico ſcriptũ eſt: Si non timo-
re dei tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur
domus tua: etenim timor iſte cauendo offen
ſam dei & occaſiones peccãdi, meretur & ob
tinet ſuperna auxilia : nec em̃ dignus eſt de-
ſuper adiuuari, qui non ſatagit dei offenſam
Deu.23. cauere. Ideo in Deuteronomio docetur: Quã
do egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos ad
pugnã,cuſtodi te ab omni re mala. Septimũ-
XVII decimum tẽtationum remedium eſt,tam in
confeſſione ſacramẽtali quàm extra eam ſpi-
ritalibus & diſcretis viris ipſas tentationes
integraliter propalare,conſiliũ quęrere & in-
formationem ſuſcipere ac implere. Hinc Io-
Ioſue.8. ſue dixit: Fili mi, da gloriam deo,& confite-
re ac indica mihi quid feceris. Vnde quidam
ſanctorum patrũ dixit fratri cuidam tentato:
Fili ne abſcondas cogitationes tuas: Ita em̃
confuſus ſpiritus immũdus diſcedet à te. Ni
hil enim ita confundit & allidit dęmonũ ver-
ſutiam & virtutem, quomodo ſi quis ſecreta
cogitationum & ſuggeſtionum prauarũ re-
uelet

uelet ſanctis ac beatiſſimis patribus. Nempe hoc ipſum humilitatis eſt atq; diſcretionis, idcirco proſternit diabolum: qui cum quęrat decipere, odit lucem, & ſuarum ſuggeſtionū manifeſtationem abhorret. De hoc Climachus multa ſcribit. Decimumoctauū remedium eſt conſtātia, ſtabilitas & magnanimitas cordis, iuxta illud ſecundi Paralipomenon: Conſtantes eſtote & ſtate confidēter, & videbitis auxilium domini ſuper vos. Ideo ſanctus Iob dixit: Donec deficiam nō recedam ab innocētia mea. Iuſtificationem quam cœpi tenere, non deſeram. Magnanimus quoq; ex impugnatione & læſione ſua fortius prouocatur ad reſiſtendum. Vnde ſcriptum eſt: Diuiſo contra ſe Ruben magnanimorū cōtentio reperta eſt. Nonumdecimum eſt miſericordia circa proximos: qui em̄ alijs pius & compaſſiuus exiſtit, & cūctis pro poſſe ſuo libenter ſuccurrit, meretur iuuari & ſpecialē ac grandem miſericordiā adipiſci à deo, qui ait: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Itemq;: Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. & Pſalmiſta: Beatus, inquit, qui intelligit ſuper ege

XVIII

1. para. 20.

Iob. 27.

Iudic. 5.

XIX

Matt. 5.

Matt. 7.

Pſal. 40.

numi

num & pauperem, in die mala liberabit eum dominus. Dominus conſeruet eũ &c. Vice-
XX ſimũ eſt fides, quę eſt totius ſpiritalis ſtructu-
Abac.2. ræ interioris militiæ ac meritorij exercitus
Roma.1. fundamentũ, ſicut ait ſcriptura: Iuſtus ex fi-
1.Ioan.5. de viuit. Idcirco in prima ſua Canonica ſan-
ctus ait Ioãnes: Hæc eſt victoria quæ vincit
1.Pet.5. mundũ fides noſtra. Princeps quoq; apoſto-
lorũ: Diabolo, inquit, reſiſtite, fortes in fide.
Ephe.6. Vas itẽ electionis hortatur: In omibus ſumẽ-
tes ſcutũ fidei, in quo poſſitis omnia tela ne-
quiſſimi ignea extinguere. In lumine etenim fidei cernimus quãta ſit eorũ qui tentationi-
bus vincũtur damnatio, atq; q̃ ingens vin-
centiũ beatitudo: fides equidẽ eſt oculus cor-
dis, ea quę ratione trãſcendũt oſtendẽs. Vi-
XXI ceſimũ primũ tentationũ remediũ eſt chari-
tas, quæ teſte Apoſtolo nõ irritatur, non agit
1.Cor.13. perperã, & ſuper omia roborat mentẽ in deo, nec ſine eius motiõe aliquod prędictorũ re-
mediorũ tentationibus meritorie reſiſtit aut pręualet, imò & multo plus meritoriũ ac deo acceptũ eſt, tentationibus vitijs q; reſiſtere, & quæ bona ſunt agere, ſolo intuitu ac puro amore dei q̃ timore pœnarum aut deſiderio

præmio

præmiorum. Nulla quoq; virtus, nulla forma tam prõpte ac delectabiliter agit vt charitas, quæ præ cunctis virtutibus indiſſolubiliter figit ac ligat mentẽ cum creatore, ita vt dicere queat: Quis nos ſeparabit à charitate dei? Et rurſus: nec mors, nec vita, nec alia creatura poterit nos ſeparare à charitate dei, quę eſt in Chriſto Ieſu. Verũ tẽtationibus ita reſiſtere pręcipue cõpetit pfectis hoibus. Nihilominus vnicuiq; deũ diligenti, conuenit deũ ſuper omia appretiari incõparabiliterq; amare ac reputare. Non ergo permittamus nos ab hac dei appretiatiõe atq; amore per nebulas paſſionũ, inquietudines ac vehemẽtias tentationũ aut per tenebras vitiorũ auelli ſeu obſcurari, imo quidqd charitate dei cõtrariatur, cũ indignatiõe bona abijciamus, dicentes, tfy: Quemadmodũ em̃ negotiator ſapiẽs iuſte indignaretur, ſi qs ei pro pretioſiſſimis mercibus pretiũ offerret viliſſimũ nec dignaretur aſpicere illũ: ſic dei amator indignari debet om̃i tẽtanti atq; tẽtatiõi offerentibus ſibi pro deo & ſpiritalibus ac ſupnaturalibus donis grãæ ac glorię eius digniſſimis vana, carnalia, vilia & caduca. Iuxta hũc

Roma. 8.

Tfy eſt interiectio cõtẽnentis aut nauſeantis.

modum poſſent & alia tentationum genera-
lia remedia aſſignari, vt patientia, & conſimi-
lia quædam, cum dicat Saluator: In patientia
Luc.21. veſtra poſſidebitis animas veſtras. Nempe
contra tentationes aduerſitatum & aſſiduas
impugnationes, diuturnas, improbas, ac mo
leſtas, multū valent manſuetudo ac patiētia.
Sed de his iam tantundē tetigiſſe ſufficiat.

Articulus XXV. De varijs adiutorijs quæ miſericors deus impendit hominibus contra tentationes vltra virtutes infuſas.

SI putas in robore exercitus bella con-
ſiſtere, ſuperari te faciet dñs ab hoſti-
2.para.25 bus: dei quippe eſt adiuuare & in fugam ver
tere. Certū eſt, ꝙ ad meritorie agendū non
ſolū indigeamus ſupernaturalibus & infuſis
habitibus gratię gratum facientis, & virtutū
atq; donorum, ſed etiam actuali motione ſeu
excitatione ſpiritus ſancti. Et quæri poſſet, an
vltra hæc indigeamus adhuc alijs auxilijs
creatoris cōtra tentationes: & videtur quòd
2.Cor.12 non: quia ad Paulum dixit, ſufficit tibi gratia
mea. Virtutes quoq; fortiores ſunt vitijs: ſed
penſan

penſandum, quòd vltra prędicta contulit nobis benigniſſimus ac prouidiſſimus conditor alia multa ſubſidia contra tentationũ certamina. Primũ eſt totius militantis eccleſiæ communicatio atq; ſubuentio mutua, iuxta illud pſalmi: Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua. Vniuerſi nanq; fideles per charitatem cõnexi, ſunt vnum myſticum corpus, & ſibiinuicem cõmunicant merita ſua ac ſuffragantur. Vnde ſuper Lucam dicit Ambroſius: Oret pro te mater eccleſia, quę pro ſuis filijs quaſi vnica mater interpellat. Secundum eſt adiutorium prælatorũ, qui ſubditis ſuis orando, inſtruendo, corripiendo ſuccurrũt, cum ſint mediatores inter Chriſtũ & gregem ipſius. Hinc Moyſes filijs Iſraël loquens: Ego inqt ſequeſter & medius eram inter deũ & vos. Ad Ezechielem quoq; dominus ait: Speculatorem te dedi domui Iſraël. Hinc paſtorum eſt ſubditos cõtra tentationes præauiſare ac præmunire, modumq; & practicam reſiſtendi docere. Tertium eſt charitatiua ſubuẽtio, conſulti, oconſolatio ſeu conformatio proximi cuiuſcunq;, quemadmodũ in Eccleſiaſti-

Subſidia contra tentationes. Primum. Pſal. 118. — II — Deut. 5. — Ezech. 3. — III — Eccle. 17.

co ſcriptum eſt. Vnicuiq; mandauit deus de proximo ſuo. Vnde & Paulus hortatur: Al-
Gal.6. ter alterius onera portate. & denuo: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpũales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpi-
1.Pet.4. ritu lenitatis. Ad quod beatiſſimus princeps apoſtolici chori hortatur, dicẽdo: Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiã, in alterutrũ illam admini-
IIII ſtrantes. Quartũ eſt angelorũ ſanctorũ cuſtodia, de quibus Heliſæus locutus eſt: Plures nobiſcũ ſunt &c. Hinc cũ abbas Moyſes poſt ſuæ conuerſationis exordiũ ſtimulo carnis acerrime tentaretur, & pro conſolatione veniſſet ad abbatem ſanctũ Iſidorũ, ille fecit abbatem Moyſen ad orientem aſpicere, viditq; innumerabilem multitudinem angelorum ad ſubueniendum paratam. Quintum
V & pręcipuũ auxilium eſt meritũ Chriſti mediatoris & interpellatio eius pro nobis, iuxta
1.Ioan.2. ta quod in prima ſua canonica Ioãnęs ait: Si quis peccauerit, aduocatũ habemns ad patrem Ieſum Chriſtũ iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: qui (vt ad Hebræos
Heb.9. ſcribit Apoſtolus) introit in ipſum cœlũ vt appareat nũc vultui dei pro nobis; Ipſe etem
vt

vt electus ait Bernardus, oſtẽdit patri latus
& vulnera: atq; vt ad Romanos ſcribitur, Rom.8.
interpellat pro nobis. Sextũ eſt aduocatio & VI
oratio, meritũ & ſubuẽtio glorioſiſſimis vir
ginis deo patri cõparentalis, quæ eſt aduoca
ta eccleſiæ, miſeratrix, adiutrix & mater om-
nium ad ſe confugientiũ, conculcatrix capi- Gen.3.
tis dæmonũ, atq; in omni neceſſitate ſubuen
trix. Septimum eſt ſubſidium totius trium- VII
phantis eccleſiæ matris noſtræ, & ſpecialiter
ſanctorũ illorũ ad quos quiſq; maiorem ha-
bet deuotionem, confidentiam & recurſum.
Michael quoq; princeps magnus cõmiſſæ
ſibi eccleſiæ ſpecialis ac fideliſſimus eſt pa-
tronus. Octauũ eſt refrenatio inuiſibiliũ ho- VIII
ſtium ne nos tentent quantũ vellent ac poſ-
ſent, quæ refrenatio miniſterio fieri ſolet ſpe-
cialis chori angelici. Vnde in Apocalypſi Apoc.20.
legitur ſatanas religatus. & in Tobia legitur Tob.8.
Raphael angelus religaſſe dęmoniũ in deſer
to ſuperioris Aegypti. Chriſtus demũ pote- Luc.11.
ſtatem dæmonũ præcipue refrenauit ac mi-
nuit, ſicut in Euangelio proteſtatur: Cum
fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pa-
ce ſunt ea quæ poſſidet: ſi autẽ fortior illo ſu-

peruenìens vicerit eum, vaſa eius diripiet &
IX cætera. Nonũ eſt effugatio hoſtium, qui diui
na ope frequenter ſaltem ad tempus fugan-
tur à ſeruis dei, nec impugnare eos ſinuntur.
Lucæ.4. Vnde & in Luca aſſeritur: Conſummata om
ni tẽtatione diabolus receſſit à Chriſto vſq;
ad tempus. In cuius rei figura dixerunt Ae-
Exod.14. gyptij: Fugiamus Iſraëlem, dominus enim
X pugnat pro eis contra nos. Decimũ eſt pro
fectus ſpiritalis & gratiæ incrementũ, quod
tentatus tentatori reſiſtendo diuina ope con
1.Cor.10. ſequitur, iuxta illud Apoſtoli: Deus faciet cũ
XI tentatione prouentum. Vndecimũ eſt actua-
lis illuminatio ſeu gratia diſcretiõis ſpirituũ,
qua qui tẽtatur, in ſuo cõflictu intelligit ver-
ſutiam inimici, & qualiter ſit reſiſtendũ: per
quam beatiſſimi viri Antonius & Martinus
diabolum in ſpecie Chriſti apparentem ado-
Gẽ.32. rare nolebant. Abraham vero & Ioſue ac alij
Ioſue.5. quidam angelos eis apparentes mox cultu
duliç adorauerunt: quoniam ex dono diſcre
tionis ſpirituum cognouerunt ꝙ vere erant
XII angeli ſancti. Duodecimum eſt timor, diui-
na inſpiratione cõceptus ex ipſa tentationis
impugnatione, quo tentatus timet ſuccum-
bere

bere atq; ex hoc cauet & ſollicitatur ad reluctandum, quemadmodum in certaminibus cæli prouocantur ad repercutiendum. Tertiumdecimū eſt, forma in qua tentator cogitur apparere vt ex ea fraus callidiſſimi deprehendatur facilius, ſicq; ſecundū magiſtrum Sententiarum & alios multos, aggreſſus eſt Euam in forma ſerpētis, & glorioſo patri Antonio apparuit ſpiritus fornicationis in ſpecie pueri turpis nigerrimi. Quartumdecimum eſt releuamē quoddam, conſolatio ſeu refrigerium deſuper datum in ipſo tentationis ardore, iuxta illud in pſalmo: Secundum multitudinem dolorū meorū in corde meo conſolationes tuę lętificauerunt animā meā. Vnde & Paulus fatetur: Benedictus deus qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Quintumdecimum eſt repauſatio qua interdum concedit ſuos à tentationū labore ad tempus quieſcere, vt interim vires reſumant, & ad futurum præparent ſe conflictū, ſicut in exteriori vidimus luctamine. Vnde in Tobia dicitur deo: Non delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatē tranquillum facis, & poſt fletū exultationem in

XIII (margin, at "Tertiumdecimū"); XIIII (margin, at "Quartumdecimum"); Pſal.93.; 2.Cor.1.; XV; Tob.3.; Matt.8.

Matt. 8. ſundis. In Matthæo quoq; iuxta myſticum fertur ſenſum: Imperauit mari & vẽtis, id eſt, inquietudini impugnationum atq; dæmonibus, & facta eſt trãquillitas magna, id eſt pax

XVI cordis. Sextumdecimum eſt conſortatio ſeu erectio cordis in deũ aut corroboratio ſpei viſibiliter aut inuiſibiliter facta, in cuius rei

Luc. 22. ſignum angelus apparuit Chriſto prolixius

XVII oranti. Septimumdecimũ eſt ſuppoſitio manus dei qui ſuſpicit & à colliſione præſeruat ſuos, ne tentatione penitus conterantur, iux-

Pſal. 117. ta illud pſalmi: Impulſus euerſus ſum vt caderem, & dominus ſuſcepit me. Itemq; : Iu-

Pſal. 36. ſtus cum ceciderit non collidetur, quia dominus ſupponit manũ ſuam. Permittit quippe deus ſuos electos interdum impelli & pene vſq; ad ruinã deuenire peccati, vt ſuas recognoſcant infirmitates, non autẽ permittit eos in foueam corruere culpæ, aut lapſos pijſſi-

XVIII me erigit. Octauumdecimum eſt ſuſceptio confugientium ad ſe, iuxta quod pſallimus:

Pſal. 89. Domine refugiũ factus es nobis. In Pro-

Prou. 18. uerbijs quoq; legitur: Turris fortiſſima nomen dñi: ad ipſum currit iuſtus & ſaluabitur.

XIX Nonumdecimum eſt corporalis labor, pau

pertas

pertas, infirmitas ſiue aduerſitas, per quas tentationes vinci ſolent aut minui. Vnde in Oſea dñs loquitur: Ecce ſepiam viam tuam ſpinis. Hinc recitat Caſſianus, quòd dum in congregatione quadam quidam adoleſcens ſtimulo carnis acerrime tentaretur, ordinauit monaſterij pater vt vnus ſeniorum vir ſerioſus iuuenem illum quotidie exerceret aduerſis & proclamaret, ac coram abbate multipliciter accuſaret, atq; vt fratres in teſtimonium adducti teſtarentur pro ſene. Qua exercitatione per annũ exhibita dixit ad iuuenem abbas: quid eſt fili? adhuc te ſtimulat caro? reſpondit: pape viuere non licet, fornicari liberet? Ecce quot, quanta & qualia prouidit & contulit nobis clementiſſimus pater cœleſtis auxilia aduerſus mundi & carnis ac dæmonum tentamenta. Idcirco non diffidamus, ſed confortati in domino agamus viriliter, ac bonum fidei agamus certamen, & carnem ac ſenſualitatem rebellem ſic rationabiliter diſciplinis, vigilijs ieiunijs, abſtinentijs, aſperitate veſtitus ac laboribus caſtigemus, vt in ſpiritus ſeruitutem ſalubriter redigatur.

Oſee.2.

Pſal.26.

Articulus XXVI. De varijs modis diabolicæ impugnationis.

Iob.17. Libera me & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Callidiſſimi & male expertiſſimi noſtræ ſalutis hoſtes innumerabiles habent nocēdi & tētandi inſidiandiq; artes ac modos: & victi in vno nocendi genere, aliud mox aſſumunt: victū quoq; in vno ad grauiora paulatim facinora trahere moliuntur, atq; in his vitijs quemq; ſuperare ac lædere ſatagunt, ad quæ eū proniorem conſiſtere, ſiue ex naturali diſpoſitione, ſiue ex aſſuefactione, ſiue ex circunſtantia rerum vel occaſione conſpiciunt. Hinc aſſerit Leo Papa: Non deſinit antiquus hoſtis tentationum laqueos vbiq; prætendere, vt corda credentiū quoquam modo queat corrumpere. omnium diſcutit mores, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi quærit cauſas nocendi, vbi viderit quenquam diligentius occupari. hinc nouit cui carnis illecebras ingerat, cui inuidiæ virus infundat, cui luxuriæ incitamenta apponat. Nouit quem mœrore conturbet, quē gaudio fallat, quem

metu

metu opprimat, quem admiratione deijciat. Hinc ait & Hugo: Diabolus dum quenquã decipere quærit, prius naturam illius conſiderat, & ibi ſe applicat ad nocendũ, vbi pronum aſpicit hominem ad peccandum: blandis ac leuibus mentibus ſæpe apponit luxuriam aut gloriam vanam: aſperis autem elationem, crudelitatẽ & iram. Itaq; vnuſquiſq; contra vitia illa ſolicitius prælietur, inuigilet & armetur, ad quæ ſe procliuiorem conſiſtere intuetur. Præterea iuxta prætacta ex verbis felicis Bernardi, quatuor ſunt tentatiões, contra quas indigemus vndiq; ſcuto dei circundari: Timor patiendi aduerſa & afflictiones, correptiones, iniurias, aſpernationes, nocturnus eſt ac tenebroſus, quia abſcondit ab oculis cordis, q̃ non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam quæ conferenda eſt nobis, ſed facile hunc timorẽ radius exufflat ac reijcit veritatis, dum ingerit oculis cordis nũc mala quæ fecimus vel bona omitendo incidimus: nunc æterna ſupplicia quę meruimus, nunc præmia ſempiterna quæ cupimus, iam ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus. Cumq; ad lucem tam multi- Rom. 8.

plicis veritatis receſſerit à te timor nocturnus, noli protinus eſſe ſecurus, ſed time ſagittam quæ in die leuiter volat, ſed non leue vulnus infligit. Hęc ſagitta eſt gloria vana, quam oportet cauere ſpecialiter eos qui ſunt feruentiores, ne deſerant ſcutum veritatis, dicentis: Qui gloriatur, in domino glorietur. & rurſus: Quid habes quod non accepiſti? Itemq́; Noli altum ſapere, id eſt magna de teipſo ſentire, ſed time. Inſuper pulſat & impugnat tentator à ſiniſtris puſillanimitate, deinde à dextris humana laude: quòd ſi nec ita deuicerit, dicet: Viribus præualere non valeo, ſed forte alicuius deceptoris ingenio decipere potero. Negociū perambulans in tenebris extat ambitio, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis. Contempſi (ait quis) vanam gloriam, quoniam vana eſt: ſed forte ſolidius quid affectat, puta diuitias aut honores. Quòd ſi proditorē hūc veritas inueſtigat & negotiū arguit tenebrarū, quid iam reſtat & ſupeſt callido inimico cōtra eos quos videt

Iere. 9. 1. Cor. 1. 1. Cor 4. Rom. 1 Pſal. 44.

videt omnino amare iuſtitiã & odiſſe iniqui
tatẽ,niſi vt iniquitatẽ palliet virtutũ imagi-
ne?Nempe quos pfectos videt boni amato
res ac virtutũ æmulatores, malũ eis perſua-
dere conatur ſub ſpecie boni,nõ mediocris,
ſed perfecti: vt q currit, de facili illud incur
rat:ſola autẽ veritas hãc palliatã detegit fal-
ſitatẽ.Pręterea paulatim ducit nos hoſtis ad
grauiora, trahẽdo à ſuggeſtione ad delecta-
tionẽ,à delectatiõe ad cõſenſum, à conſenſu
ad operis executionẽ,ab executiõe ad excu-
ſationis audaciam,ab excuſatione ad conſue-
tudinem prauã, à conſuetudine ad gloriatio-
nem in malis, à gloriatione iniqua ad iacta-
tionẽ de culpis, à iactatione ad obſtinationẽ,
ab obſtinatiõe ad deſperationẽ. Impius quip Prou.19.
pe cum in profundũ venerit vitiorũ,cõtem Pſal.66.
nit,dum demerſerit cũ paſſionũ tempeſtas,&
abſorbuerit eũ profundũ,clauſeritq́; puteus
ſuper eum os ſuum. Inſuper diabolus cum
præſumptuoſus & arrogãs ſit,libẽter ea quę
temeritatis & præſumptuoſitatis ſunt,perſua
det. Hinc in exordio ſeculorũ prouocauit
Euã ad iudicandũ de cauſa & intentione dei,
iubentis:Cur, inquiẽs,præcepit vobis deus
ne

ne comederetis ex omni ligno paradiſi? quæ cum repondiſſet: Ne forte moriamur: adiecit tentator mendaciũ dicens: Nequaq̃ moriemini. Cum enim ſit mendax & pater mendacij, vt ait ſaluator in Euãgelio Ioannis, nititur ſæpe per mendacia fallere, ſicq; decipit multos quos inſtigat ad vitia, promittẽs eis quòd cito reſurgent, vel ꝙ diu victuri ſunt, & ante obitum pœnitentiam peracturi, cum ignorent diem aut horam. Amplius in pœnitentia conſtitutos multipliciter fallit. Primo inducendo eos ad conſiderationem ſuæ infirmitatis, abſq; attentione ſubuentionis pietatis diuinæ, ita ſuſurrans: tu infirmus es, & talia poteris obſeruare? Sic quoq; retrahit multos ab aſſumptione vitæ religioſæ & actuũ pœnitentiæ. Cui dicendũ eſt, quod proprijs viribus non valeo, cum dei auxilio poſſum. iuxta illud Apoſtoli: Om̃ia poſſum in eo qui me confortat. Secundo fallit diminutionem oneris conſulendo quaſi nõ ſit neceſſe ſiue expediẽs tam ardue cõuerſari, Cui eſt reſpondendũ: quoniam arcta eſt via & anguſta porta ſalutis. Tertio omnia difficilia pariter proponendo, quę tamen ſunt ſucceſſiue agenda.

Ioan. 8.

Diabolus etiã in pœnitẽtia cõſtitutos fallit.

Philip. 4.

II

Matt. 7.

III

Idcirco

Idcirco dicendum eſt: Vna hora hoc faciam: alia illud: & paulatim per conſuetudinē omnia mihi faciliora ac delectabiliora reddentur. Quarto, ſuadendo id eſſe exoneratio- IIII
nem quod eſt aggrauatio maior: ſi eñ onus iuſtitiæ & ſatiſfactionis abijcimus, onere vitiorum ac iugo diaboli opprimemur, ac tandem in æternæ damnationis onus intolerabile dilabemur. Quinto fallit mentiendo ſpo- V
liationem eſſe exonerationē: velut ſi raptor aut latro alicui auferat omnia pretioſa quæ geſtat, & dicat: Ab onere tuo te releuaui: ſic cum diabolus inducit quēpiam ad abijciendum onus & iugū Chriſti, ſpoliat eum omni opulentia ſpiritali.

Articulus XXVII. De ſpecialibus tentationum remedijs, & primo quòd virtutes expugnāt tētationes ac vitia, & ſpecialiter quęlibet virtus vitiū ſibi contrariū: nec hoc ſolū, imò ꝙ quęlibet virtus valet ad reſiſtendum vnicuiq; tentationi & peccato.

Confortamini in domino, & in potentia virtutis eius. Induite armaturā dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quē- Ephe. 6.

admodum

admodum corporaliter præliaturi ſingula quæq; corporis ſui membra proportionatis & congruis muniũt armis: q̄ ſi in vna parte corporis fuerint forinſecus inarmati, poterunt ibi lædi ac peremi, ſicut & ſi toto corpore inarmati conſiſterent: ſi contra inuiſibiles æmulos vitiorũq; aciem pugnaturi, in ſingulis animæ ſuæ viribus virtutũ ac vitiorũ ſuſceptiuis debẽt eſſe ſpiritaliter conuenienter armati virtutibus ſingulis, vt vnicuiq; tentationi & culpę reluctentur virtute illis directe contraria, vtputa elatiõi, humilitate: iracũdię, mititate: incõtinentiæ, caſtitate. Nempe vt dici ſolet, contraria curantur contrarijs. vnde præhabitũ eſt, per contraria non per ſimilia eſſe tẽtationibus repugnandũ: ſicut & in naturalibus per aquã extinguitur ignis. Qui autem vitijs per vitia reluctantur, ſicut ſuperbi pro cõtumelia contumeliã, pro læſione læſionem rependũt: & ſi viſibilẽ ſuperẽt hoſtem, non tamẽ vincũt ſeipſos nec inuiſibiles inimicos, imo vincũtur ab illis, & à tentationibus ac peccatis, propter quod hortatur Apoſtolus: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Verũ vt aſſerit Auguſtinus: Bene

Rom. 12.

vincere

vincere, eſt omnes machinas vincere,id eſt, omne quod virtuti contrariatur vitare ac ſuperare. Nam & ſi quis totam legem imple uerit,offenderitq́ in vno,factus eſt omnium reus. Deniq́, quamuis charitati directe non contrarietur niſi rancor ſeu odium,ex conſe quenti tamen omne mortale peccatum cha- ritati contrariatur & eam expellit,imo vnū- quodq́ mortale peccatū cuilibet virtuti hoc modo contrariatur eamq́ tollit. Ideoſicut quælibet virtus ſaltem quantū ad ſuum eſſe formatum, per vnūquodq́ mortale peccatū amittitur: ſic vnaquæq́ virtus valet ad reſi- ſtendū vnicuiq́ tētationi ac vitio :quod cer tum eſt de virtutibus ſeu quarū actiões iam ſupra enumeratæ ſunt inter generalia ten- tationum remedia, puta de fide, ſpe, & cha- ritate, humilitate, patientia, diſcretione, ora- tione, quæ actus eſt latriæ : Nempe vt tā- ctum eſt,de fide ait Apoſtolus: In omnibus ſcutum ſumentes fidei &c. & de patientia Chriſtus:in patientia veſtra poſſidebitis ani- mas veſtras. Inſuper iuxta præhabita diabo- lus vnūquenq́ ex ea parte magis impugnat, in qua minus inuētus eſt armatus,hoc eſt de vitijs

Iaco.2.

Ephe.6.
Lucæ.21.

vitijs illis ad quæ ex complexione, vſu, ſocietate aut occaſione eſt pronior: idcirco requirit prudentia, vt vnuſquiſq; volens ſaluari, illis virtutibus ſe potiſſime ſtudeat præmunire, armare, confortare, perficere, ad quarum contraria vitia procliuiorem ſe inuenit. hinc clerici ad iracundiam proni, ſpecialiſſime debent niti ad manſuetudinis incrementum, atq; ad plenam totius iræ & impatientię extirpationē: ſanguinei ad carnalitatis refrenationem: melancholici ad inuidiā & ranchorem procliues, ad charitatis & pietatis ſynceritatem: phlegmatici triſtes, ad ſpiritalē lætitiam. Itaq; dum quis de carnali voluptate ac vitijs carnis tentatur, repugnet fides, dicendo: Non acquieſcas: quoniam ſi conſentis, damnationem mereris: ſpes quoq; reſiſtat, dicens: Quia per talia perdo regnū cœlorum quod pręβolor: ſimiliter charitas reluctetur ac dicat: Malo deum & amicitiam eius habere, q̄ vana & fœda: timor etiam retrahat, dicens: Abhorreo dei offenſam, vereor eius diſtrictum iudicium: ſic & fortitudo opponat ſe: Noli, inquiens, vilibus vitijs iſtis ſuccumbere: caſtitas item renitatur dicat q;

Vitijs carnis quomodo reſiſtendum.

catq́ꝫ: Puritatem amplector, turpitudinē ta-lem deteſtor: patientia vero impugnationē diabolicam & carnalem æquanimiter patia-tur, ita, ne tētatus ex aſſiduitate vel diuturni tate tentationis tædio obruatur aut fatiga-tus ſuccumbat: ſic & manſuetudo in omni conflictu tentationis iram deuitet, ne ratio per iracundiam perturbata à neceſſarijs con-ſiderationibus & ordinato impediatur pro-ceſſu, ad quem neceſſariam eſſe prudentiam conſtat. Simili modo opponendæ prætactæ virtutes ac cæteræ, in tentationibus quæ cir-ca alia verſantur peccata.

Articulus XXVIII. De remedijs contra tentationes ſuperbiæ.

INitium ſuperbiæ hominis eſt, apoſtatare à deo: quoniam ab eo qui fecit illum re-ceſſit cor eius: quoniam initium peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, implebitur ma-ledictis & ſubuertet eū in finem. De ſuperbia quid ſit & de ſpeciebus, filiabus, effectibus ac remedijs eius, de grauitate quoq́ꝫ ipſius, in alijs locis, præſertim in tractatu de Vitijs & virtutibus ſcripſi, & dicta ibidē hic reite- Eccle. 10.

 randa

randa non ſunt, niſi quòd nunc breuiter eſt tangendum, qualiter ſit tẽtationibus ac motibus ſuperbiæ reſiſtendũ. Mox ergo vt de ſuperbia ſenſeris te tentari, potes vniuerſa generalia tẽtationum remedia ſuperius introducta aſſumere, & per ea te tueri ac morbo peſtifero reluctari. Inſuper potes, imò & debes ſpecialibus armis atq; remedijs te munire ac telis reniti lætalibus horũ ſpecialiũ remediorũ cõtra tãtationes vitioſitates ſuperbiæ. Primũ eſt conſiderare, q̃ vilis & falſa, q̃ enormis & deteſtãda, q̃ damnabilis & peruerſa ſit ſuperbia in ſeipſa: ipſa etẽm ſummę veritati maxime eſt repugnãs, luci virtutũ omnino cõtraria, verę ſapientię ſplendori oppoſita, & omnem creaturã præcipue indecens: creatura ẽm eo ipſo quo ex nihilo facta eſt, atq; à creatore altiſſimo conſeruari, inceſſabiliter eget, & quantũ de ſe eſt, iugiter tendit in nihilum, & ex ſeipſa non habet niſi deficere & peccare. Ex his inquam debet & habet ſe ſemper corã præſtantiſſimo deo humiliare, paruificare, deijcere & nequaquam in altum ſeipſam extendere, neq; elationis aſſumere cornua.

Primũ cõtra ſuperbiam remedium.

II Secundũ remediũ eſt, conſide

rare

rare quàm vehemẽtiſſime diſpliceat deo ſuperbia, & quàm horribiliter ab exordio mũdi eam puniuit: ſuperbia etẽm maledicta tanquam furatrix ſacrilega vſurpat & aſſcribit ſibi quod dei eſt, & ipſum quantũ in ſe eſt ſuo priuat honore & gloria, ſic enim extollit ſuperbũ, quaſi à ſe ipſo ſit aliquid, & quaſi à ſe non à deo ſit & habeat id quod habet & eſt: ſicq; propriũ quęrit honorem, laudem & gloriam, & cupit præeſſe, præferri, honorari, timeri, famari. Deniq; propter vnum motum & conſenſum ſuperbiæ ſupergloriosiſſimus conditor in exordio ſeculorum æternaliter condemnauit excellentiſſimas creaturas, angelicos ſpiritus, immateriales & immortales ſubſtãtias: ſi ergo ob vnam ſuperbiam inflixit ſuis nobiliſſimis creaturis tam horrendam & interminabilem pœnã, quomodo putas te vilem ſaccũ ſtercoreũ immũditijs, defectuoſitatibus ſordibusq; repletum, quotidie ſuperbientem & mille elationibus ſordidatum, à ſancto & iuſto deo tractandum, ſpernendum, reprobandum damnandum? Audi quid Sapiens dicat: Tres ſpecies odiuit anima mea: pauperẽ ſuperbũ, diuitẽ mendacem, Eccle.25.

& ſenem fatuum & inſenſatū. Intolerabilior ergo videtur eſſe ſuperbia in paupere quàm in diuite. Hinc beatiſſimus apoſtolici ordi-
2.Pet.2. nis vertex in ſua ſecunda ſcribit Canonica: Si deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudētibus inferni detractos tradidit cruciandos: nouit dominus iniquos in iudiciū reſeruare damnandos. hinc quoq; beatus ait Bernardus: Quid tu ſuperbis? ſuperbientibus angelis deus non pepercit: quanto magis tibi putredo & vermis. Nihil ille, videlicet Lucifer, fecit: ſed tantum cogitauit ſuperbiam, & in momento, in ictu oculi irrecuperabiliter præcipitatus eſt: ſi ſic actum eſt de angelo, quid de te fiet terra & cinere? ille in cœlo intumuit, tu in ſterquilinio: quis non intolerabiliorem dicat ſuperbiam in paupere, quàm in locuplete, cum potentibus cognata videatur eſſe ſuperbia. Fuge ſuperbiā, quæ tam velociter ipſum quoq; cunctis ſyderibus clarius emicātibus ęterna caligine obtenebrauit Luciferum: quæ non ſolum angelum, ſed angelorum primū in diabolū commutauit.
III mutauit. Tertium eſt, conſiderare, quàm nociua ſit ſuperbia ſuo ſubiecto, expellit nanq; omnem

omnem gratiam & virtutem, & innumerabi-
lia vitia eam concomitantur: grauat ſcandali-
zatq; proximos, & facit hominē deo ac om-
nibus ſanctis odibilem: eſt quoq; ſignum re-
probationis: ſicut humilitas ſignum eſt præ-
deſtinationis ſecundum Gregoriū, & reddit
hominem diaboli ſeruū ac filium, qui eſt rex Iob. 41.
ſuper omnes ſuperbiæ filios. Cumq; in alijs
multis ſimilitudo virtutis ſeu vitij amicitiā
quandam ſoleat generare, vnus tamē ſuper
bus alium ſuſtinere non poteſt: quia vt Salo Prou. 13.
mon loqtur, inter ſuperbos ſemper ſunt iur-
gia: & vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contu-
melia. Quartū eſt conſiderare quæ & quan- IIII
ta peccata commiſit & incidit, imo quotidie
incidat ipſe qui de ſuperbia impugnatur: ſi
enim recte perpendimus quāta ſit cuiuſlibet
peccati mortalis enormitas, atq; quàm mul-
ta & magna ſint noſtra peccata præterita, ſeu
etiam quotidiana, & quantam per ea damna-
tionem meruimus ac meremur, non ſolum
non ſuperbiemus, imò & vehementiſſime
metuemus, profundiſſime quoq; & quaſi in
infinitū humiliabimus, deſpiciemus ac deij-
ciemus noſipſos. Quintum eſt conſideratio- V

propriæ fragilitatis ac pronitatis in omne malum, & defectuoſitatis naturalis & accidentalis in corpore & anima & in omnibus viribus eius, inſtabilitas, ignorantia ac fallibilitas rationis, infectio atque malitia voluntatis, rebellio carnis, corruptio ſenſualitatis.

VI Sextum eſt conſideratio infimi gradus propriæ ſpeciei: quemadmodum enim materia prima eſt infinitum & imperfectiſſimum ens in ordine rerum, ſic rationalis anima eſt infima & imperfectiſſima in ordine intellectualium ſubſtantiarum.

VII Septimum eſt conſideratio incertitudinis proprij ſtatus ac magnitudinis periculorũ, quibus expoſiti ſumus: Eccle. 9. neſcimus enim an digni ſimus amore an odio, & vtrum finaliter ſimus in æternum cõdemnandi an non, atque in medio laqueorum verſamur, & ab inuiſibilibus, atrociſſimis ac callidiſſimis inimicis vndique circũuallamur, tentamur & multipliciter lædimur: ideo timoratiſſimi, humilimi ac ſemper ſumme ſoliciti ac cuſtoditi eſſe debemus, imò eos quorum talis eſt ſtatus, ſuperbire ac ſine formidine ambulare extrema inſania eſt.

VIII Octauum eſt conſideratio immunditiarũ, ſordium & fœtorum

torum corporis noſtri. Nonum conſidera- IX
tio propriæ conditionis, quia ex nihilo con- 1.Cor.4.
diti ſumus: & quidquid ſumus & habemus,
à deo adorãdo accepimus, nec ſine eius con
ſeruatione poſſemus ad momentum perma
nere in eſſe: & quo plura ac maiora ab ipſo
ſuſcepimus dona, eo plus obligamur ei
grati ac ſubditi eſſe, nec contra eum in ali-
quo ſuperbire. Decimum remedium eſt X
conſiderare quàm imperfecta, impura & de-
fectuoſa ſint opera noſtra bona, quæ vt ſan-
ctus aſſerit Iſaias, ſunt quaſi pannus men- Iſa.64.
ſtruatæ: & quidqd boni ac meriti eſt in eis, à
deo conceditur & procedit: quidqd vero cul
pæ & defectuoſitatis ipſis miſcetur, à nobis
exoritur: ſicq; in his aſſimilamur garſio-
ni viliſſimo, qui prætioſiſſimo balſamo ſibi
à domino ſuo oblato miſceret ſua ſtercora
& vrinas: ſic quippe chariſmatibus ſpiri-
tus ſancti nobis deſuper datis pro noſtra-
rum refectionibus animarũ, miſcemus cor-
dium noſtrorum diſtrictiones ſtultiſſimas,
phantaſias inanes, affectiones illicitas, negli-
gentias, irreuerentias, omiſſiones multipli-
ces, ita φ de ipſis bonis amplius formidare,

& noſipſos humiliare quàm præſumere, glo-
riari ac ſuperbire habemus, pręſertim cum
ignoremus an iuſto ac omnipotenti deo ac-
XI cepta ſint. Vndecimum remedium eſt, con-
ſiderare noſipſos per reſpectum ad ſuperio-
res, ſanctiores ac meliores, videlicet ꝙ non
ſolum in infinitum diſtamus à creatoris per
fectione & quòd ipſe dignus eſt cultu, hono
ratione ac dilectione in infinitum maioribus
quàm nos pauperes ac infirmi valeamus ei
offerre, ſed ꝙ etiam à perfectione omnium
beatorum deo in cœlis fruentium ineffabi-
liter prorſus deficimus: nec ſolũ à perfectio-
ne illorum, imò etiam à virtuoſitate multo-
rum adhuc in carne mortali viuentiũ, & prę-
ſertim ſanctorum patrum qui ante nos exti-
terunt: eſtq́ꝫ valde ſalubre ac ſapientiale, vt
aſſidue ſe attendat homo per cõparationem
ad meliores ac ſanctiores, potiſſime eos qui
ſuę vocationis ſeu profeſſionis fuerunt aut
ſunt, comparatione quorum ſumus ſicut lo-
cuſta, ad gigantem, arena ad montem, ſtilla
ad abyſſum: & ſicut garſio pãnoſus inter pur
puratos vileſcit, ſic nos cõparatione præce-
XII dentium patrum. Duodecimum eſt conſide
ratio

ratio diuini iudicij, in quo de beneficijs nobis deſuper collatis & de ingratitudinibus ac ſuperbijs noſtris ratione reddere nequaq̃ poterimus. Tertiumdecimum eſt, conſideratio XIII
totius humilitatis filij dei in ſeculo iſto ab exordio ſuæ natiuitatis vſq; ad ſuæ terminũ paſſionis. Nunquid viliſſimos tãti regis ſeruos decet aut licet ſuperbire, quibus ipſe tot humilitatis exẽpla præbuit & pręcepta? Deinde conſideratio ſanctorũ, qui quanto virtuoſiores & perfectiores, tãto & humiliores fuerunt. Quo igitur pacto nos defectuoſiſſimi ſuperbire atq; inaniter gloriari audemus, qui tam ineffabiliter ab alijs occumbimus, niſi quòd hoc ad miſeriarũ noſtrarum conſummationem, ad inſipientiarum & obtenebrationum noſtrarum plenitudinem ſpectat, vt cæteris vitijs ac ſtultitijs quibus ſordemus, ſuperbiæ quoq;, ambitionis vanę've gloriæ crimen adijciamus? Quartumdecimum XIIII
mum remedium eſt, ſeipſum in operibus humilibus, deſpectis obſequijs, libenter & ſæpe occupare & exercere. Præterea, ſi de his & conſimilibus remedijs virtuoſis & inuſitatis actibus bonis inuaſerit mentem aliqua ſpiri-

talis elatio aut gloriatio vana, retūdenda eſt per præmiſſa remedia: & ſolet & raritate aut nouitate bonorū exercitiorum oriri atq; per longum euaneſcere vſum. Itaq; per tot reme dia omni tentationi ſuperbiæ reſiſtamus, ad quam protinus reijciendam efficax quoq; remedium ſanctarum conſideratio ſcripturarum, quæ ſuperbiam tam terribiliter, euidenter ac copioſiſſime reprobat, vetat & damnat, contra quam & ſancti patres ſpecialiſſime ac feruentiſſime conſcripſerunt: de qua

Superbia quid. Climachus proteſtatur: Superbia eſt negatio dei, inuentio dæmonum, deſpectio proximorum, & mater temerarij iudicij cōdemnationis q; aliorum, ſignum infructificationis, effugatio diuini auxilij, adductrix ruinarum & ſcelerum, fons iræ & impatientiæ ac rancoris, porta hypocriſeos, dæmonū firmamentū, inuiſceroſitatis incōpaſſionis q; cauſa, conſeruatio vitiorum, blaſphemiæ radix,

Geñ.11. Iſa.14. atq; vt Innocentius faſſus eſt, ſuperbia tur-
Geñ.3. rim Babylonis euertit, linguas confudit, an-
1.Reg.17 1.Reg.31 gelos præcipitauit, primos parentes paradi-
Heſt.7. 1.Mach.7 ſo priuauit, proſtrauit Goliā, deiecit Saulem,
2 Mach.9 ſuſpendit Aaman, interfecit Nicanorem, peremit

remit Antiochum, Pharaonem ſubmerſit, & ipſum Sennacherib interemit. Idcirco in Eccleſiaſtico ſcriptũ eſt: Sedes ducũ ſuperborũ deſtruxit deus, & gentiũ ſuperbarũ radices areſecit. Certe quẽ tanta remedia à tẽtatione & vulneratione ſuperbiæ nõ præſeruant, aut lapſum in eam non curãt, quẽ tot veriſſimarum ac ſaluberrimarũ conſiderationũ lumina à falſitate atq; caligine vanę ac tumidę cogitationis non eruunt, incurabilis, obſtinatus & nimium obſcuratus eſſe videtur: præſertim ſi ſpecialibus iſtis remedijs addantur generalia tentationum remedia præinducta. Vitanda eſt ergo om̃is ſuperbia cordis, oris & operis, inceſſus, ornatus veſtitus ac cæterorum. Hinc in libello de Conflictu virtutum & vitiorũ habetur: Superbia dicit: Multis aut omnibus melior es verbo, ſcientia, diuitijs, honoribus, & cunctis quæ vel carnalibus vel ſpiritualibus ſuppetũt chariſmatibus. Cunctos igitur deſpice, cunctis teipſum ſuperiorem attende. Sed ad hæc reſpondet Humilitas: Memento ꝙ puluis ſis, cinis & putredo: & ſi aliquid es, niſi te tanto humilies quanto magnus es, perdis omnino quod es.

Exod. 14. 4. Reg. 19 Iſa. 37. Eccle. 10. Geñ. 3.

Nun-

Iſa.14. Nunquid altior es angelo primo? nunquid ſplendidior es in terra q̃ Lucifer erat in cœlo? Quòd ſi ille de tãta ſublimitate per ſuperbiam cecidit, quomodo ad tantam celſitudinem ſuperbiens de imis conſcẽdes? Quàm denſiſſimis ſuperbię tenebris putamus in terra lutũ inuolui, ſi in cœlo potuit ſtella quæ mane oriebatur, lucis ſuæ globos amittere? Matt.11. Audi ergo ò tumor ſuperbiæ, audi adhuc magiſtrum humilitatis dicentem: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. & rurſus: Om̃is q ſe exaltat, humiliabitur. Itemq́ꝫ Luc.14.18 Iſa.66. Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem & quietum? audi Apoſtolum Philip.2. de vnigenito filio dicẽtem: Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: factus obediẽs vſq́ꝫ ad mortem. Si ergo tanta humilitate ſe depreſſit diuina maieſtas, ſuperbire debet in Ioan.3. aliquo humana fragilitas? Nunqd ſeruus aut creatura maior eſt dño aut creatore ſuo.

Articulus XXIX. De remedijs tentationum auaritiæ.

Qui

QVi volunt diuites fieri in hoc mun- do, incidunt in tentationẽ & laqueũ diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionem: Radix enim omnium malo rum eſt cupiditas. Quemadmodũ ait Ioan- nes apoſtolus: Qui ſe dicit in Chriſto ma- nere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambu lare. Nempe ad grauiorem ſui damnationẽ à Chriſto Chriſtianus vocatur, qui Chriſti veſtigia per virtutum itinera non ſectatur. Primum ergo & prorſus efficaciſſimum atq; per ſe vere ſufficiens remedium cõtra om- nem auaritiæ tentationem ac prauitatem eſt diligens conſideratio ſummæ ac pleniſſimæ paupertatis filij dei in ſeculo iſto: q cum eſſet diues, propter nos egenus factus eſt, imò tam pauper, vt ipſemet dixerit: Vulpes ter- ræ foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet: Qui etiã propter nos in cru- ce nudus ſuſpenſus eſt. Deniq;, quoniam ve nit in hunc mundum, quatenus exemplo & verbis ad ſpiritalia, cœleſtia & æterna bona digniſſima nos inuitaret, inflãmaret atq; per- duceret,

1.Tim.6. 1.Ioan.2. Act.11. 2.Cor.8. Luc.9. Ioan.19.

duceret, docuit cũcta carnalia, tranſitoria & terrena eſſe ſpernenda, niſi in quantum ad ſpiritalia & æterna fuerint neceſſaria ſiue ac-
1. Tim. 6. commoda, iuxta quod ait Apoſtolus: Habentes victum & quibus tegamur, his contenti ſimus. Hinc Climachus ait: Auarus
II eſt Euangelij ſubſannator. Secundum remedium eſt conſideratio ſalubrium ac terribilium doctrinarũ æternæ ſapientię cõtra auaritię morbum & impietatem. Etenim in Mat
Matt. 16. thæo Chriſtus loquitur: Quàm difficile qui pecunias habent intrabunt in regnum
Matt. 10. cœlorum. Quibus verbis adiecit, Facilius eſt camelũ per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. & ali-
Luc. 6. bi: Væ, inquit, vobis diuitibus, qui habetis
Iſa. 5. conſolationem veſtram. Vnde per Iſaiam locutus eſt: Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis:
III nunquid vos ſoli habitabitis in terra? Tertium eſt attenta conſideratio mortis, breuitatis quoque & incertitudinis vitæ præſentis, vnde ait Gregorius: Longa noſtra deſideria increpat breuis vita. Incaſſum multa pro victu portantur, cum prope eſt quo

pergitur

pergitur. Idcirco dixit Hieronymus: Faci-
liter deſpicit omnia, qui ſemper cogitat eſſe
ſe moriturum. Talis quippe attendit, quòd
omnia iſta terrena cito relinquet, quemad-
modum ait Apoſtolus: Nihil intulimus in 1. Tim. 6.
hunc mundum: haud dubium, quia nec au-
ferre quid poſſumus. Nonne ad oculū mors
oſtendit delitias, opes, honores ſeculi hu-
ius contemptibiles eſſe, quæ omnia ſimul in
momento derelinquuntur? Quartū eſt con- IIII
ſideratio inopiæ & ærumnæ, quæ diuitem &
auarū tempore mortis ac deinde æternaliter
comprehendūt. In morte namq; om̄ia ſua ter
rena relinquere cogitur, & comitatur eū ſua
cupiditas, pro qua infernalem penuriam, ca-
lamitatem, famē & ſitim ſortitur: in qua gut-
ta aquę ei negatur. Hinc ſcriptum eſt in Iob: Luc. 16.
Diues cum dormierit, nihil ſecum auferet. Iob. 26.
apprehendet eum quaſi aqua inopia. Pſalmi Pſal. 48.
ſta quoq;: Homo, inquit, cū dormierit, non
ſumet omnia, neq; deſcendet cum eo gloria
eius, & vſq; in æternum non videbit lumen.
Itemq́;, Nihil inuenerūt omnes viri diuitia Pſal. 5.
rum in manibus ſuis. Quintum eſt conſide-
ratio inſipientię, peruerſitatis ac confuſionis V
auaro

auarorum: quoniam terrena iſta vilia ac in-fima bona præferunt ſummo, inuariabili in-finitoq; bono, per quod maximam irreuerentiam irrogant infinitæ excellentiæ dei. Similiter temporales ac perituras citoq; deſerendas diuitias præeligunt & præponunt ſpiritalibus, ſupernaturalibus, præſtantiſſimis bonis gratiæ ac virtutum æternisq; donis gloriæ beatorum, carnem quoq; ſuam vilem cito in putredinem reſoluendam plùs amāt & excolunt quàm immortalem ac nobilē animam ſuam, quod totum ſtultiſſimum eſt & omnino præpoſterum, ac ſempiterna confuſione digniſſimū: idcirco à ſummo ac ſapientiſſimo iudice iuſtiſſime irridebuntur, & vnicuiq; eorum dicetur: Sapientia tua & ſcientia

Eſa.47. tua decepit te.

VI Sextum eſt conſiderare, q̈ vile & enorme peccatū ſit auaritia in ſeipſa: ſiquidē tanta eſt eius enormitas, vt dicat Apoſtolus: Auaritia idolorū eſt ſeruitus: plus em̄ quærit & colit nummū q̈ deum: plus quoq; honorat in proximis opes, quàm deum & gratias. Nam ſi occurrant auaro duo, quorū

Ephe.5. vnus ſit pauper & virtuoſus, alius diues & cupidus, plus appretiatur ac veneratur diui

tem

tem illum quàm pauperem talem. Ideò ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico: Auaro nihil eſt ſceleſtius, nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: hic enim animã ſuam habet venalem. Eccle.10.
VII Septimum eſt conſiderare ꝙ multa & magna peccata ex auaritia oriuntur: ipſa quippe, vt prætactum eſt in præallegatis Apoſtoli verbis, omnium malorum eſt radix: quoniam ex abundantia diuitiarũ ad quam tendit, ſequi ſolẽt vita guloſa & lubrica, ſuperbia, otiũ, iactantia, præſumptio, & innumerabilia mala. Vnde rectè Innocentius proteſtatur: Diues in ſuperfluitatem reſoluitur, iactantia effrenatur, currit ad libitum, corruit ad illicitum, & fiunt inſtrumenta pœnarũ, quæ erant oblectamenta culparũ. hinc denuo loquitur: Cupiditas ſacrilegia committit & furta, rapinas exercet ac prædas, bella gerit, homicidia facit, Simoniace vendit & emit, inique petit & rapit, iniuſte negociatur & fœneratur, inſtat dolis & fraudibus, diſſoluit pactũ, violat iuramentũ, mentitur, & falſa teſtimonia loquitur, & peruertit iudicium. Octauum eſt conſiderare tam mala culpæ ꝙ mala pœnæ, quæ non ſolũ in futuro ſed etiam in præſenti aua- 1.Tim.6. VIII

uaritiæ ſunt annexa: eſt etenim labor in acquirendo, timor in poſſidẽdo, dolor in amittendo diuitias: ideo pungunt, inquietant, dilacerant mentem, nec ſinũt eam in deo quieſcere, nec auditis dei ſermonibus obedire, atq; (vt ait Chryſoſtomus) diuitiarum ſequela eſt luxuria, gula, ira intemperata, furor iniuſtus, ſuperbia, iactantia, & omnis irrationabilis motus. hoc totum Chrſtus breuiter
Marc. 4. tangit cum ait: Aerumnæ, inquiens, ſeculi & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes in cor, ſuffocant verbum dei, & ſine fructu efficitur. Merito itaq; dixit Gregorius: Magna quies & ſecuritas cordis, nil habere concupiſcentiæ ſecularis. Nam ſi & ad terrena cõcupiſcenda cor inhiat, ſecurum & tranquillum eſſe nullatenus valet, imo (vt fatetur Bernardus) diuitiarum inſatiabilis amor longe amplius animam torquet, quàm eam ſuo vſu refrigeret.

IX Nonum remedium, conſideratio ſtatus præſentis: quoniam in hoc mundo poſiti ſumus vt peregrini & viatores: ideo ſicut ſtultus viator eſt qui ſibiipſi quotidie cupit augere ac ſuperimponere ea quorũ pondere à proceſſu

ceſſu impediatur: ſic ſpiritaliter ſtultus eſt, qui ſibi iugiter appetit plura tēporalia procreare, aut habita cupide reſeruare, quorum poſſeſſione, amore, abuſu & effectu magis ac magis à profectu impeditur virtutū, & à progreſſu ad verā ſalutem propter annexa eis mala, vt patuit: vnde ait Gregorius: Vitium auaritię mentē ea infectam tam grauem reddit, vt ad appetendū cœleſtia ſyncere attolli non poſſit. Etenim vili hanc terrenorū dominio ſubdit, atq; ſeruitute eam miſerrima deprimit. Decimū eſt conſideratio ſummi increati & incomparabilis boni, & ſpiritualium gratiarū ac æternaliū diuitiarū nobis in cœlis promiſſarum, cunctis terrenis diuitijs incomparabiliter meliorum, Vnde ait Gregorius: Si conſideremus quæ & quāta ſunt quę promittuntur nobis in cœlis, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris. Vndecimum eſt confidentiam filialem in deo habere: ipſe enim eſt fideliſſimus: pijſſimus prouidentiſſimus pater noſter, qui & bruta paſcit, multo magis hominibus prouidet: ideo ſuperfluā ſolicitudinē temporaliū prohibuit nobis, dicens: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinū: vult

(Margin: X — beside "Decimū eſt conſideratio"; Gregorius. — beside "Vnde ait Gregorius"; XI — beside "Vndecimum"; Matt.6 — beside "Nolite ſoliciti")

vult enim, vt in ipſo filialiter confidamus, ideo ſolicitudo ſuperflua ad diffidentiam ſpectat. Hinc denuo iuſſit ac repromiſit: Quærite primum regnum dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Cum eñ deus ſit bonus, diues atq; omnipotens, ipſe vtiq; ſeruientibus ſibi fideliter neceſſaria prouidet ac largitur.
XII Duodecimum eſt, ſcripturas ſacras attendere, quæ auaritiam maledicũt, reprobant & copioſiſſime damnãt, vt conſtat ex dictis: nam
Matt. 5. & Chriſtus primã beatitudinẽ poſuit paupertatẽ: Beati, inquiens, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnũ cœlorũ. Miſeri ergo ſunt auari & diuites, quia ipſorũ eſt exilium
XIII inferorũ. Tertiumdecimũ eſt, omnia propter deũ relinquere ac ſimul pauperibus erogare, aut ea paulatim pie liberaliterq; expẽdere. Expedit etiam cupidorũ vitare conſortia. Vitetur ergo hoc vitium, & omnis tentatio ad ipſum inſtigans penitus contemnatur: quia auaritia intantum excæcat mentem, vt cum
Matt. 16. Iudas vendiderit Chriſtũ pro triginta denarijs, auarus ſæpe pro vno denario deſerat deum, blaſphemet, mentiatur, peieret, decipiat: ideo Climachus loquitur: Auaritia eſt
adora

adoratio idolorum: mater infidelitatis, infirmitatum cauſatrix, ſenij diuinatrix, vt videatur terrena rationabiliter congregare, quaſi creator nõ habeat prouidentiã vitę humanę.

Articulus XXX. De remedijs ſpecialibus contra tentationes luxuriæ.

MVndemus nos ab omĩ inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore dei. 2. Cor. 7. Sunt vitia quædam in ſeipſis amara & afflictiua, aut afflictiones & difficultates ac reſiſtentias graues annexas habentia: ira nanq;, inuidia, indignatio, rancor, odiũ, timor, triſtitia, impatientia, amaritudo, contentio, in ſeipſis ſunt afflictiua: ſuperbia vero, ambitio, auaritia & conſimilia quædam habent annexas difficultates, labores, reſiſtentias, afflictiones. Nempe qui in montem dominatiõis, honoris aut præſidentiæ cupit & conatur aſcẽdere, multos patitur reſiſtentes ex aduerſo aſcendere cupientes, contra quos mordetur ſuſpicione, inuidia, odio. Itaq; tentationibus vitiorum iſtorũ efficacius reſiſtitur, intuẽdo & recte conſiderando eas, ac vitia de quibus impugnant: quo

enim diligentius conſiderantur, eo plus ab horrentur propter pœnalitates adiunctas. Porro alia ſunt peccata in ſeipſis delectabilia vt præſertim vitia carnis: quæ quanto plus conſiderantur, quamuis in ſeipſis ſint beſtialia, fœda, vilia atque enormia: tamẽ tantò plus titillant, excitant, mouent, alliciunt appetitum propter annexam delectationem concupiſcentiamque innatam: ideo talibus vitijs & eorum tentationibus melius reſiſtitur, cogitationem & omnem imaginationem atque memoriam & aſpectũ mox ab eis totaliter auertendo, etiam cum aſpernatione & indignatione ſalubri, imò & cum prolatione interiectionis iſtius tſy. Nam cum prolatione monaſyllabæ huius tſy, ſuperatur diabolus & ſtimulatio carnis, vt in tractatu ſuo de Vitijs & virtutibus ſcribit Guiielmus Pariſienſis. Ideo ſtatim dum ſentimus nos de vitijs carnis tentari, dicamus ex corde tſy: ſicque cum indignatione & contemptu ſordidi inquinamẽti auertamus nos à tali tentatione & ab omni intuitu ſui obiecti & occaſionis atque materiæ, quemadmodũ aduerſis oculis auertimus nos à fœtidiſſi-

marum inſpectione ſpurcitiarum. Hoc ergo
eſt primum præcipuumq́ remedium tenta-
tionum & vitiorum carnalium, mentem ab
eorum intuitu, commemoratione, imagina-
tione ſtatim auertere, cum tam vilium ſpur-
citiarum cordiali aſpernatione, eorũ quoq;
occaſiones, cauſas, materias, incitamenta &
obiecta fugere & vitare, ac inde ſe elõgare, ſi-
cut hortatur Apoſtolus. Quòd ſi quæratur, 1.Cor 6.
qualiter poſſit ſe homo inde ita auertere, po- Quo pacto ſe homo à tẽtationibus poſsit auertere.
tiſſime dum tentator talia oculis interiori-
bus importune, improbe atq; aſſidue repræ-
ſentat, caro quoq; inflãmetur, & intra ſe ſtimu
letur ita ignis concupiſcentiæ tanq̃ cliba-
nus interdũ exardeſcit in ea iuxta illud: Suc-
cenſi ſunt quaſi clibanus à coquente, eſt reſ- Oſee.7.
pondendũ omnis affectio ex prę uia qua-
dam apprehenſione ſeu cognitione proce-
dit, quia obiectũ appetitus eſt bonũ cognitũ:
Idcirco qui cupit inordinatam affectionẽ aut
carnalem concupiſcentiã, motumq́ corpo-
ris inde prouenientem vitare, ſtudeat vitare
aut à ſe protinus remouere apprehẽſionem,
inſpectionẽ ſeu imaginationẽ obiecti carna-
lis ſeu delectabilis rei, ad quam inordinate ac

ſenſualiter affici poteſt ſiue afficitur vel mouetur. Et ſi quæratur qualiter poſſit ſe à tali inſpectione,cogitatiõe ſeu imaginatiõe auertere:dicendũ,quòd conuertendo ſe ad conſiderationem rerũ ſalubrium, & potiſſime ad conſiderationem eorũ quæ pariunt compunctionem & ſalubrem timorem,piam compaſſionem vtilemq́ triſtitiam,vt ſunt conſideratio dominicæ paſſionis ac propriæ mortis, diuini quoq; iudicij & infernalis ſupplicij, ac pręteritarum culparum atq; aduerſitatum & tribulationum proximorũ fidelium,& quòd quotidie tot ac tanta fiunt in mũdo flagitia, tamq́ innumerabiles homines pereãt & dãnentur. Qui itaq; cupit carnaliũ tẽtationum & vitiorũ carnis euadere laqueos faciat ſibi conſuetudinem conſiderandi aſſidue paſſionem ſaluatoris ſecundũ omnem modum ſupra introductum,ac ſua nouiſſima & peccata præterita: pericula quoq; quibus vndiq; circunuallatur: ſicq́ quotieſcunq; ſe ſenſerit carnali tentatione pulſari,mox ad pręcordialem dominicæ paſſionis conſiderationem recurrat,& ſua aduertat nouiſſima, atq; quàm ſæpe
11 & grauiter offenderit deum. Secundũ reme-

dium

dium eſt immoderatam vitare potationem & refectionẽ lautam, ſuperfluam, præſertim calida alimenta,& vinum in quo viget luxuria, ex quibus carnalium vitiorum ac tentamentorum fœdorũ generantur incitamenta atq; materia: propter quod dixit Apoſtolus: Eph. 5.
Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: Nempe ex gula generari luxuriã, certũ eſt: & vt ait Hieronymus, Venter mero æſtuãs, in libidinem cito deſpumat. Tertium eſt, vitare lubricorũ conſortia, quæ ſunt vehementer nociua, ſicut ait ſcriptura: Qui ſe iungit fornicarijs: erit nequam. & rurſus: Amicus ſtultorum, id eſt, & carnalium & prauorum, efficietur ſimilis eis. Cum enim homo ex ſe ipſo ſit pronus ad vitia iſta, iuxta id Geneſeos, Senſus & cogitatio cordis humani proni ſunt in malum ab adoleſcentia ſua, ad vitia iſta aliorũ perſuaſionibus & exemplis faciliter trahitur. Quartũ eſt diligenter attendere, tamen celeriter ſine immoratione, enormitatem & vilitatem huius peccati & brutalitatem ac inhoneſtatem ipſius, ac mala ei annexa: quoniã multa ac grauia mala ex ipſo ſequuntur,& per vitium iſtud fit homo præcipue

III. Eccle. 19. Prou. 13. Gen. 8. IIII.

cipue beſtialis ac acedioſus, leuis, depreſſus, intimoratus: maxima quoq; turpitudo in ipſo apparet: idcirco præcipue derogat digni tati ac nobilitati naturę humanę. vnde & ſpe cialiter fertur coram deo & ſanctis eius fœ tere, ſenſibilem quoq; eius fœtorem multi virtuoſi perceperũt frequenter. Vnde in Vi taſpatrũ narratur de angelo ſancto, qui am bulans cũ eremita, & obuiam habens cada uer, nares non obſtruxit: obuians autẽ iuue ni pulchro, ſed lubrico, nares mox obſtruẽs, ſe ab illo auertit.
V Quintum eſt, bene penſa re qualis erit caro poſt mortem, quàm fœ da & putrida. Hinc fertur in Vitaſpatrum, quòd dum quidã frater in eremo vehemen tiſſime tentaretur de quadam muliere formo ſa, & audiſſet eam eſſe defunctam, nocte ape ruit eius ſepulchrum, & ſumens partem de putredine eius, poſuit eam in cella ſua: cunq; illius intuitu ac fœtore affligeretur, dixit cogitationi ſuæ: Ecce habes carnem quam appetebas, ſatiare eius amplexu: ſicq; ceſſa uit tẽtatio ſua. Refert quoq; Gulielmus Pa riſienſis: Quidam noſtris tẽporibus ſump ſit caluariam fœminæ ſpecioſæ, quam quo

ties

ties tentabatur, aſpexit: & ita ceſſauit ſua tentatio. Sextum eſt, incautos & moroſos mulierum aſpectus, amplexus & oſcula, familiaria colloquia, loca ſecreta, viſitationes, laterales conſeſſus, attractus, munuſcula deuitare. Dauid nanq; incaute aſpiciens, concupiſcentia fuit victus: & Samſon per fœminea blandimenta eſt ſuperatus. ideo ſanctus Iob ait: Pepigi fœdus cū oculis meis, vt ne cogitarem quidē de virgine. Et in Eccleſiaſtico habetur: Virginē ne conſpicias, ne ſcandalizeris in decore eius. Auerte faciē tuā à muliere compta. Noli reſpicere in vicis ciuitatis. Propter ſpeciē mulieris multi perierūt. Eadē ratione cohibendus eſt auditus ab aduertentia carminum amatoriorū fœmineorumq; cantūm. Septimum eſt otia fugere, ſeq; iugiter occupare honeſte: quia vt dicit ſcriptura: Multa mala docuit otioſitas: atq; in concupiſcētijs eſt otioſus & piger. Propterea de otioſis ait propheta: In labore hominū non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideo tenuit eos ſuperbia: tranſierunt in affectum cordis. Octauum eſt, omnem vitare ſuperbiam quoniam propter eam multi ſinuntur

VI — 2. Reg. 11 — Iudic. 16. — Iob. 31. — Eccle. 9. — VII — Eccle. 3. — Pſal. 72. — VIII

IX tur in vitia ruere carnis. Nonū eſt, corpus proprium egregie diſciplinare vigilijs, ieiunijs aſperitateq́ ſtrati ac veſtibus diſcrete
X domare, & in ſeruitutē redigere ratiōis. Decimū eſt, ſtudio ſacrę ſcripturę inſiſtere, ſeq́ ſpiritalibus exercitijs ſtrenue occupare: ideo ait Hieronymus: Ama ſtudia ſcripturarum, & carnis vitia nō amabis. Si his ſpecialibus tentationum carnaliū remedijs addantur generalia tentationum remedia, poterit deo auxiliante homo in omni tentatione huiuſmodi præualere: ad quod etiam confert potiſſime adimpletio Euāgelici conſilij Chriſti perpetuam continentiam conſulentis: conſideratio quoq́ aureolæ quæ ſimul cum præmio ſubſtantiali virginibus perpetuam virginitatem ſeruare proponentibus finaliterq́ reſeruantibus eſt promiſſa.

Matt. 19.

Articulus XXXI. De remedijs tentationum iræ & impatientiæ.

Prou. 27. Ira quid.

IRa non habet miſericordiam nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? Ira eſt deſideriū vltionis propter paruipenſionē iniuriam've illatam:

ſeu

ſeu irrationabilis commotio cordis propter quancunq; aduerſitatem. Primũ ergo cõtra tentationem ac vitium iræ remediũ eſt, conſiderare proprias culpas, ac propter eas ſe reputare om̃i vilipenſione, iniuria afflictioneq; dignũ atq; ob hoc talia æquanimiter tolerare: In multis nanq; offendimus omnes. Ideo in Iob ſcriptũ eſt: Vtinam deus oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ tuæ, & intelligeres ꝙ multo minora exigaris ab eo quàm meretur iniquitas tua. hinc Iudith ait: Nos ergo non vlciſcamur nos pro his quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia eſſe minora, flagella domini quaſi ſerui qui corripimur, ad emendationem & non ad perditionẽ noſtrã euenniſſe credamus. Sic Dauid rex iniurias, maledictiones, conuitia Semei manſuetiſſime ac patientiſſime tulit, quoniã conſiderauit ſe deum grauiter offendiſſe. Secundum remedium eſt, ſapienter attendere præordinationem prouidentiæ creatoris, qui eſt optimus ac fideliſſimus pater, ſine cuius præordinatiõe nulla aduerſitas poteſt nobis contingere, nec permittit nobis aduerſa accidere, niſi pro noſtro meliore quantum in

Primũ cõtra irã remedium.

Iaco.3.

Iob.11.

Iudith.8.

2.Reg.16

ipſo

ipſo: idcirco cuncta aduerſa & aſpera debe-
mus accipere tanq̃ quędã munuſcula de ma
nu patris altiſſimi, exemplo vnigeniti filij
dei, qui paſſione inſtante dixit ad Petrum
Ioan. 18. pro ipſo zelantem: Calicem quem dedit mi-
hi pater, non vis vt bibam illum? Tertium
III remedium eſt, aduertere maximam & multi-
plicem fructuoſitatem & vtilitatẽ iniuriarũ,
aſpernationum, afflictionum & aduerſitatum
dummodo æquanimiter tolerentur: ſunt ete-
nim medicinales, & valent ad delenda pec-
cata præterita, ad vitandũ præſentia, ad præ-
cauendum futura, ad impetrandũ gratiarum
chariſmata ac profectũ in eis, ad conforman
dum ſe Chriſto propter nos paſſo, ad euadẽ-
dum ſupplicia purgatorij aut inferni, & ad
ingrediendũ celerius, adipiſcendum copio-
ſius gaudia ſempiterna regni cœleſtis: ideo
Iob. 5. merito ait ſcriptura: Beatus homo qui cor-
ripitur à domino. Quartum remedium eſt,
IIII conſideratio totius manſuetudinis & patien
tiæ Chriſti in ſeculo iſto ab exordio ſuæ na-
tiuitatis vſq; ad mortem crucis, qui in tota
conuerſatione ſua ac paſſione tot & tãta abſq;
omni ſuo demerito tranquilliſſime tolerauit
&

& dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & hu- Matt.11.
milis corde. Quanto magis nos viles ac
miſeri peccatores debemus propter noſtros
exceſſus omnem paruipenſionem, aduerſita
tem, moleſtiã patienter ſufferre, cum Michea Mich.7.
propheta dicẽtes: Irã dñi portabo, quia pec-
caui ei. vnde in Threnis loquitur Ieremias: Thre.3.
Quid murmurauit homo viuens, vir pro
delictis ſuis? Quintum eſt, recte penſare q̃ V
vilis, irrationabilis, inhoneſta & pœnalis ſit
ira in ſemetipſa: nempe ex ſuo genere eſt pec
catum mortale, caninũ furibundũ, afflictum
valde & fatuũ: ideo ſcriptũ eſt: Virum ſtul- Iob 5.
tum interficit iracundia. & Salomon prote-
ſtatur: Ira in ſinu ſtulti requieſcit. Itemq́, Im Eccle.7.
patiens operatur ſtultitiam. Per iram feris Prou.14.
& canibus aſſimilamur: ideo Ioſeph ad fra-
tres ſuos, Ne iraſcamini, inquit, in via. Itaq́ Gẽn.45.
iracũdus ſeipſum affligit, perturbat, deordi-
nat, & maxime lędit, imo ſpiritaliter perimit.
propter quod ait Hieronymus: Quid iracũ Hieronymus.
do furor ſuus confert, quem ſæuiſſimis ſti-
mulis exagitatũ ita ab omĩ conſilio ac men-
te deturbat, vt dum iraſcitur, inſanire creda-
tur? Sextũ eſt, perpẽdere nocumẽta quæ ira- VI
ſcenti

ſcenti ac alijs infert ira: Mentem nanq; infatuat, ſapientiam aufert, ſpiritum ſanctū expellit, alios ſcandalizat, & cōtemptibilem efficit hominem atq; ineptum ad regendū ſeipſum

Gregorius. ac aliū: ideo ait Gregorius: Per irā ſapientia perditur, vt quid quo've ordine agendū ſit, neſciatur: Per iram quoq; iuſtitia vera relin-

Iaco. 1. quitur: quia, vt ait Apoſtolus Iacobus: Ira viri iuſtitiam dei nō operatur. Per iram gra-

Iſa. 56. tia vitæ ſocialis deperditur, māſuetudo amittitur, lux veritatis deſeritur. Per iram excluditur ſpiritus ſanctus, qui ſuper quietū & humilem requieſcit. Iracundus itaq; grauis eſt condomeſticis ſuis & ſcandaloſus: propter

Prou. 18. quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: Sſpiritū ad iraſcendū facilē quis poterit ſuſtinere? Hinc Climachus conteſtatur: Quemadmodum vnus lupus totum ouiū gregem perturbat, ſic vnus iracūdus aut impatiens totam congregationem inquietat. vnde & vnus ſanctorum locutus eſt patrū: Sicut fumus hoſpitē expellit de domo, ſic ira ſpiritū ſanctū de corde. & alter aſſeruit: Iracundus etiam ſi mortuos ſuſcitet, deo placere nō poteſt. Nempe ſicut tempeſtas nociua eſt vineæ, ſic iracun-

dia

dia cordi. Septimũ eſt ſi ipſum ad manſuetu VII
dinem & patientiã toto conatu indeſinenter
aſſuefacere, atq; addiſcere in paruis aduerſis
iram & impatientiã totaliter refrenare, ſicq;
eas paulatim omnino eradicare. hinc quidã
homines boni vt patientiã diſcerẽt, quoſdã
peruerſos & impatientes ſecũ detinuerũt, vt
eorum inſolentiã tolerando, manſuetudinem
plenam & patientiã diſcerent conſummatam.
Sic & Socrates interrogatus, cur domi tene-
ret duas vxores litigioſas & peſſimas, dixit:
Vt in domo patientiã diſcam, quam foris ex
hibeam. Octauũ eſt, commotionem & flam- VIII
mam iracundię intra ſe ſuffocare, ne erũpen-
do noceat, incendat ſcandalizetq; alios: ideo
ait Iſidorus: Tene ſilentiũ: tacẽdo citius vin
cis. hinc ſuper illud Prouerbiorũ, Fatuus ſta Prou. 12.
tim indicat iram ſuã, Gloſſa fatetur: Natu-
ra iracũdię eſt, vt prolata plus ferueat, repreſ-
ſa langueſcat. Vnde abbas Iſaac requiſitus,
cur ſic à dęmonibus timeretur, reſpondit: Ex
quo factus ſum monachus, nõ permiſi iram
vſq; ad guttur meũ aſcendere. Nonũ eſt, de IX
inhoneſtate propriæ iræ verecundari, & ſi-
bipſi de ira iraſci, eamq; debite in ſe caſtiga-

re. Ideo affirmat Ambroſius: Qui ſibiipſi iraſcitur, quia cõmotus eſt & ira victus, deſinit alteri iraſci: qui vero iram ſuã probare vult iuſtã, plus inflãmatur, & cito in crimẽ dilabi-
X tur. Decimũ eſt, proprias infirmitates & defectuoſitates quę ab alijs tolerãtur perpẽdere, ſicq; aliorũ defectus libenter ſufferre. Nam ideo quidã alijs iraſcũtur tam cito aut vehementer, quia defectus proprios nõ aduertũt. propterea monet Apoſtolus: Alter alterius
Gal. 6. onera portate. & rurſus: Conſidera teipſum, ne & tu tenteris. Improbũ autẽ eſt, velle portari à proximis, & eos pie portare non velle.
XI Vndecimũ eſt: facere ſibi quotidie forte propoſitũ abſtinendi ab omni ira & impatientia quidquid aduerſitatis occurrerit: atq; præmeditari quæ poſſunt occurrere, & contra ea per patientiæ clypeũ ſe parare: prçuiſa quip-
XII pe iacula minus nocẽt. Duodecimũ eſt, ſe ab iniuriante prudenter auertere, & aliã bonam occupationem ſeu locutionẽ aſſumere, vt ſic ſuæ cõmotionis homo obliuiſcatur: quẽadmodũ volens extinguere ignem, ſubtra-
XIII hit ligna. Tertiumdecimũ eſt, cõſiderare q̃ fructuoſum atq; laudabile ſit corã deo & bo-
nis

nis hominibus iram & impatientiam ſuperare. Quartumdecimũ eſt, obliuiſci iniuriam, XIIII iuxta illud Leuitici: Non quæras vltionem, Leuit.19 nec memor eris iniuriæ ciuiũ tuorũ. Poſtremo, ad extinguendũ iracundiam aliorũ valet exemplaritas in repreſſione propriæ iræ XV ac molle reſponſum, taciturnitas quoq; & beneficiorum impenſio. hinc in Prouerbijs Salomon faſſus eſt: Reſponſio mollis frangit iram. Itemq;, Munus abſconditũ extinguit iram, & donũ in ſinu indignationẽ maximã. & denuo: Si eſurit inimicus tuus, ciba illũ: ſi ſitit, potũ da illi: hoc enim faciens, prunas cõgeres ſuper caput illius. Siquidem beneficia ſunt velut prunæ ardentes ad amorẽ accendentes. His itaq; remedijs cum præinductis generalibus tentationũ medelis contra tentationes iræ ſimus ſemper muniti.

Prou.15.

Prou.21.

Prou.25.

Art. XXXII. De remedijs contra tentationes inuidiæ & rancoris.

NOn efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicẽ prouocãtes, inuicẽ inuidẽtes. Gal.9. Inuidia ex ſuo genere vitiũ eſt enorme ac venenatũ cũ ſit inordinata triſtitia quę inter om

nes paſſiones magis nociua eſt animę & corpori vitæq́ꝫ gratiæ ac vitæ naturæ, quia vt
Prou. 17. Salomon loqtur: Spiritus triſtis exiccat oſſa.
Prou. 25. & denuo: Sicut vermis nocet ligno & tinea veſtimento, ita triſtitia nocet cordi. Idcirco
Eccle. 30. in Eccleſiaſtico fertur: Triſtitiam nō des animæ tuæ: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea. Porro ex ſua ſpecie triſtitia eſt enormiſſimum venenatiſſimumq́ꝫ peccatum, cū ſit dolor de fraterna proſperitate, aut proximorum gratia ac ſalute: & quo ad hoc vltimum, eſt peccatum in ſpiritum ſanctum, cuius bonitati directe contrariatur. Primum ergo remedium contra tentationem inuidię, odij aut rancoris eſt, conſiderare enormitatem & venenoſitatem vitiorū iſtorum, ſicq́ꝫ ea totis præcordijs abhorrere, abijcere & odire, quoniam mentem omnino inficiunt, atq́ꝫ à fonte totius bonitatis ac gratiæ maxime eam elongant. hinc ſuper preallegatum verbum Apoſtoli, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, aſſerit Gloſſa: Per omne peccatū mortale hoſtis antiquus virus humano cordi infundit: in vitio autē inuidiæ tota ſua viſcera concutit, atq́ꝫ in hac imprimēda ſerpēs ille

Primū cō tra inuidiæ tentationem remedium.

Gal. 6.

ille infernalis peſtē vomit:hinc vitia iſta peſtilentica valde difficulter curantur, niſi ꝙ medicus ille cœleſtis omnipotens eſt. Deniq; vitia iſta charitati,quę ſumma virtus eſt, maxime ac directe contrariātur,idcirco ſunt vitioſiſſima, imò tam grauia, vt ſanctus Ioannes apoſtolus fateatur: Omnis qui odit fratrem ſuū, homicida eſt. Secundum reme- 1.Ioan.3
II dium eſt,penſare ꝙ vitia iſta prorſus diabolica ſunt: Inuidia nanq; diaboli mors introiuit in orbem, terrarum:& per inuidiam eius protoplaſti parentes priuati ſunt paradiſo,& infecerunt ſeipſos ac poſteros ſuos. Ex inuidia Cain occidit innocentem Abel:& filij Iacob electum Ioſeph, Iudeiq; Chriſtum. Ter Sap.2. Gen.3. Gene.4. Gen.37.
III tium eſt,quòd odiū & inuidia ſunt in ſeipſis pœnalia & amariſſima vitia, inuidū aſſidue affligentia, & quendam infernū inchoantia ac producentia in eodem, ita ꝙ perit in ſe & conſumit ſeipſum. vnde ait Apoſtolus: Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Nonne ſtultiſſimum eſt ſeipſum intra ſe ita dilaniare,& per infernalem amaritudinem æternalia inferorū ſupplicia ſibi mercari, promereri, incurrere, ſicq; Matt.27. Gal.5.

in præſenti & in futuro eſſe miſerrimum, ac præſentis atq; ſequentis vitæ gaudijs ſe priuare? hinc ait Hieronymus: Oro te, quid delectationis aut profectus confert inuido ſua inuidia, quem velut acutiſſimis vngulis liuor ipſe decerpit, & alienam felicitatem facit ipſius tormentū? Nempe vt teſtatur Gregorius: Inuidi color pallore afficitur, mens vitioſe accenditur, membra frigeſcūt. In cogitatione fit rabies, in dentibus ſtridor. hinc quoq; beatus præſul ac martyr diſſeruit Cyprianus: Inſunt inuido minax vultus, toruus aſpectus, pallor in facie, in labijs tremor, in dentibus ſtridor, rabida verba & effrenata conuitia, imò & manus ad violentiam prona.

IIII Quartū eſt, q hæc vitia mentem vehementiſſime obtenebrant, & indurāt, ac circa proximos crudeliſſima ſunt & maxime eis nociua. Inuidus eñ nemini parcit, & quærit ſiue occulte ſiue aperte nocere, vitā auferre, & beneficia dei à proximis tollere. hinc in

1.Ioan.2. ſua prima Canonica ſanctus ſcribit Ioannes: Qui odit fratrē ſuū, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quoniā tene-

1.Ioan.3. bræ obcęcauerunt oculos eius. Itemq;, Qui

non

non diligit, manet in morte. Quintum reme V
dium eſt, conſideratio charitatis Chriſti, qui
pro crucifixoribus ſuis orauit, & non ſolum Iſa.53. Luc.23.
pro amicis & iuſtis, ſed etiā pro inimicis ex
charitate mori dignatus eſt, iuxta illud Apo Roma.5.
ſtoli: Commēdat charitatem ſuam in nobis
deus: quoniā cū adhuc peccatores eſſemus,
Chriſtus pro nobis mortuus eſt: & cū adhuc
inimici eſſemus, reconciliati ſumus deo per
mortem filij eius. Nonne indigniſſimus eſt
Chriſtianus vocari & induratiſſimam habet
mentē, quē tantæ charitatis conſideratio ab
inuidia nō auertit, neq; ad verā dilectionem
emollit? Hinc monet Apoſtolus: Ambulate Ephe.5.
in dilectiōe ſicut & Chriſtus dilexit nos. Sex VI
tum eſt conſideratio documentorū præcep-
torumq; filij dei, qui in Euāgelio iubet: Dili- Luc.6.
gite inimicos veſtros: benefacite his q ode-
runt vos, & orate pro perſequentibus & ca-
lumniantibus vos. & rurſus: Hoc eſt, inquit, Ioan.15.
præceptū meū, vt diligatis inuicē, ſicut dile-
xi vos. Itemq;, Mandatū nouū do vobis, vt Ioan.13.
diligatis inuicē ſicut dilexi vos. In hoc cog-
noſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi
dilectionē habueritis ad inuicē. Septimū eſt, VII

conſideratio dilectionis & beneficētię dei ad ingratos, iniquos & aduerſarios ſuos, quos diligit quantū ad id quod ſunt & in eſſe conſeruat, atq; de neceſſarijs prouidet ipſis, multos quoq; eorū per prædeſtinationem æternam amat, conuertit & ſaluat. vnde ipſe ait:
Matt. 5. Sitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuū facit oriri ſuper bonos & malos, &
Luc. 6. pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. de quo in Luca ſic legitur: Eritis filij altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſup ingratos & malos: hinc vas
Ephe. 5. electionis hortatur: Imitatores dei eſtote ſicut filij chariſſimi.
VIII Octauum eſt, non diligere
1. Ioan. 2. mundū & ea quæ mūdi ſunt, hoc eſt inordinate non affici ad opes terrenas, ad temporales honores, ad carnales delicias: quia ex horum amore generatur inuidia: quoniam à multis ſimul & integre haberi non queunt: ideo dicit Gregorius: Qui liuoris peſte plene carere deſiderat, illam hæreditatem (puta cœleſtem beatitudinem) diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat. Etenim tanto plus quiſq; inuidet alteri bona præſentia, quanto immoderantius diligit ea.
IX Nonū eſt, ea perpendere quæ ad verū amorem inducunt

cunt vt ſunt ſimilitudo naturæ, communio gratiæ, vnitas religionis ac fidei ac corporis miſtyci, & ꝙ ſumus inuicē membra & vnus exercitus dei, vnus grex Chriſti ab eodem creatore plaſmati, ab eiſdem primis parentibus generati, ad eandem felicitatem facti & ordinati. Decimū, quòd aliter ad dei amicitiam pertingere nunq̄ valemus, niſi inuicem nos amemus. X Vndecimum eſt conſideratio prouidentiæ dei omnia optime ordinantis, XI atq; rectiſſime diſponentis ac iudicãtis: ſicq; contentari de ea, & proximis id fauere quod ex diuina prouidētia cōceſſum eſt aut cōtingit eis, nec velle reniti. Poſtremo, quia ex ira ſolet naſci inuidia, iram penitus tollamus de cordibus noſtris, & proximus ignoſcamus, neq; ex aduerſis triſtemur, ſed potius delectemur in ipſis, ſecūdū ꝙ multipliciter proſunt, prout præcedenti capitulo eſt expreſſum.

Articulus XXXIII. De remedijs contra tētationes acediæ atq; pigritiæ.

Prou. 6. VSquequo piger dormies? quando conſurges de ſomno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum con-

ſeres manus vt dormias,& veniet tibi quaſi viator egeſtas tua, & pauperies quaſi vir armatus. Acedia charitati qua deũ toto corde

Deu.6. Matt.22. Matt.12. diligere iubemur, contrariatur: opponitur quoq; latriæ, quæ eſt virtus deo cultũ ceremoniamq; impendẽs,eius actus eſt deuotio, quæ eſt promptitudo voluntatis ad ea quæ dei ſunt: cui promptitudini contrariatur acedia. Primũ ergo remediũ tentationum acediæ atq; pigritiæ, negligentiæ & torporis eſt, quòd diuina ſcriptura tam ſpecialiter & vehementer irridet hęc vitia,vt patet in prçinducta autoritate. vnde eodem Prouerbiorũ

Primũ acediæ tentationum remedium.

Prou.6. cap. rurſus pigro & acedioſo increpatorie ac iuſta cũ ſubſannatione ſapientia loqtur: Vade ad formicam,ò piger, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem nec præceptorem,parat æſtate cibum ſibi,& congregat in

Prou.26. meſſe quod comedat.hinc denuo in Prouerbijs de calua pigrorũ excuſatione aſſeritur: Dicit piger:leo eſt in via,lęna in itineribus: in medio platearum occidendus ſum. hinc

Eccle.22. quoq; in Eccleſiaſtico de pigrorum inducitur vilitate: In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernatione

eius

eius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.
II Secundum remedium tentationum acediæ eſt, conſiderare quantum hoc vitium ſit deo iniurioſum, abominatum ac diſplicens: cum etenim deus excelſus & adorandus ſit infinitæ honorabilitatis ac dignitatis, valde iniurioſum eſt excellentiæ ac reuerentiæ eius, quòd rationalis creatura ſit pigra & acedioſa ad eius obſequiū, aut negligens in eodem. propter quod ſcriptum eſt in Ieremia: Maledictus eſt qui facit opus dei negligenter. Ier.48.
Et in Apocalypſi dicitur negligenti ac pigro: Apoca.3.
Vtinā calidus eſſes aut frigidus: ſed qa tepidus es, incipiā te euomere ex ore meo. Quo circa teſtatur Hieronymus: Sola tepiditas eſt Hieronymus.
quæ ſolet altiſſimo vomitū prouocare. hinc iterum in Apocalypſi dicitur negligenti: Habeo aduerſum te, q̄ charitatem tuā primam reliquiſti. Memor eſto itaq; vnde excideris, & pœnitentiam age, alioquin venio tibi cito. Apoca.2.
III Tertium remediū eſt conſideratio damni & calamitatis, quæ per acediam incidit homo: per eadem nanq; opera quæ facit homo, feruens, prompte ac delectabiliter & cum profe

ctu

ctu gratiæ ac virtutum præcipuo ac gloriæ
incremento homo piger & negligens parũ
aut nihil promeretur de gratia aut gloria,
imò frequẽter damnationem incurrit,agitq́;
opera illa cum tędio & labore & cum triſtitia
ſine ſapore, ſicq́; habet infernũ quendam in
pręſenti,habiturus grauiorem infernũ in fu
turo, niſi abiecta acedia referueſcat in chari-
tate & ſpiritu ſancto. Ideo aſſerit Leo Papa:
Non dormientibus aut pigritantibus proue
nit regnum cœlorũ,nec otio deſidiaq́; tor-
pentibus beatitudo æternitatis ingeritur.
IIII Quartum eſt,diligens conſideratio infinitæ
honorabilitatis,dignitatis & excellentiæ dei,
atq́; ex hac conſideratione excitari & inflam-
mari ad promptam & reuerentialem hono-
rificentiam eius,præſertim cum ipſe cuncta
intueatur & radicem atq́; affectionem ex qua
ei ſeruitur agnoſcat, ac magis perpendat q̃
opus.hinc primo Paralipomenõ ſanctus rex
1.para.28. Dauid filiũ ſuũ Salomonem informans:Tu,
inquit,fili mi ſcito deum patris tui,& ſerui ei
corde perfecto & animo voluntario:Omnia
enim corda ſcrutatur dominus,& vniuerſas
mentiũ cogitationes intelligit: hoc eſt quod
in

in Ioſue iniungitur nobis: Timete dominũ Ioſue.24.
& ſeruite ei corde pfecto atq; veriſſimo. hinc
Ambroſius increpans pigrum & irreuerentem diſſeruit: O homo impudens, millia mil- Dan.7.
lium deo angelorũ miniſtrant, & decies millies centena millia ei aſſiſtũt: & tu ſedere præſumis? Quintum eſt, conſideratio ſeruitutis V
humanæ: videmus quippe q̃ reuerenter & attonite, quàm prompte ac feruide ſerui regum ac principum terrenorũ ſuis dominis obſequantur: quibus ſi negligenter, pigre & defectuoſe ſeruirent, mox grauiter indignarentur talibus ſeruis, ſeq; cõtẽptos magis q̃ honoratos arbitrarentur: quanto magis deo excellentiæ infinitę cum omni diligentia, cuſtodia & feruore eſt obſequendum, & damnationem magis quàm gloriam promerentur, qui ei cũ deſidia ſeruiunt ac torpore. Nonne iniuſtiſſimum improbiſſimumq; conſiſtit, hominem magis reuereri quàm deũ? Sextum VI
eſt pugnare contra ſeipſum & propriam increpare ignauiam, dicendo: Regnum cœlorum vim patitur, & arcta eſt via ſalutis, ſicq; Matt.11. Mat.7.
ſtrenue aggredi opus bonũ & cum agilitate incipere, atq; cum quadam coactione ad ſpiritalia

ritalia exercitia aſſueſacere ſemetipſum, quo-
vſq; ſibi in conſuetudinem conuertantur &
paulatim dulceſcant: In principio etem ſolet
accidere difficultas, ſed viriliter continuanti
accedit ſuauitas: quoniã habitus præſertim
conſuetudo delectabiliter operatur. De hoc
in regula S. Benedicti multa dicuntur. Septi-
VII mum eſt, in bona conſuetudine perſeuerare
bonaq; opera exercere, ſiue ſenſibilis perci-
piatur deuotio & feruoris ſuauitas ſiue non:
ideo ait Bernardus: Dum acedia aut tædio
te affici ſentis, noli ob hoc diffidere, neq; à
ſtudio ſpiritali deſiſtere, ſed manum require
dei adiuuantis, & clama: Trahe me poſt te. &
Can.1. Pſal.108. rurſus: Adiuua me dñe deus meus. Octauũ
VIII eſt, vt ea quæ quotidie agimus, ſtudeamus
non ex cõſuetudine ſuperficiali ac arida age-
re, ſed ſemper cum maiori diligentia atq; de-
uotione. Quidam equidem bona quædam
ad tempus agũt deuote, ſed tẽpore procedẽ-
te ex tepida conſuetudine: quocirca dñs iuſ-
ſit in Leuitico: Ignis in altari ſemper ardebit,
Leui.6. quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna per
ſingulos dies: per quod datur intelligi q̃ in
altari cordis indeſinenter debet ardere ignis

diuini amoris, quem homo ſeipſum deo ſacrificans, præſertim ſacerdos deo patri offerens Chriſtũ, debet omni hora nutrire recolendo immenſam altiſſimi bonitatẽ & beneficia ac promiſſa ipſius, ac bonis ſemper inhęrendo operibus. Nonum eſt, variatio & alter IX
natio actionum & occupationum bonarum, ita vt nunc inſiſtat quis oratiõi, meditationi, nunc ſtudio, nũc lectioni, nunc operi manuũ. Hinc fertur in Vitaſpatrum, q̃ beatus Antonius ſedens in eremo & ſpiritu tentatus acediæ, clamauit ad dominum: Domine, volo ſaluari, & non permittunt me cogitationes. Quid agam in hac tribulatione animę meæ? Quo dicto vidit quendã in forma ſua ſedentem, & opus manuũ exercentem, deinde ſurgentem ad orandum, & rurſus reſidentem ad operandũ, ac deinceps ad orationem ſurgentem, audiuitq́ vocem dicentẽ: Sic fac, & ſaluus eris. Quo audito, ille diſparuit: erat autẽ angelus ad inſtructionem Antonij miſſus, & conſolationẽ magnã accepit magnus Antonius. Hinc in fine ſecũdi Machabęorũ habe 2.Machа.15.
tur: Alternis vti delectabile eſt. Decimũ eſt, X
deuota ſocietas & exhortatio feruida proximorum

morum. Hinc ſolitarijs ſolet acedia eſſe mo-
xi leſtia. Vndecimũ eſt imaginatio præſentiæ aliculus viri honeſti, id eſt ita ſe habere, ac ſi adeſſet homo honeſtus, in cuius præſentia erubeſceremus nos negligenter habere ac pigre, atq; ex hoc ſibimet dicere: Si erubeſceres te acedioſe habere homine tali præſente: quanto magis verecundari debes de negligentia atq; acedia tua coram deo vbiq; præſente & omnia intuente, & coram angelo tuo
xii ſancto? Duodecimum eſt, conſideratio periculorũ quibus expoſiti ſumus: & quoniam inuiſibilibus inimicis, infernalibus furibus & latronibus ex omni parte circundamur, à quibus pigri finaliter capiũtur, ſpoliantur ac perimuntur: iſtud tamen inter generalia tentationum remedia computatur. Conformiter conſideratio propriorum vitiorum & diuini iudicij ac futuri ſupplicij ſempiternæq; gloriæ expellit acediam. Hinc abbas Achilles interrogatus à fratre quodam: Cur in cella ſedens acediam patior? ait, quoniam nondum conſideraſti beatitudinẽ & pręmia quę ſperamus, nec tormẽta impijs pręparata: quę ſi digne attenderes, quamuis cella tua eſſet

vſq; ad collum vermibus plena, tu tamẽ in ea patienter & ſine acedia reſideres. Poſtremo, quia acedia ſolet ex ſuperflua repletione cibi & potus oriri, ex multiloquio quoq; & remiſſione animi, in conſolatiõe carnali atq; ex immoderata occupatione, in exteriori labore: Idcirco & alia remedia tentationũ acediæ ſunt iſta: loquacitatem reprimere, diſſolutiones iocorum ac riſuum fugere, & ſobrie refici: in corporali labore mentem ad deum frequenter leuare, orando & meditando ſaltem breuiter ac deuote. Itaq; ex omniũ horum conſideratione attenta, ab omni iugiter caueamus acedia, negligentia & torpore.

Articulus XXXIIII. De remedijs tentationum gulæ.

ATtendite vobis ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius ſeculi: Verba ſunt Chriſti legislatoris noſtri in Euangelio Lucæ: Quemadmodũ de tentamentis ac vitijs luxuriæ dictum eſt, quòd melius ſuperãtur ac deuitãtur fugiendo eorum materias & obiecta, ſocietatesq; lubricas & occaſiones huiuſmodi vitiorum, Luc. 21.

cogitationes quoq; de actibus & oblectamē-
tis obſcœnis, eo quòd vitia illa laſciuię dele-
ctatiões habeāt ſibi annexas, tantoq; fortius
alliciant & accendant affectū, quanto plus aut
diuturnius cogitatur de eis, & quāto amplius
propinquatur eorū materijs & obiectis, oc-
caſionibus & incitamentis: ita de tentationi-
bus ac vitijs gulæ eſt ſentiendum ac facien-
Primū gulę remediū dum, ſicq; primum contra ea remedium eſt
delicata conuiuia euitare, nec ſibiipſi præpa-
rare aut procurare alimenta ſuperflua, lauta
aut exquiſita, ſed fugere ea: & ſi quis ea vita-
re non valet, conſulendum eſt ei vt cum ti-
more dei accedat, moderate veſcatur, nec in-
ſtar canis famelici ſuper cibos & pocula ſe
effundat, indiſciplinate aut nimis auidè come-
dendo, aut tanq̄ lupus nimis voraciter ſe re-
II plendo. Secundū eſt, guloſorum vitare con-
Prou.23. ſortia, cū Salomon dicat: Noli eſſe in conui-
uijs potatorū, nec in comeſſationibus eorū
qui carnes ad veſcendū conferunt, quia va-
cantes potibus & dantes ſymbola conſumē-
III tur. Tertiū remediū eſt, conſiderare damna,
nocumenta & vitia, quæ corpori & animę ex
Eccle.31. gula proueniūt, de qbus in Eccleſiaſtico ha-
betur

betur: Vigilia & cholera & tortura homini infrunito vinum multum potatum irritatio nem & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multũ potatum: ſuauitas autem animæ & corporis, ſobrius potus. Hincq; Salomon loquitur: Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum: nonne his qui cõmorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Itemq; Luxurioſa, inquit, res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicũq; his delectatur, non erit ſapiens. Aduerte ergo & imple quod docet ſcriptura: Noli auidus eſſe in omni epulatione, & nõ te effundas ſuper omnẽ eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit ad choleram. Propter crapulam multi perierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. Hinc ait Gregorius: Dominante gulæ vitio quidquid homines fortiter egerint, perdunt: & dum venter non reſtringitur, coniunctæ virtutes pariter obruuntur. Deniq; ſaturatum magis delectat fabulari, iocari, ridere aut certe dormire quàm ſolitudini, compunctioni, orationi, aut laudibus dei inſiſtere: propter quod denuo

Prou. 23.

Prou. 20.

Eccle. 37.

Gregorius.

 dixit

dixit Gregorius: Epulas pene ſemper comitatur voluptas: dumq́ corpus in delectatione refectionis reſoluitur, cor ad inane gaudiũ relaxatur. atq́ vt fatetur Chryſoſtomus: Sicut impoſſibile eſt ignẽ in aqua diu feruere: ſic impoſſibile eſt cõpunctionem in refectionibus lautis vigere. Itaq́ gula etiã in pręſenti multa inducit incõmoda ac tormenta, infirmitates, torturas, ſitim, calorem: & ipſa ebrietas vehementer abbreuiat vitam: idcirco ſtultiſſimum eſt, tam nocentiſſimo vitio conſentire.
IIII Quartũ eſt, conſiderare q̃ gula eſt aliorum ianua vitiorũ, ita quòd qui gulam admittit, cũctis vitijs in ſe pręparat locũ & aperit aditum: ideo qui illud non expugnat, non poteſt proficere, cũ ex gula naſcantur libido, loquacitas, acedia, ſomnolentia, iocus, riſus, chori ſatio, detractio, indiſcretio, cõtentio, bellum, obliuio dei, & conſimilia multa. Propter quod aſſerit Caſſianus. Quibuſlibet eſcis venter refertus, ſeminaria parit luxuriæ, nec præualet mens diſcretionis gubernacula retinere, aliorũ pondere prægrauata.
V Quintum remedium eſt, perpendere q̃ fructuoſum & glorioſum ſit vincere gulã ac cõ-

ſeruare

ſeruare ſobrietatem, quæ ad omnium virtutum ac ſapientię diſponit augmentū: idcirco diſſeruit Auguſtinus: Sobrietas fugit temeritatem, & cuncta declinat pericula, obſequijs mutuis obtēperat, deteſtatur ſuperbiam, domum familiamq; rite gubernat, vitam prolongat, tranquillitatem & iucunditatem producit, ſenſus & mentis omniumq; membrorum cuſtodia eſt & cautela, pudicitiæ ac caſtitatis munimen, pacis & honeſtatis amica, diſcretionis ſubſidiū. expeditio rationis, viuacitas mentis, eſtq; ſobrietatis perſeuerantia inæſtimabilis, fortitudo animi, quam cūctę virtutes omnesq; tituli laudis iugiter concupiſcunt: quoniam ſine ipſa ornare animam nequeunt, nec deo placere. hinc quoq; Chryſoſtomus: Simplicior, inquit, victus & menſa mediocris plurimū habet iucunditatis: econtrario diuitum menſę execrabiles exiſtunt & horridæ atq; cōtaminationibus plenæ. Itaq; tot mala guloſitatis tantaq; bona ſobrietatis fortiſſime nos accendant ad odiū abiectionemq; gulæ & ad ſobrietatis amorem obſeruantiamq; perennem. Sextū eſt, de futura refectione non præcogitare inordinate, nec de

Auguſtinus.

VI

futura comeſtione aut potatione conſolatio-nem aut delectationẽ admittere, in ipſa quoq; refectione neceſſitatẽ non voluptatem exquirere, & ipſam refectionẽ ad dei ordinare honorẽ, quatenus ſumpta refectione aptior fiat
VII homo bonis actibus inhærere. Septimũ eſt, penſare quanta ſit vilitas, peruerſitas, beſtialitas, enormitas & immũditia gulę. Ipſa quippe ſordidiſſimum ventrem deificat, & magis
Phil. 3. amat ac colit q̃ deũ, dicente de guloſis Apoſtolo: quorum deus venter eſt. Ipſum quoq; hominem qui templũ eſt ſpiritus ſancti, facit fœdam coquinam diaboli, & animã ſummæ trinitatis imagine decoratã, deturpans pro-
VIII ſternit dæmonibus. Octauum eſt, attendere q̃ vilis ſit, fœda ac miſera caro, & qualis erit poſt mortem, qualiter vermibus & ſerpentibus tradetur in eſcã, idcirco de eius ornatu, voluptate ac mollitie nõ curare, nec eam ver
IX mibus impinguare. Nonũ eſt, intueri quàm multi electi & boni inopes ſint & mendici, fame, ſiti & alijs pœnis confecti; idcirco eis non iniuriari ſuperflue conſumendo, vnde
X multis eorum poſſet vtiq; ſubueniri. Decimum eſt, conſideratio refectionis Christi in

cruce ex aceto & felle, cui refectioni vicem Pſal.68. Matt.27.
condignam rependere non poſſemus, quam Marc.15.
uis mille annis in pane & aqua ieiunaremus,
vt bene locutus eſt Climachus. Vndecimũ XI
eſt ſpiritalem conſolationem & virtuoſam læ Luc.23. Ioan.19.
titiam in laudabilibus exercitijs quærere, videlicet in ſtudendo, pſallendo, orando, meditando, virtuoſiſq; actibus inſiſtendo, ſiquidem quælibet virtus ſuam habet delectationem, qua reficit mentem: & actui virtuoſo delectatio eſt annexa. Ideo in Prouerbijs ſcri Prou.21.
ptum eſt: Gaudiũ eſt iuſto facere iuſtitiam. Ariſtoteles quoq;, Signum, inquit, virtutis eſt delectatio fiens in opere: imò & Chriſtus ait: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei. Cumq; fuerit homo his delectationibus ſynceris aſſuetus, carnalia contemnet oblectamenta & præſertim in contemplatione conſiſtit delectatio pura & magna, cuius amore conſolationem carnalem debemus deſpicere, iuxta quod ait Pſalmiſta. Re- Pſal.76.
nuit conſolari anima mea. Memor fui dei, &
delectatus ſum. Duodecimum eſt, ad ſuper- XII
næ ac ſempiternæ cœnæ iuſtis ac ſobrijs præ
paratæ ſummas delicias aſſidue aſpirare, ac

eius deſiderio & amore nũc ſobrie manduca re & bibere: quemadmodũ cernimus ꝙ inuitati ad cœnã lautiſſimã, tẽperantius prandẽt. Tertiumdecimũ eſt, conſideratio ſobrietatis & abſtinentię patrũ ſanctorũ, qui ſimiles nobis fuerũt mortales, & tamen deſiderio dei & virtutũ ac gloriæ abſtinentiſſimã vitã duxe runt in terris, in ſolitudine, in deſertis, imò de pane & aqua parciſſime & cũ grãdi formidine excedẽdi ſumẽtes: per quod noſtra confundi tur infelix carnalitas, cũ etiã ſecundũ natura lis rationis dictamen naturalemq́ꝫ legẽ non plus ſit accipiendum de cibo, potu & ſomno quàm cõuenit homini ad vſum rationis expeditũ exercitiumq́ꝫ virtutũ. Porrò, ſecundũ Euangelicam legem etiã aliquid ſubtrahen dum eſt neceſſitati naturæ, cum diſcretione pro vitiorũ punitione impetrationeq́ꝫ gratiæ amplioris, & imitatione dominicæ paſſionis ad ſanguinis minorationem & carnis caſtiga tionem ac refrenationem. Hæc dicta ſunt de remedijs tentationũ ſeptem peccatorũ mor talium: & ſicut ad ſeptem illa reducuntur & alia mortalia vitia, ita ex remedijs iſtis poſſunt perpendi ſpecialia remedia cõtra illa, videlicet

delicet contra detractionem, contentionem & conſimilia, in quibus omnibus eſt penſandum, quàm enormia ſint in ſeipſis q̃ vehemēter prohibita & nociua, q̃ periculoſa & quanta ex eis mala ſequantur, qualiter offenſiua ſint dei ſcandalizatiuaq́ꝫ proximi: quantam mereantur damnationē, quanq́ꝫ ineffabilem tollant felicitatem. Veruntamem adhuc paurumper de quarundam ſpecialiū periculoſarum & difficiliū tentationū remedijs tāgam.

Articulus XXXV. De remedijs contra quaſdam moleſtiſſimas tentationes ſecretas & raras.

SAtanas ſe transfigurat in angelū lucis. 2.Cor.11.
Videns ſatan nequiſſimus quoſdam ſe non poſſe vincere per tentamenta & peccata carnalia, neq́ꝫ per ea quibus naturalis ratio contradicit, talibus ſolet tentationes ingerere de quadam infidelitate aut hæſitatione circa veritatem fidei Chriſtianæ, oſtēdendo varia argumenta ad perſuadendū aliquid fidei ſacræ contrariū. Quoſdam incitat ad imaginandū turpiter de Chriſto & virgine glorioſa, vel ad cogitandum indecenter ac indigne

de deo, ſiue ad blaſphemandum: quoſdam impugnat ad occupandum ſe curioſe atq; incaute de prædeſtinatione aut præſcientia ac prouidētia dei, & an ipſi ſint prædeſtinati, vel quòd ſint præſciti. Aliquos vero tētat vt ſibiipſis manus inijciāt violētas ex nimio mœrore, deſperatiōe aut tædio vitæ. Nonnullos impugnat apparēdo eis viſibiliter in ſpecie Chriſti aut angeli ſancti, ſeu alloquendo vel illicita tanq̃ bona iubendo: quoſdam demū tentat vt diſcutiāt mentē ſuā de hoc, an mallent æternas pœnas ſuſtinere inferni: q̃ deū offendere culpa mortali. Aliqui demū tentātur mira quadam mentis ariditate, ita q̃ cœlum æneū eis videtur, terraq; ferrea: & appa ret eis quòd ſint præſciti. Itaq; de harū tentationū remedijs aliqd breuiter eſt tāgendū. Si igitur tētaris ſpiritu incredulitatis aut blaſphemię aut turpis imaginationis de Chriſto aut beatiſſima virgine, nō debes ex hoc cōtriſtari nec puſillanimis fieri, neq; diffidere, quaſi à deo relictus ſis, ſed eas tentationes curare nō debes neq; aduertere, imò potius deridere ac mentem inde auertere ad meditandum ſalubria & iucunda: nec arguere

debes

debes aduerſus eas, quamuis veriſſime ac faciliter poſſent cōfundi ac reprobari. Nempe ex argumētatione & ratiocinatione ac reſponſione ad eas magis refricarētur & accenderētur ſeu augerētur: ſuperbus nanq; pertinaxq; diabolus ita nō cedit nec vincitur, ſed cito quod obijciat inuenit. Verū æquanimiter ferre non valet, q́ modo prætacto irrideatur, vilipendatur neq; curetur, & cum iucunditate pertranſeatur: Ideo ei ita tentanti poterit iucūde ac breuiter dici, quod ſanctus Frāciſcus docuit fratres ſuos dicere illi: Aperi os tuū, & proijciam ibi ſtercus: & quod Gulielmus Pariſienſis docet, cum auerſione & irriſione eſſe dicendum, videlicet tfy: atq; quod Climachus tangit: Suggeſtio tua ſeu blaſphemia tua ſit tecū in perditionē, & in caput tuū redundet. Poteſt quoq; fidelis pie ac ſimpliciter dicere ſine vlteriori argumentatione: Ego credo ſicut beatiſſimi patres Antonius, Martinus, Seruatius, Bernardus, Frāciſcus & ſimiles eis, cum his cupio deputari ac præmiari. Inſuper poteſt tempore opportuno, & dum ad horam ceſſat ſua tentatio, argumenta fidei Chriſtianæ attendere &

Tfy. eſt interiectio ſpernētis.

qua-

qualiter per innumerabilia miracula ſoli ve-
ro deo poſſibilia,& per ſcripturas teſtamenti
veteris ſit fides firmata, & ꝙ nihil verius,
nihil rationabilius,nihil ad cōtemplandū ſu-
blimius ſit his quæ Chriſtiana aſſerit fides,
dum omnia eius motiua ac fulcimenta atq;
inſignia corporantur,ordo & nexus ac coha
bitudo credendorum ſimul penſantur: tunc
nempe apparet & conſtat quòd totum ſit ſu-
per hominem & ſuper omnē adinuentionem
diabolicam & humanam,ab omni quoq; ma
gica arte illibatiſſimū: ideoq; totum cernitur
eſſe diuinū, ſupernaturale ac magnificentiſſi
mum: idcirco ſapiēter dixit Richardus: Vti
nam attenderent Iudæi, Pagani & omes in-
creduli,cum quanta ſecuritate & conſcientiæ
ſynceritate poterimus pro noſtra fide ad iudi
cium dei accedere. Nonne cū omni cōfidẽn-
tia deo poterimus dicere? Domine ſi error
eſt in hac fide, à te & per te decepti ſumus,
quoniam iſta quæ credimus, tot, tantis ac ta-
libus ſignis ac prodigijs ſunt corroborata,
quòd non niſi à te fieri poſſunt,& ꝙ eis non
credere,extremæ demētiæ ſit: & certe à ſum-
mæ ſanctitatis viris nobis ſunt tradita, cum
ſumma

ſumma autentica atteſtatiõe prolata,te coo- Marc.16.
perante & ſermonem confirmante ſequenti-
bus ſignis. Hi quoq; qui huic fidei firmius
adhæſerũt,& ſecundũ eius præcepta plenius
conuerſati ſunt. maioribus ac pluribus fre-
quenter coruſcauerũt miraculis, imò inter-
dum maiorib⁹ q̃ ipſemet Chriſtus, ſecundũ
quod ipſe prædixit: Qui credit in me,opera Ioan.14.
quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horũ
faciet: quia ego ad patrem vado. Deniq; ab
exordio primitiuæ eccleſiæ & Euangelicæ le
gis omnia illa miracula, dona & ſupernatura
lia chariſmata, quibus in veteri teſtamento
claruit ſynagoga,per glorioſos apoſtolos &
cæteros Chriſti diſcipulos ad eccleſiã primi-
tiuam & ad gentilitatem cõuerſam tranſlata
ſunt,multoq; abundantius data & facta in ea,
quàm nunq̃ in ſynagoga. Præterea prætactę
tentationes frequenter ſunt præſagia gratiæ
valde ſpecialis ac præeminentis dandæ eis
qui ſuſtinent eas,& deo ſic diſpenſante ipſis
contingũt,ne hominũ laude aut propria re-
putatione fallantur aut extollãtur,& vt pro-
fundius humilient ſemetipſos,vel à carnali-
bus & periculoſioribus tentationibus prę-ſer

uentur

uentur:ideo tanquam diabolica ſuſurria pa-
tienter ſunt toleráda & diſſimuláda:qa nõ ſo-
lum non inquinant hominẽ diſſentientẽ,imò
ſunt ei occaſio atq; materia promerẽdi & me
riti copioſi: Non enim offenderet regem fi-
lius eius audiẽdo ab aduerſario ſui patris cõ-
uitia contra eundem,quamdiu cum diſplicen
tia audiret huiuſmodi. Amplius de hac re
multa leguntur exempla: nam ſanctus vir
Hugo Gratianopolitanus epiſcopus, eadem
nocte qua fuerat mane à ſummo pontifice in
epiſcopum conſecrandus, præfatis tentatio-
nibus cœpit acriter impugnari: idcirco per-
territus propoſuit ſuæ electioni penitus cede
re & epiſcopatũ dimittere,arbitrans deũ ſibi
iratũ propter huiuſmodi tentationẽ quã ante
non fuit expertus:ſed dominus apoſtolicus
in talibus bene peritus conſolabatur atq; in-
ſtruxit eum. Multum enim valet ad expel-
lendum tentationes huiuſmodi non eas ab-
ſcondere,ſed viris ſpiritalibus & diſcretis hu
militer euidenterq; pandere,& eorum infor-
mationibus conſentire. Hinc Climachus
narrat: Monachus quidam feruens ac dili-
gens per annos viginti taliter impugnatus,
&

& ob id corpus ſuum ieiunijs vigilijsq́ affli gens, nec tamẽ ex hoc in hac cauſa aliquod releuamẽ experiens, ſcripſit tentationẽ ſuam in charta: & viſitans quendam ſanctũ ſenem, obtulit ei chartam, proſternens ſe ad pedes ſancti, nec vultũ ipſius aſpicere audẽs: ſenex autem dum chartam legiſſet, ſubriſit: & fratrem leuans: Fili, inquit, pone manũ tuam ſuper ceruicem meam: quo facto, locutus eſt ſenex. Super me ſit hoc peccatum: & ecce antequam frater cellam ſenis egreſſus eſt, à ſua tentatiõe eſt liberatus. At vero ſi de prędeſtinatione aut præſcientia impugnaris, reſponde quod Salomõ ait: Sicut qui mel comedit multum, euomit illud: ſic qui perſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Et itẽ quod Moyſes dixit: Si beſtia tetigerit montẽ, lapidabitur. Illud quoq́ Eccleſiaſtici: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quę precepit tibi deus, illa cogita ſemper & in pluribus eius operibus ne fueris curioſus: Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. Illud etiã Auguſtini: Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli

Prou. 25. Exod. 19. Eccle. 3.

noli velle iudicare,ſi non vis errare. Nondũ traheris, ora vt traharis. Illud quoq; apo-
Roma. 9. ſtoli: O homo, tu quis es qui reſpõdeas deo? Etenim dei ſecreta ſunt venerãda ac metuenda, non diſcutienda. Præterea dicere poteris tentatori: Quidquid ſit de me, certum eſt te eſſe damnatum: & ſi ego poſt hanc vitam à deo repellar ac condemnabor, volo ſaltẽ in hac vita ei fideliter adhærere ac deſeruire, ne in vtroq; ſeculo caream tanto bono. Si vero tentaris, vt ex deſperatione, mœrore aut tędio teipſum lædas ac perimas, ſicut Achitophel & traditor Chriſti feciſſe leguntur, dic animo tuo: abſit à me, vt ad euadendũ temporale & paruũ incommodũ, meipſum præcipitem non ſolũ in amariſſimam mortẽ, ſed etiam in æternã damnationem grauiſſimam. Abſit à me de infinita dei miſericordia deſperare. Nunquid plus peccaui quã Manaſſes, qui pœnitendo ſaluatus eſt: & tamen ſi omnia mundi peccata ſolus feciſſem, non tamen de immenſa dei pietate diffiderem. Aduerſa autem patienter ſunt toleranda. Amplius, ſi tibi apparet aut loquitur quis in ſimilitudine ſeu perſona Chriſti aut angeli, & iubeat ſe ado

rari

rari, aut ſibi obediri ac credi, ſi gratiã diſcretionis ſpirituum non habes, non ſtatim acquieſcas, ſed ora Deum vt te inſtruat intus & veritatem reuelet. Deinde ſi certificatus non fueris, potes ſub conditione adorare, & ſeniorum vti conſilio debes. Præterea ſi tentaris de hoc, an malles æternaliter condemnari, quantum ad mala pœnalia, quàm peccare: potes reſponſionem ſuſpendere, dicendo: Spero quòd ad talem neceſſitatem ſeu articulum non permittet me Deus venire: & ſi venire permiſerit, ſpero quòd eligerem quod ipſe inſpiraret & melius eſſet. Poſtremo, ſi graui mẽtis ariditate aut anxietate ſeu deſolatione tentaris, conſidera ac attende interminabilem bonitatẽ & miſericordiam dei, atq; infallibilem veritatem ipſius, qua dixit ſe nullum in ipſo ſperantem derelicturum: & quòd ipſe ſuos electos varijs modis tentat aut tentari permittit, non autem finaliter deſerit: imò quo grauius affligit ad tempus, eo perſeuerantem gratioſius conſolatur, glorioſius q; coronat. Hæc de harum remedijs tentationum non niſi ſuccinctim ac breuiter tango hoc loco rationabili ex motiuo.

Articulus XXXVI. De quibuſdam tentationibus quæ ſolent quoſdam religioſos grauius occupare, & earum remedijs.

Sap. 10 CErtamen forte dedit illi dominus vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia. Vim hominis intellectiuã conatur diabolus varijs modis ſubuertere, ſuggerendo hæreſes, incredulitates, curioſas inueſtigationes, ſtultas obſeruationes, temeraria iudicia, negligentiam debitæ inquiſitionis, carnalem prudẽtiam: inter quæ & conſimilia quoſdam ſic fallit, abducit, excæcat vt de paruis culpis grandem ſibi conſcientiam faciant: de grauioribus autem & de his quæ directe ſunt contra præcepta dei ſiue eccleſiæ aut contra ſua vota, paruam aut nullam conſcientiam habent, nec ſuper hoc informationem ſuſcipiunt, ſed ſuis erroneis immorantur iudicijs, acſuggerente diabolo idcirco ſe reputãt multũ deuotos & iuſtos, quia de paruis & minimis culpis tantam ſibi vim ſcrupulumq; efficiunt. Tales ſunt quidam hypocritæ religioſiq; aliqui ſuper-

ficiales & crudi, circa ceremonialium ſuorum obſeruantiam vehementer intenti, qui de monaſticorũ ſuorum tranſgreſſione votorum paruum aut nullum habent remorſum, nec de paſſionum ſuarum refrenatione ſoliciti ſunt, nec reformationi ſtudent internæ. Hi ſi viderint alios in paruis culpabiles, protinus eos dijudicant, acriter reprehendunt, & indiſcreto zelo feruntur. Sic Pontifices, Scribæ ac Phariſæi Iudæorum verebantur intrare Pilati prætoriũ, ne contaminarentur: nec audebant pecuniam pro qua emerant CHRISTVM ad occidendum, in corbonam mittere: non tamen metuebant CHRISTVM ſic emere atq; occidere. Tales ſtudent foris eſſe compoſiti, non autem formidant coram iudice ſummo eſſe ſuſpicioſi, impatientes, temerè iudicantes, animoſi & detrahentes: quibus ait & cõminatur Saluator: Væ vobis, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorũ & omni ſpurcitia. Nempe ſi tales modica exercitatione aut quaſi iniuriatione quadam tangantur, mox apparebit quid la-

Ioan. 18.

Matt. 23.

teat intus:mox nanq; erumpet peſſimus fœtor iræ, impatientiæ, elationis, contentionis: obſtinatio quoq; propriæ voluntatis atq; immanſio proprij ſenſus tanquā duriſſima oſſa, ita vt agnitam veritatem non penſent neq; ſequantur, nec incognitam velint audire, vt puta ſapientes aciuſti in oculis ſuis, cum tamen omnino peruerſe ſe habeant: quoniam charitas incipit à ſuo ſubiecto, & ordinate procedit: vera quoq; ſapientia ſicut deteſtatur & odit omnem culpam, ſic grauiores culpas vehementius horret ac punit, præſertim in eo cui ineſt: ac iuxta ſacras ſcripturas patrumq; documenta, non ſecundum propriū ſenſum aut experimentum fallax iudicat & diſcernit. Hinc vnicuiq; tali ſumma & increata ſapientia ait: Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem in oculo tuo nō vides? hypocrita, eijce primū trabem de oculo tuo, & tunc videbis vt eijcias feſtucam de oculo fratris tui. Hinc faſſi ſunt ſancti patres, cum qui in eodem aut maiori exiſtit peccato, eſſe indignum reprehendere proximum de ſuo peccato. Deniq; iſti ſub cuiuſdam diſcretionis velamine & colore perſuadent ſibiipſis

Matt. 7. Luc. 6.

ac pro

ac proximis laxius eſſe agendum, lautius comedendum, diutius dormiendum, frequentius confabulandum, & conſolatiũculis atq; ſolatijs eſſe vtendũ, ne ex vigilia cæcutiant oculi, aut ex ieiunijs corpus debilitetur, vel ex interioribus exercitationibus meditationum, compunctionũ, orationum, aut certè ex ſolitudine caput langueſcat: in quibus tamen veræ diſcretionis ſeruandum eſt moderamen atq; auxiliũ gratiæ deſuper requirendum, ac valor virium propriarum diligẽter penſandus eſt ſucceſſiue: debetq; vnuſquiſq; rigoroſior eſſe ſibiipſi quàm proximis cæteris paribus: expertioribus quoq; credere debet, quoadvſq; & ipſe fiat paulatim gratia adiuuante expertus: ſicq; provt ſe viderit poſſe agere, pati, cõtinuare & conſummare, proſequatur perſeuerãter ac feruide, vt neq; in opere Dei negligens inueniatur, nec per indiſcretionem incurrat quod in Ieremia habetur: Quia plus fecit quàm potuit, ideo perijt. Hinc Ieremias inducit: Interrogate quę ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus veſtris. Hæc eſt regia via obſeruantia medij, in quo virtus conſiſtit, Iere.48 Iere.6.

Iſa.30. ſtit, de qua rurſus Iſaias ait: Hæc via, ambulate in ea, & neque ad dexteram neque ad ſiniſtram. Porrò, nõnulli ſunt qui mundum corporaliter tantum relinquunt, ſed mundanis affectionibus inquinãtur, ad ea quæ mũdi ſunt & ad homines ſeculares ſenſualiter afficiuntur, attracti his rebus, puta diuitijs, ornatibus, honoribus, poteſtatibus, quas in illis mirantur & appretiantur, amant & appetunt: quocirca de viro iuſto ait Pſalmiſta:
Pſal.14. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu malignus: timentes autem dominum glorificat. Hi mundi vanitatibus illuduntur, quibus plus placet quod mundus adinuenit, quàm quod cõdidit Deus: qui plus afficiuntur ad ea quæ placent mundo, quàm ad ea quæ placent Deo: qui diuitibus atq; magnatibus ſeculi reuerentiã exhibent potius propter mũdanam proſperitatem & exteriorem ornatum, quàm quia Dei vicarij ſunt, & propter officij dignitatem. Hos cõcernit quod
Iaco.2. in ſua Canonica ait apoſtolus Iacobus: Fratres ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens, & in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu

bitu, & intendatis in eum qui indutus eſt ve ſte præclara, & dixeritis ei: tu ſede hic bene: pauperi autẽ dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: Nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogi tationum iniquarũ? Aduertant hęc quorum corda aperiũtur & gaudent viſis maioribus, opulentis & magnis in ſeculo iſto: pauperes vero, abiectos & ſimplices vilipendũt, vixq; hoſpitare, aſpicere & affari dignantur: & cur hoc, niſi quia plus appretiantur bona fortu næ, hoc eſt temporalia & terrena, q̃ dona grã tiæ, & ea quę docuit Chriſtus, videlicet pau pertatem, humilitatem, & abiectionem? Non ne ſimilitudo eſt cauſa amoris? quare itaq; magis afficeris ad ſecularia, vana & curioſa, quàm ad ſpiritalia & interna ac vere ſalu bria, niſi quoniam illa inania ſunt tuo cordi magis conformia, & plus diligis ea? Et ſicut vidit Ezechiel in pariete depictam ſimilitu- Ezech. 8 dinem reptiliũ, & auium, & animalium atq; abominabilium idolorum carnalium Iſraë litarum: ſic infelix & vilis mens tua mun dialium rerum ac damnabilium vitiorum, quibus renũciaſti & quæ ſpernere obligaris,

imaginibus eſt depicta affectionibusq́ formata: vnuſquiſq; etenim rebus quas diligit efficitur ſimilis, & quaſi vnum cum eis: ideo carũ imaginibus viſis mox ad eas allicitur: quemadmodũ de fornicatrice anima dominus per Ezechielem teſtatur: Cum vidiſſet,
Ezech.23 inquiens, viros depictos imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos baltheis renes, & tiaras in capitibus eorum, inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorũ ſuorum. His ergo applaudis, quibus intus per amorẽ depictus es. hoc & dominus in Ioanne inſinuaſſe videtur loquẽs ad ſuos nondũ
Ioan.7. ſpirituales effectos: Non poteſt mũdus odiſſe vos, me autem odit: quia teſtimoniũ perhibeo de eo: quia opera eius mala ſunt. Spiritualibus vero hominibus ſcripſit Ioannes
1 Ioan.3. in prima ſua Epiſtola: Nolite mirari ſi odit
1.Ioan.4. vos mũdus: de carnalibus autem in eadem ſubdit epiſtola: Ipſi de mũdo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Idcirco non putes te vere eſſe ſpiritualẽ, ſi tibi adhuc placet mũdus aut vanitas eius. Hinc innoteſcit eorum carnalitas ac mundana affectio, qui à mundi magnatibus cupiunt honorari.

fama

famari,agnoſci,& de tali ſua excellētia ſtolidè glориantur ac inſenſate ſe iactant,non aduertentes quod in Ioāne filius dei ait electis: Si de mundo eſſetis,mundus quod ſuū erat diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mūdo,propterea odit vos mundus.Præterea religioſi,imò verius irreligioſi,rejecto veri & cœleſtis honoris amore,neglecto ſpiritali profectu & deſiderio altitudinis felicitatis æternæ,improbo infecti amore proprium quærūt honorem,& ambitioſi effecti,cupiunt proximis præfici,dominari,præeſſe, præcipere:hinc blandientibus ſibi afficiuntur, increpantibus indignantur, ſua vitia nolunt aduertere, reſiſtentibus ſuæ promotioni grauiter obloquūtur: taliū commendationem audire non valent. Hæc vanitas, iſta ambitio, hic improbus amor ſui, eſt fomes diſſentionis, tinea ſanctæ religionis, mater hypocriſis,turbatio pacis,inſtabilitatis origo: hinc oriuntur ſuſpiciones peruerſæ, detractiones,inuidiæ,iræ,ſuſurrationes,ſtulta iudicia, practicæ periculoſæ, attractiones & ſubornationes Simoniacæ,interpretationes ſiniſtræ,inquietudines afflictiones \ cordis. Ioan.15.

Bernardus. Vnde recte dixit Sanctus Bernardus: O ambitio, crux ambientium, quomodo omnes torquens omnibus places? Et breuiter, vt beatus affirmat Gregorius: Numerari culpæ nequeunt, quę ex ambitione procedunt. Nonne ambitioſus miſerrimus penè in omnibus ad proprium ſuum cõmodum ac honorem reflectitur, & raro aut nunquam recte in Deum dirigitur? Qui talis eſt, etiam bona aliorum interpretatur in peius, & aſſimilatur araneæ, quæ ex flore trahit venenum, vnde colligit apis mel ſuum. Defectus quoque aliorum obſeruans, reuoluens, exaggerans, fit ſimilis auibus, quæ ex ſtercoribus faciunt ſibi nidos: Febricitantibus etiam, quibus ex eorum infectione dulcia videntur amara. Tali videtur, quòd multa patiatur ab alijs, & à nemine honoretur condigne, aliorumque infirmitates toleret copioſe, non aduertens in quantis toleretur ab ipſis. Poſtremo, vt omnia mala hæc poſſis effugere, teipſum in ſancta humilitate & in Dei funda timore, priuatum extirpa amorem, & in Deo te ama veraciter: quidquid expedit tibi ad complacendum Deo, amplectere

Gregorius.

plectere: quidquid à Deo & diuino te impedit, fuge. Incipe à te ipſo, miſerendo in primis animæ tuæ, & zelum iuſtitiæ in te & cõtra vitia tua in primis exerce: propria vitia perpende & emenda, defle & dole aſſidue: ſicq; ad aliorum increpationem charitatiue ac ordinate procede, vt ſic tota vita tua ſit vere militia ſuper terram. Ad laudem & gloriam omnipotentis, qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis & benedictus. Amen. Iob.7.

FINIS.

Heu ſic uiuunt homines quaſi mors nulla ſequatur:
Et ſicut infernus fabula uana foret.

IOAN. BAPTI. AGNE-
SIVS SACERDOS VALEN-
tinus, pijs Lectoribus.

Perfectam ſanctamq; cupit qui degere uitam,
  Pectore ſyncero diſcat amare Deum.
Non amare Deum, ſi ſe abneget, omnia temnat,
  Inq; Deum uotum dirigat omne ſuum.
Chriſtus qui ſcopus eſt, crux arcus, uota ſagittæ,
  Victor ui acquiret regna beata poli.
Ecce ſcopum monſtrat, regit arcum, ſpicula certum
  Dirigit in iactum paruulus iſte liber.
Ergo tenes qui arcum, pharetram hanc eme, defer ubiq;,
  Vt cœlum expugnes hæc tibi tela dabit.

u Posse

INDEX EORVM QVAE PRAECIPVA IN HOC opuſculo tractantur.

In Theologiam myſticam ſeu affectiuam inſtitutio. folio 3.
Effuſio cordis, qua peccata ꝓpria plangũtur. fo. 9
Suſpiria gementis ac pœnitentis animæ. fo. 11
Poſtquam delictum in te ſentis oratio. 13
Alia oratio breuior. eodem.
Oblatio pro peccatis ſatisfactoria eodem
Effuſio cordis complectens beneficia Dei. 14
Vbi malę ſuggeſtiones ſentiuntur, oratio. 16
Contra impugnationes vitiorum. fol. eodem.
Reſignatio ad ſufferendam tentationem. 17
Contra infirmitatem & vitia linguę, orationes. 18
Pro paupertate ſpiritus orationes iaculatorię. 19
Pro humilitate orationes. fol. 20
Pro integritate & ſanctimonia cordis. 22
Pro patientia. folio eodem.
Pro dilectione Dei & proximi. 23
Pro fide ſpe & charitate fo. 24
Pro puritate & ſimplicitate cordis. eodem
Pro plena ſuiipſius reſignatione. 25
Pro caſta ac ſimplici intentione. 26
Suſpiria mentis atq; aſpirationes ignitę multę. 27
Exercitiũ quo anima ſe vbiq; ad Deũ leuet &c. 31
Quando vis ire dormitum. eodem
Ante ſomnum. eodem
Poſt ſomnum. eodem

Aduo-

Aduocatio ad S. Trinitatem. 32
Salutatio ad æternam ſapientiam. eodem
Ad glorioſam virginem. eodem
Quando horæ auditur ſignum. eodem
Quando ad templum venis. 33
Aſpiciendo crucifixi imaginem. eodem
Quinq; ſupplicationes ante egreſſum templi. 34
Ante prandium oratio. 35
Inter edendum aſpiratio. eodem
Ad potum. eodem
Antequam incipias aliquid. 35
Cum ceperis operari. 36
Ante lectionem. folio eodem
Poſt lectionem bonamve inſpirationem. eodem
Quando pulchri aliquid vides. eodem
Quando noui aliquid occurrit. 37
Quomodo in laudē Dei occurrētia cōuertant. codē.
Quando vides aërem ſerenum aut prata. 38
Videndo hortum aut flores. eodem
Videndo amœna. folio eodem
Videndo ignem, aut ſentiendo calorem. eodem
Quando beneficij aliquid accipis. 39
Quando honoris tibi aliquid offertur. eodem
Quando ſentis imminentem aduerſitatem. eodem
Quando irrogatur improperium. eodem
Reſignatio ad ſufferendam moleſtiam. 40
Inter patiendum ſui oblatio. eodem
Quando ſentis tribulatione te grauatum. 41
Cogitatio ſæpius ruminanda. 42
Quando delectabile aliquid tibi ſubtrahis. eodem
Pro virtutibus & imitatione Chriſti. eodem

Aſpiratio

Aſpiratio ad Deum frequentanda. eodem
Orationes duæ in conflictu vitiorum. 43
Lauando manus. eodem
Exiturus ad homines. 44
Ab occupatione ad quietem rediens. eodem
Exercitium piiſsimum ad cor Ieſu. eodem
Ad B. Mariam cum corde Ieſu. 46
Exercitia ad quinque vulnera Ieſu. eodem
Exercitiũ in vulnera Chriſti, & dolores matris. 48
Exercitium ſacerdotum, ſiue ad euchariſtiam ſe præparantium folio. 54
Recollectiones & effuſiones cordis ante ſumptionem ſacramenti. 56
Quando in miſſa lauantur manus. 58
Ad oblationem hoſtiæ ſalutaris 59
Poſt finem miſſæ orationes. 60
Pro triplici illuminatione cordis. eodem
Sub miſſa. folio 61
Ad eleuationem hoſtiæ & calicis 62
Oratio pro ſe aut pro alio. eodem
Inſtitutio quomodo deo exhibeatur reuerẽtia. eodẽ
Septem effuſiones cordis, ad ſeptem horas canonicas. folio 63
Exercitium mentale, pro Eccleſiæ vario ſtatu 67
Simile exercitium ſero faciendum. 69
In vitam ſeruatoris noſtri præfatio. 72
Vita ſeruatoris ac paſsio, quindecim diſtincta meditationibus. folio 75
Exercitium vitæ ac paſsionis Chriſti ad modum roſarij. folio 90
Roſarium quinquaginta gaudiorũ Mariæ. 101

Verſus

Verſus pro iuuanda memoria articulorum. 103
Meditatio in orationem dominicam 104
Meditatio in ſalutationem angelicam. 106
Oratio pro ijs qui vehemẽter ſunt occupati. 107
Orationes deuotę ad virginem Mariam. 108
Alia ſalutatio. 109
De veneratione ſanctorum. eodem
Quomodo anima Deo deuota Ieſu debeat paſsio nibus conformari, inſtitutio pia. 110
De ſui abnegatione. 111
De meditatione dominicę paſsionis. 112
Triformis modus meditandi paſsionem. 114
Fructus multi ex meditatione paſsionis. 115
De cruce portanda. 118
De imitatione Chriſti. 119
De triplici cruce. 122
Exercitium deuotum. 130
Ad animam peccatricem ſed pœnitentem, interna Chriſti allocutio de puritate cordis. 131
De contritione & dolore ſenſibili 134
Quomodo dolor & amor creſcunt. 135
De ſcrupulis iterandę confeſsionis 136
Quomodo recolenda ſint peccata. 138
Quomodo ſatisfaciendum ſit pro peccatis. eodem
Certis horis diei debet examinari conſcientia. 139
De continua reprehenſione ſuiipſius. 140
In quibus debet ſeipſum homo reprehendere. 141
De ſcopo ſeu fine omnium actionum. 143
Quòd puritas cordis ſit finis. eodem
Quomodo ſit obtinenda puritas cordis. 145
Quæ adminiculantur ad cordis puritatem. 146

Quod ra

Quo'd ratione debemus regi ac pręueniri 147
Quomodo ſeruetur puritas cordis. 150
Inſtitutio ſuccincta cũ exercitio de felici morte. eod.
Monita ſalubria ad bene moriendum. 155
Exercitium quotidianum pro bona morte. 156
Oblatio Chriſti & meritorũ eius ad patrem. 157
Conſilium tempore mortis inſtantis. 158
Exercitiũ quo ſe infirmus reſignet & viuat deo. 159
Proteſtatio ſeu teſtamentũ Chriſtiani morituri. 161
D. Dionyſij Carthuſiani de iudicio mortis. 162
Epiſtola domini Ieſu ad animam deuotam. 165
Regula ſecundum ſpiritum viuendi. 172
Quomodo moriendum eſt deſiderijs prauis. 173
De cuſtodia linguæ. 174
De vita abſtractiua. folio 175
De nemine iudicando. 176
De conflictu contra vitia. 177
De fugienda occaſione tentationis. 185
Quomodo ſpirituales tẽtationes ſunt vincendę. 186
De cauendą inuidia. 187
De fugienda ſingularitate. eodem
De cultu & veneratione Dei matris. 188
De deuotione ſenſibili. 189
De acceſſu ad Euchariſtiæ ſacramentum. 190
De diſcretione. 192
Quomodo conformari debeamus Chriſto. 194
De paupertate. folio 195
De humilitate. 196
Quomodo humilitas fit obtinenda. 197
De iudicio hominum non curando. 200
De obedientia. 203

De mortificatione propriæ voluntatis. 205
De conſideratione diuinæ prouidentiæ. 209
De ſuſtinenda aduerſitate. folio 211
De carentia conſolationis. 215
De pace interna ac mititate cordis. 216
De proximi dilectione. 217
De puritate cordis. 218
Quomodo oĩa bona pure in Deũ ſunt referẽda. 219
Quomodo inſtinctus diuinus eſt obſeruãdus & gratia non negligenda. 222
De donis Dei communicandis. 224
De paupertate ſpiritus. 226
De amore Dei. 227
De laude Dei. 231
De exercitio amoris laudisq́ diuinę. 234
De transformatione hominis. 236
Epilogus. 240
Regulæ duę diſcipulorum Chriſti euangelice viuere volentium. 241
Regula prima pro infirmis & imperfectis. 243
Regula altera pro feruentioribus. 246
Hymnus alphabeticus de vita & paſſione Chriſti. folio 251
Hymnus laudes creaturarum referens creatori. 252
Hymnus qui totus eſt oratio deuota. 253
Hymnus deuotiſsimus de vita, paſsione & glorificatione Ieſu Chriſti. 254
Paſsio Ieſu, & matris compaſsio. 256
Glorificatio Ieſu & Mariæ. 257
Alius hymnus perquam deuotus de paſsione Chriſti Ieſu, 258

Exercitium amoris perbreue, ad ſanctam Trinitatem. folio 259
Celebraturus vel communicaturus oratio. 263
Oratio beati Ambroſij de beata virgine. 264

INDEX ARTICVLORVM LIBRI D. DIONYSII Carthuſiani, de remedijs tentationum.

Militia eſt vita hominis ſuper terram.
Præfatio. folio 266
Articulus.I. Quid ſit tentatio & tentare. 268
Art.II. Qui ſint à quibus homines tentari dicuntur, & qualiter tentare diuerſimode conueniat Deo & angelis, mundo & carni, dæmonibus atque hominibus. folio 269
Art. III. De hoſtibus animę qui tentant nos. 273
Art.IIII. De inchoatione, progreſsione & ordine diabolicæ tentationis in nobis. 275
Art. V. Qualiter homo à diabolo, mundo & carne varijs modis tentetur. 277
Art. vj. An omnis tentatio ſit peccatum. 280
Art. vij. An tentatio ſit appetenda. 282
Art. viij. De tentatione multiplici. 283
Art.ix. De magna & multiplici tentationum vtilitate. folio 287
Art.x. De quibuſdam occultiſsimis & callidiſsimis tentationibus atque inſidijs inimici. 294

Art.xj.De his quæ debent nos animare & accendere ad reſiſtendum viriliter omni tentationi. 296

Art.xij. De abuſionibus & imperitijs, quæ in ſpiritali pugna contingunt. 300

Art.xiij.De generalibus tentationum remedijs,& de primo illorum. 303

Art.xiiij. De ſecundo remedio tentationũ, quod eſt inceſſabilis inuocatio Dei & ſanctorum. 305

Art.xv. De tertio tentationum remedio,quod eſt firmiter ſperare in Deo. 308

Art.xvj. De quarto tentationũ remedio,quod eſt contritio capitis tẽtatoris ac tẽtationis: & ꝙ ſeipſum in omnibus coram Deo humiliare, ſit valde accõmodum ad pręualendum omni tentationi. 310

Art.xvij. De quinto & pręcipuo tentationũ remedio,quod eſt dominicæ paſsionis conſideratio. 313

Art.xviij. De ſexto generali tentationũ remedio, quod eſt conſideratio diligens dignitatis humanę naturę,quam habet in donis naturæ, & multo plus ex ſupernaturalibus donis gratię. 318

Art.xix. De ſeptimo tentationum remedio, quod eſt conſideratio ſcripturarũ,vera diſcretio & ſapientia ſalutaris. 320

Art.xx. De octauo tentationũ remedio,quod eſt conſideratio damnorum & nocumentorum, quę homo incurrit conſentiendo tentationi. 322

Art.xxj. De nono tentationum remedio, quod eſt intenta conſideratio mortis. 324

Art.xxij. De decimo tentationum remedio,quod eſt profunda conſideratio tam vniuerſalis quàm particularis iudicij Dei. 326

Art.xxiij. De vndecimo tẽtationũ remedio, quod eſt infernalium tormentorum penſatio. 330
Art. xxiiij. De alijs decem generalibus tentationum remedijs. 332
Art.xxv. De varijs adiutorijs, quę miſericors Deus impendit hominibus contra tentationes vltra virtutes infuſas. folio 336
Art.xxvj. De varijs modis diabolicæ impugnationis. folio 340
Art. xxvij. De ſpecialibus tentationum remedijs: & primo ꝙ virtutes expugnant tentationes ac vitia, & ſpecialiter quælibet virtus vitium ſibi cõtrarium: nec hoc ſolũ, imò ꝙ quęlibet virtus valet ad reſiſtendum vnicuiq; tentationi & peccato. 343
Artic. xxviij. De remedijs contra tentationes ſuperbiæ. folio 345
Art.xxix. De remedijs tentationũ auaritię. 351
Art.xxx. De remedijs ſpecialibus contra tentationes luxuriæ. 355
Art. xxxj. De remedijs tentationum iræ & impatientiæ. folio 358
Art. xxxij. De remedijs tentationum inuidiæ & rancoris. folio 362
Art. xxxiij. De remedijs contra tentationes acediæ atq; pigritiæ. 365
Art.xxxiiij. De remedijs tentationũ gulę. 369
Art.xxxv. De remedijs cõtra quaſdam moleſtiſsimas tentationes ſecretas & raras. 373
Art.xxxvj. De quibuſdam tentationibus, quę ſolent quoſdam religioſos grauius occupare, & earum remedijs. 377

FINIS INDICIS.

ERRATA.

Fol.20.li.15.le.vilitatē.fo.26.pa.2.li.3.le.horto.f.41. li.1.imbecilli.fo.eodē.pa.2.li.3.nocentiū.fo.64.pa.2. li.23.impellebaris.fo.73.li.9.incutit.fo.74.pa.2.li.5. queat.fo.136.pa.2.li.4.circunſtantiā.fo.177.p.2.li.23. vincendos exuendos.fo.180.li.15.voluntatē.fo.193. pa.2.li.12.pro certa mīa,leg.certamina.fo.200.p.2.li. 6.qui.fo.248.li.25.mei.fo.282.pa.2.li.19.extorquere.

Si quæ alia, pie Lector, inueneris, ne graueris corrigere.

Regiſtrum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t v x y z A a B b Omnes ſunt quaterniones: præter C c duernionem.

VALENTIAE,
Per Ioannem Mey, Flandrum,
decimo quarto Februarij.
An. M D xxxxvij.



Laudes b(ea)te virginis Marie ſecu(n)du(m) ſanctorum doctoru(m) dicta

Iſte ſunt prerogatiue glo(rio)ſe v(ir)ginis Marie ſcd(u)m auctoritates ſanctoru(m) doctoru(m) fideliter in vnum collecte pro augmentatio(n)e deuotionis fideliu(m) et ipſius glo(rio)ſe v(ir)ginis reuerentia, et honore et laude dulciſſimi filij eius d(omi)ni n(ost)ri Ieſu Chri(sti).

Aug(ustinus) in ſermone
Niſi Chr(istu)s de v(ir)gine glo(rio)ſa natus fuiſſet ob hei(us) v(ir)ginitatem deq(ue) natus eſt ob deuotiſſima(m) humilitate(m).

Origen. ſuper cantica
O q(uam) dulciſſima vox Marie in aurib(us) ſaluatoris dum intonuerit pro ſalute peccatoris.

Ignatius ep(isto)la ad b(ea)tam v(ir)ginem
Q(ui)s no(n) gaudeat, o v(ir)go preclara de tua pietate, ta(m) valida et immenſa: q(ui)a ipſa diuina flectitur ſeuitia et vindicta: medi(u)mq(ue) hui(us) ſuſte(n)tatur machina vniuerſa.

Bern. in primo carmine
Scio q(uod) dudu(m) celeſtia atq(ue) terreſtria corruiſſent ſi no(n) ea(m) Marie gratia ſuſtentaſſet.

Hiero. in lib. Sap.
1 Q(ui)d igitur eſt hoc q(uod) v(ir)go dei ſe dixerat q(uam) ſe vita: vita enim ſe vocauit et Chr(istu)s: q(uia) ipſa p(er) o(mn)ia q(ua)ſi Chr(istu)s.

Chryſ. in ſermone
Nunq(uam) inueniri reperi ho(m)ine(m) no(n) fore exauditu(m) q(ui) Marie ſe fecerit ſedulum et deuotum.

Anſelm. de excelſitudine
Scio veraciter fr(atr)es chariſſimi q(uod) nulla dulcedo, 1 nulla iocu(n)ditas potior eſtimat(ur) q(ua)m q(uo)d in laude virginis profundatur.

Aug. in lib. de trinit.
Scio et fidelibus la(tius) promitto q(uod) fetus in vtero materno moriturus ſi fuerit deuote inuocata gr(ati)a Marie ſanus incolumiſq(ue) exiet vt non ſolum id q(uo)d viuu(m) ſed q(uo)d mortuu(m) fuerit eius expers q(uo)d nullatenus eſſe poſſit.

Bern. ſuper cantica
Nil dulcius m(ihi) l(ibe)t q(uam) iocundius reperi(re) in laudibus Marie v(ir)ginis inmorari.

Chryſo. in ſermone
Maria prius erat ſancta q(uam) nata, tu(n)c q(uia) ſuperabundante ſanctitate et merito, ſalus ipſa ſuperuenit toti mundo.

Hug. in lib. de nā et gratia, Rich. de S. victore

Ceteris quidem sanctis per partes datur gratia. Marie autem se totum infudit plenitudo gratie ... thronus dei ... descendit quod per Marie manus non pertransiit.

Anselm9 ... Nescit mater dei aliud agere in mentibus humanis quam incessanter infusa peccatoribus pro nobis actio astare omnium salvatoris. Marie quippe deus cultu innumeros matri impenditurque quam sibi ipsi quantumlibet ministratur. O virgo cuius quante tua

Hugo de S. victore. pietas est efficacie et virtutis que non solum volentem sed et renuentem in via provehis patrie salutis. Ad devotionem quippe

Aristo in lib. presentationis. nominis Marie tota corruit et terret collegio potestatis maligne. Marie presentia inestimabilia demonibus infert

Quia in lib. de ... supplicia et tormenta. Numquam homini aliquis hostem adeo timuit corporalem sicut maligni sps Mariam dei matrem.

Ber. in floribus. Sileat misericordiam tuam virgo beata si quis est qui te invocatam in necessitatibus suis sibi meminit defuisse. Vide quomodo perire possis nisi velis et ipse. Maria te eminte semper ... Christus autem Maria peccatorum aliquem numquam negabit.

Beda in ... est. Quem iustitia xpi damnabit eterne adiudicat Marie gratia ipsum liberat et conservat.

H

Euſebius in sermoẽ

O quam [illegible] ſuper [illegible]
[illegible] Aug. in lib. retrac
[illegible] Sic me [illegible] tationum
[illegible] Ambr. in li.
[illegible] Credendu eſt [illegible]
[illegible]
poteſtatem ſup impoſſibilib[illegible]
poſ reiicere preces [illegible] Mariæ [illegible]
eſt tam deſperatus [illegible]
7 [illegible]
Impoſſibile eſt [illegible]
tuu[illegible] auxiliu [illegible]
Tribulatur [illegible]
ſolatiu [illegible] multu [illegible]
Speras in [illegible]
laqueo [illegible]
momento [illegible] Hiero. in
[illegible] auxiliu [illegible]
Nuq [illegible]
licet [illegible] Sedulius
viuus [illegible] in primo
in qua [illegible] lu carmi
dumodo Mariæ [illegible]
q̃d ſe ſibi [illegible] ſanus [illegible]
qa tranſibit [illegible] Maria [illegible] li.
uoce fuerit inuocata mox [illegible]
mala et pericula uniuerſa [illegible] anima
q̃ nã fugerem q̃d na ſperarem [illegible]
ſino me totu [illegible] commendare [illegible]
ſup eius auxilio me fundare [illegible]
gaudes eſt eius [illegible] Mariæ [illegible]
Sedulus fuit et deuotus [illegible]

[illegible] femina [illegible]
[illegible]
[illegible] ipsa [illegible]
[illegible]
[illegible] cesses [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] et [illegible]
[illegible]
[illegible] tempestas nulla
[illegible]
[illegible]
[illegible] in greg[illegible]
[illegible] iatur [illegible]
[illegible] in ma[illegible]
[illegible] Marie [illegible]
[illegible] augent
[illegible] opera
[illegible] Marie
[illegible] humani
[illegible] Marie [illegible]
[illegible] celestis virtutis expers
[illegible] Marie [illegible] inquirit
[illegible] alute corporis et [illegible]
[illegible] Marie — Quoquippe
[illegible] eternum [illegible] hic in
[illegible] laudes [illegible]
[illegible] cordis [illegible] ex laude
[illegible]
[illegible]
Marie [illegible]

Gratius [illegible] obsequium [illegible]
turis, quod sanctorum cuilibet [illegible]
et offertur, imo gratior est deo [illegible]
oblata fuerit. [illegible] sibi molestie [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] nos [illegible] salvare [illegible] — Euseb.
[illegible] — sermone
[illegible] illa [illegible] que [illegible] — [illegible]
adventus presentia sanctitas [illegible] — [illegible]nero.
Nullum in hac vita [illegible] — Eustoch[illegible]
proprie sicut Maria miseri[illegible] — [illegible]b. in li[illegible]
Iam non poterit nos odisse [illegible] — [illegible] praefatio
invocata fuerit devote mater [illegible]
Iustus Deus et [illegible] Deus [illegible] — Anselmus
[illegible] transcendere [illegible] nos [illegible] salvare [illegible]
salvare non potest sua iustitia [illegible] — Helynandus placitacti[illegible]
Sine ipsa [illegible] fuit sed non est salvator [illegible]
nec salvabit [illegible] — Greg. in
Quantumcunque beata Maria [illegible] — Registro
[illegible] Deum [illegible] humilitatem in[illegible]
finitam habuisse [illegible]

Magiſter bartholomeus in libro de ſpecie
fructu. viij. capitulis de nomine matris
dei ſic dicit
Quemadmodum in nomine Ieſu filij piiſſime matris dei quinque
litteræ continentur, ſic in hoc dulciſſimo
nomine Maria totidem litteræ ſunt eius per-
fectionem continentes, nam per primam
litteram M. oſtendit eius miſericordiam
et pietatem, qua plena eſt omnis terra.
per A. deſignat altitudinem contempla-
tionis qua continue in deum fertur.
per R. deſignat religioſitatem in cultu
habitu; et in ore eius motu. per I. deſig-
nat innocentiam eius et puritatem.
per vltimam litteram A. affluentiam
exprimit gratiarum; vel aliter compre-
hendo curſum vite ſue nam hec littera M.
deſignat mirabilitatem conceptionis eius pu-
riſsime et natiuitatis. A. deſignat accep-
tionem eius in dei matrem. R. deſignat rec-
titudinem: quæ ad omnes vite actus. I. deſignat
imitationem perfectiſsimam et conformitatem
ad christum. A. deſignat altitudinem gradus quo
ſuper omnes eſt in gloria ſublimata. ſillabe
etiam declarant eius magnitudinem. nam in hoc
nomine Maria ſunt due ſillabe et vna littera.
prima ſillaba Ma dicit magiſter idem quod demon-
ſtrat maternum affectum Marie ad fideles. ſecunda
ſillaba Ri demonſtrat rigorem eius ad demones
A. vero littera oſtendit acceptionem precum noſtrarum
a deo ipſius interuentione. hec bartholomeus.

Si fieri poſſet ꝙ arene pulu[illegible] nae, vnde
gutte, roſe gemme, lilia flamme, ethera
cole, nix grando sexus vterq̃. et volucru
ne, ſed et pecudu̅ genus oẽ. ſiluarũ rami p[illegible]
pecudum quoq̃ ꝑedes. ros gramẽ ſtelle an
nues, pluuie et ariſte. et lapides mo̅tes con
ualles terra dracones. lingue cuncta forent
minime deꝓmere poſſent. que ſis vel qui ta
regina ☩ virgo Maria. que tua ſit pietas
nec littera nec dabit etas ÷ ÷

Flores tantarũ offerẽte ꝗso btã.
[illegible] tu tibi oium criminum venia data
Suſipe nec detur ei ꝑ culpa pena taxata
Sed tua grã det ſibi ꝑremia grata

Finis ÷ laus deo ÷

SANTIN OTTAVIA
RESTAURO
70

Digitized by Google

Digitized by Google